BROCENSE.

1ª
33.510

1a
33510

b15742222

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS

In inclyta Salmaticensi Academia Rhetoricæ, Græcæque linguæ professoris,

COMMENT. IN AND. ALCIATI EMBLEMATA,

Nunc denuò multis in locis accuratè recognita, & quamplurimis figuris illustrata.

Cum Indice copiosissimo.

LVGDVNI,

APVD GVLIEL. ROVILLIVM.

M. D. LXXIII.

Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Extraict du priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy est permis à Guillaume Rouille libraire de Lyon, d'imprimer ou faire imprimer, vne fois ou plusieurs, ce present liure intitulé *Francisci Sanctij Brocensis in inclyta Salmaticensi Academia Rhetoricæ, Græcæq; linguæ professoris, Commentarij in Andr. Alciati Emblemata.* Pource est defendu par ledict Seigneur, à tous autres Libraires, Imprimeurs & personnes quelconques, de non imprimer, vendre, ny distribuer en son Royaume ledict liure, d'autre impression que dudict Rouille, ou de son consentement, & ce iusques au temps & terme de dix ans, à compter du iour & datte que sera paracheuee la premiere impression, sur peine d'amende arbitraire, & de confiscation des liures qu'ils auroyent imprimez. Et à fin qu'aucun ne puisse pretendre ignorance du present priuilege, ledict Seigneur veut & entend, que l'extraict d'iceluy estant mis au commencement, ou à la fin dudict liure, serue pour toute notification, comme si la signification estoit faicte sur l'original. Car tel est son plaisir, comme plus à plein est contenu & declaré par les lettres de priuilege, sur ce donnees à Blois le premier de May, l'an de grace mil cinq cens soixante douze, & de son regne le douzieme.

Par le Roy en son Conseil,

Signé, Moré.

Et seellé du grand seau en cire iaune à simple queuë.

ILLVSTRISSIMO DOMINO MARTINO AB AZPILCVETA NAVARO, Decretorum Doctore,

Gulielmus Rouillius S.

COgitanti mihi diu multúmq; , doctissime Nauare, ecquodnam tui in me grati animi pignus, quidue illi tuæ eximiæ doctrinæ consentaneum, & his tuis uirtutibus egregiis nõ alienum, offerrem atq; dedicarem, occurrerunt sanè tandem hi Francisci Sanctij Brocensis in Alciati Emblemata commentarij, quos ad me abhinc annis aliquot ille miserat, ut eos, si uiris doctis arriderent, prælo summitterẽ. Quúmq; his nostris doctoribus, atq; adeò aliis quamplurimis probari animaduertissem, eos euulgare non diutius desistendum putaui, tum uerò clientelæ & fauori tuo cõmissos. Atq; eò liberius id feci, quòd munus ipsum nũcupandi ab auctore fuerit mihi concessum: citius uerò, ne mihi eiuscemodi procrastinatio nonnihil officeret: Ἁ χάρις γὰρ ἁ βραδύπους, ἄχαρις χάρις, inquit ille: & eò maximè, non ita pridem à te prouocatus, & honore (mihi quidem maximo) affectus. Etenim nostræ diligentiæ plurimum tribuens, atq; istud humanitatis & amicitiæ ergô, elegantem illum & eruditum, de finibus humanorum actuum tractatum, ty=

pis nostris mandari uoluisti: in quo quidem si tibi sit satisfactum, haud scio: enimuero illud affirmarim, à nobis nihilnon effectum. Neq; tamen existimes uelim, à me eo animo istud suscipi, quòd hoc meo beneficio ad tuæ famæ celebritatem aliquid addi posse sperem, (sat enim noui quàm sit mihi curta supellex) aut inde tua laus uel gloria amplificari, ornariue possit: etenim illius extant ampla monimenta, nec desunt testes fidelissimi, qui etiam me obticente, illius memoriam uetustatis situ obrui, aut sepeliri non sinunt: sed μισῶν φίλοισιν ὕστερον βοσδρομεῖν, moræq; impatiens, uideri malui desipere (hoc tamen si desipere est) quàm tui immemor beneficij, turpi uitio ingrati animi notari. Accipe igitur hoc munusculũ, nec illud leue tamẽ. sunt enim hi commẽtarij perelaborati, nec ἄμοιροι ἢ ἀπαίδευτοι, tum uerò (meo quidem iudicio) tibi non ingrati futuri, cùm ob Alciati celeberrimi illius iurisconsulti memoriam, tum maximè Sanctij nostri, uiri profectò (nec inficiaberis) perquam eruditi, & in hoc scribẽdi genere admodum uersati. Atq; id si intellexero, & me deinceps alacriorem in id genus muneribus suscipiendis reddideris, & timidè currenti calcar addideris. Vale tuæ ætatis delitium, & tui amantissimum plurimùm dilige. Vale etiam atque etiam. E musæolo nostro, decimo sexto Calend. Ianuar.

1573.

CLAR

CLARISSIMI VIRI ANDREÆ ALCIATI IN LIBRVM EMBLEMATVM PRAEFATIO ad Chŏradum Peutingerũ Auguſtanum.

Dum pueros iuglans, iuuenes dum teſſera fallit,
Detinet & ſegnes chartula picta uiros:
Hæc nos feſtiuis Emblemata cudimus horis,
Artificum illuſtri ſtignáq; facta manu:
Veſtibus ut torulos, petaſis ut figere parmas,
Et ualeat tacitis ſcribere quiſq; notis.
At tibi ſupremus precioſa nomiſmata Cæſar,
Et ueterum eximias donet habere manus.
Ipſe dabo uatı chartacea munera uates,
Quæ (Chonrade) mei pignus amoris habe.

ANdreas Alciatus hoc ſæculo non modò Iuris Cæſarei, verùm & omniũ ſtudiorum decus, nec minùs ſuſpiciẽdus ob rarũ quendam ingenij candorem, quàm ob exactam omnium liberalium diſciplinarũ peritiam: Mediolanenſis fuit, vt ipſe teſtatur in hoc opere. Ius ciuile magna cum laude Biturigibus profeſſus eſt, conductus à Gallis in ſingulos annos octingentis coronatis. Tandem in patriam ampliori ſtipendio reuocatus eſt anno Domini 1533. Multa opera, æterna memoria digna, ſcripſit: è quibus ego tãtùm hunc Emblematũ librum ſumpſi pró ingenio explanandum. In quo mihi vnus præcipuè ſcopus fuit propoſitus: vt vnde ſumptum ſit

Alciatus Mediolanenſis.

Scopus autorũ.

vnumquodq; emblema, indicarem:id enim ad explicationē cuiuslibet rei, magni esse arbitror mométi.Hæc igitur præfatio imitatione sumpta est à Cicerone,pro Archia Poëta,vbi ille sic argumētatur, Quare quis tandē me reprehendat, aut quis iure mihi succenseat,si quantū cæteris ad suas res obeundas,quantū ad festos dies ludorum celebrandos:quantū ad alias voluptates: & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis:quantū alij tribuūt intēpestiuis conuiuiis:quantum deniq; aleæ,quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero?Nunc percurramus aliqua verba,quę fortasis lectorem possent remorari. Id quod in sequentibus sumus facturi. *Dum pueros iuglans.*

Iuglans vnde. Macrobius lib.Saturnal.3. c.18. Nux,inquit,iuglans,secundum nonnullorū opinionē, à iuuando & à glande dicta existimatur. C.Bassus verò in li.de significatione verborū hoc refert:Iuglās arbor dicta inde est,perinde ac Iouis glās.Nā id arboris genus nuces habet,quę sunt suauiori sapore,quàm glans.Hunc fructū antiqui illi,quia egregiū,glandíq; similem, ipsamq; arborē Deo dignā existimabant,Iouis glandē appellauerūt, quę nunc litetis interlisis iuglans nominatur. Cloatius autem Verrius in lib. à Græcis tractatorū ita memorat:Iuglans,di,prætermissum est: quasi diuglans, id est, διὸς βάλανος. Hāc græci &

Tessera quid. basilicam vocāt. *Iuuenes dum tessera fallit.* Ex eodem Macrobio poteris elicere tesseram esse, id quod ex omni parte quadratum est:& quod in quancunq; partem incubuerit,immotam habet

stabi

ſtabilitatem. Octo, inquit, angulis continetur, & Græco nomine Cubus vocatur, Hiſpanè *dado*.

Hæc nos feſtiuis emblemata. Emblema dicitur ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, quod eſt, interſero. Trifariã ſolet diſtingui, quod fit in parietibus, vermiculatum, ſeu Muſæatum dicitur: quod in lignis, ſegmentatum: quod in pauimẽtis, teſſellatum. Confundũtur tamen hæc aliquãdo. Cicero lib. de Orat. 3. loquens de coaptatione dictionum citat hos Lucilij verſus, *Emblema vnde.*

Quàm lepidè lexes compoſtæ, ut teſſerulæ omnes
Arte, pauimento, atq; emblemate uermiculato.

Veſtibus ut torulos. Alludit ad Plauti verſiculũ, qui eſt in Amphitryone, Tum meo patri autem torulus inerit aureus ſub petaſo. Vbi Commentatores atq; author Theſauri linguæ Latinæ fortaſſe non intelligentes, quid ſit hic torulus, legendum cenſent, Troculus: eò quòd Torulus à torus ducatur, diminutiua forma: id eſt, paruus lectus. Sed nos Plauti locum defendentes, Tori, orum, ſignificare dicimus carnem extantem in brachiis hominũ robuſtorum. Quo ſenſu dixit Cicero, in Orat. ad Brutum: Isq; vno tenore (vt aiunt) in dicendo fluit, nihil afferens præter facultatem, & æqualitatem: aut addit aliquos, vt in corona, toros, omnémq; orationem &c. In hac igitur ſignificatione dixit Plautus forma diminutiua, Torulus aureus in petaſo. Et Alciatus alluſit ad magnatũ morem noſtri temporis, qui in famulorũ veſtibus ſolent addere torulos holoſericos diuerſi coloris, quàm ſit veſtis ipſa: veluti ſpheralam depictam extantẽ, vel mundum, *Plauti locus defenditur.* *Tori, qui.* *Alluſio. Alciati.*

vel globulum, aut lacertum, & similia.

Petasus vnde dicatur. *Petasis ut figere parmas.* Petasus ἀπὸ τῦ πετάννυω. M. πετάσω, quod est, extendo, seu pando: significat tegmen capitis. Alio nomine galerus: quanuis aliqui distinguant inter galerum & petasum. Parma autem est breue scutum, eò dicta quòd ex omnibus partibus comparatione ad medium esset par, id est, rotunda. Hispanè vertere possumus *Medallas.*

Galerus.

Parma.

Tacitis notis scribere. Et *ualeat tacitis scribere quisq; notis.* Tacitis notis scribere, est rem ita per picturam exprimere: vt non indigeat characteribus: vt si velis significare manendum esse mulieri domi, pingis Venerem, quæ referat muliebrē sexū, apponíſque sub pedibus testudinē: hæc enim nunquā domo sua egreditur. Hoc scripturæ genus non solùm apud Ægyptios dignitatis plurimū habuit: sed etiā voluptatis non parùm. Nemo enim poterat callere Hieroglyphicarum mysterium (sic enim vocabant illi hoc scribendi genus) nisi rerum & animalium naturas perspectas habuisset. Quod non cōtingit, nisi illi, qui solerti contēplatione rerum naturalium causas esset perscrutatus. De Hieroglyphicis, id est, sacris literis duos libros scripsit Orus Apollo Niliacus. Hūc & Cheremonem se fatetur Alciatus imitari in libr. de verb. signif. in princ.

Hieroglyphicæ literæ

Et ueterum eximias donet habere manus. Tabulas & signa antiquorū artificū intelligit. Artificum enim opera, manus vocātur. Et ita dicūtur nostro idiomate. Mart. li. 8. epig. 50. & li. 1. epig. 119.

Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua? Idem,

Solus

read. 1. Artificumq; manus inter se operumq; labores
Miratur.

Solus Praxitelis manus scopæq;.

Chonrades quid significet apud Germanos.

Quæ Chonrade mei. Chōradus, siue Cunradus idē significat apud Germanos, quod apud Græcos Thrasybulus, id est, audacis cōsilij. Fuit hic Chōradus à cōsiliis vrbi Augustæ in Germania, cuius extat libellus, seu Epitome de Romani imperij, & cæterarum gentium inclinatione. Ad quem etiam extat epistola Erasmi.

Ad Illustriss. Maximil. Ducem Mediolanen.

EMBLEMA I.

Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,
Est gentilitiis nobile stemma tuis.
Talia Pellæum gessisse nomismata regem
Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus.
Dum se Ammone satū, matrem anguis imagine lusam
Diuini & sobolem semmis esse docet.

Ore exit, tradunt sic quosdam enitier angues.
An quia sit Pallas de capite orta Iouis?

VNde sit desumptum emblema, ipse Alciatus indicat in libello, quem de singulari certamine composuit, cap. 43. cùm inquit, Celebre est in Annalibus Othonis vicecomitis, cum quodam Saraceno in Asia certamen, quem ille manucaptum, confossúmque galeæ ornamento priuauit: ídque gentilitiis insignibus suis addidit: hoc est, vipera vix natum, & adhuc manantem sanguine infantem ore euomens. Ab Alexandro nimirum Magno acceptum emblema. Siquidem in eius veteribus numismatis idem sigillum reperire est, quo Ioue se natum Rex ille per ambages ostendebat. Etenim serpentis forma pluribus Græciæ locis Iupiter colebatur. Súntque in Asia genera serpentũ, quos ore parere hominum opinione receptum erat. Hactenus Alciatus. Mittit hoc emblema ad Illust. Maximilianum Ducem Mediolanensem, Ludouici filium, Francisci Sforciæ nepotem. Floruit hic Maximilianus anno Domini 1512. Decessit sine liberis. Habeo ego numisma Mediolanẽse, quod ex altera parte hoc insigne habet depictum: ex altera effigiem D. Ambrosij, episc. Mediolanẽsis.

Othonis historia.

Vetus numisma Alexandri.

Maximilianus quis.

Numisma Mediolanense.

Talia Pellæum. Pella vrbs fuit abiectissima in Macedonia: sed illam (vt Mela refert) Alumni Philippus, & Alexander illustrem reddidere. Inde dictus Pellæus Alexand. Iuuenalis Satyr. 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Dum se Ammone satum. In Aphrica, Cyrenaica prouincia est: in Cyrenaica Iouis Ammonis tẽplum

plum (teste Mela & aliis Geographis) Dictus fuit Ammon, id est, arenosus (nam ἄμμος Græcis est arena) quòd cùm Liber pater per arentes Libyæ campos exercitũ duceret, sitíque premeretur, Iouem patrẽ fertur implorasse, statim ei apparuit aries, & in mediis arenis fons adapertus. Hac causa Bacchus tẽplo Ioui cõstituto, vbi fons eruperat, simulachrũ arietina figura in tẽplo collocauit. Alex. Magnus, vt inquit Curtius, ingẽti ductus cupiditate adeundi Iouẽ, quem generis sui autorẽ, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat, nullis difficultatibus absterreri potuit, quò minùs per siccas regiones, & tenacissimũ sabulũ ductaret exercitũ ad Ammonẽ. Quò cùm peruenisset, maximus natu è sacerdotibus filiũ appellauit, hoc nomẽ illi parentẽ Iouẽ reddere affirmãs. Putarchus tamẽ aliter hoc refert. Asserunt (inquit) sacerdotẽ, dũ græcè ipsum salutaret, & blandiùs παιδίον (hoc est, Filiole) cõpellare vellet, per barbarismũ, pro ν, abusum σ. παιδίος (id est, Iouis fili) pronunciasse. Illum vocis errorem Alexandrum libenter perinde, ac omen audisse.

Pausanias lib. 4.

Ἄμμος quid.

Bacchus templum Ioui constituit.

Iustin. lib. 12.

Matrem anguis imagine. Olympias Alexan. mater fuit, iuxta cuius dormiẽtis corpus (vt ait idẽ Plutarchus) draco accubuisse cõspectus est: quæ res amorẽ, charitatémque Philippi extinxisse fertur: adeò, vt illius persæpe cõcubitus euitauerit, siue aliquas magicas, & veneficia reformidãs, siue illius cõsuetudinẽ, & cõtuberniũ cuiquã Deo ex quadã religione permittẽs. Post illa cùm Philippus hac de causa Cheronẽ Megalopolitanum

Olympias Alexandri mater.

Delphos

Chero Delphos missus.

Delphos misisset,à Deo respõsum est,vt Ammoni rem diuinã faceret:& hunc in primis Deũ veneraretur,amissurúmque ex oculis alterum,quo die in draconis forma conciũbentẽ Deum cum Olympiade per hostij rimulã aspexisset. Olympias quoque(sicut ait Eratosthenes) proficiscẽti in expeditionẽ Alexandro,secretò genituræ detexit arcana, proinde dignos genitore animos fouere iussit. Hæc carptim ex Plutarcho.

Olympias aperit Alexandro arcana generationis.

Serpentes ore pariẽtes.

Tradunt sic quosdam emittere angues. Dixit iam Alciatus esse in Asia genera serpentum, qui ore pariant. Addo tamen ex opinione Anaxagoræ Philosophi, ceciniſſe Ouidium mustellam ore parere.Sic enim inquit in 9. Metamorph.

Mustella ore parit.

Quæ quia mendacem parientem iuuerat orę:
Ore parit,nostrasq; domos,ut ante frequentat.

Hanc opinionem refutat Aristoteles lib.de animaliũ generatione tertio. Plinius quoque 10.li. Lacertam (inquit) ore parere, quod vulgò creditur, Aristoteles negat.

An quia sic Pallas de capite orta Iouis? Hæc nõ est interrogatio:sed phrasis Philosophorũ in dissoluendis problematis:qui etiã si certissima proferant,velúti dubitando finiũt per particulam,an. De Natali Palladis extat festiuus Luciani Dialogus,quẽ compendio hûc adscribã:Laborabat Iupiter dolore capitis,iussit Vulcanũ cum securi acutissima venire,qui caput diffinderet. Vulcano totis viribus in caput Iouis impellẽte securim,virgo Pallas prosiluit armata, iã nubilis,cæsia,pulchra,clypeũ saltãdo concutiens,cũ armatis tripudiãs,hastã vibrans. Addit præterea Pindarus

darus in Olympicis adaperto Iouis capite, adeò vehemẽter Mineruã infremuisse, vt totũ clamore perterrefaceret Olympũ. Sed nó ab re fuerit, quoniã sæpe in hoc opere se nobis offert Minerua, semel dixisse, quid hæc fabula significet. Nulla enim tã vilis fabula est, ex qua Plato non eliciat, aut astrologiæ mysteria, aut ad vitæ cõmoda præcepta salubria. Minerua igitur, siue Pallas, est artiũ omniũ & bellorũ Dea. Artes & ingenuæ disciplinæ ex cerebro, ceu capite Iouis, id est, Dei Op. Max. sapientia proueniũt. Scimus etenim ex sacris literis, omne datũ optimum, & omne donũ à patre luminũ descẽdere. Securi caput Iouis aperit Vulcanus, vt Minerua nascatur. Quid hoc aliud est, quàm impetu quodam, quadámq; lucta, & summo ingenij conatu artẽ tandem cõquiri? Nemo enim vnquã artiũ apicẽ consequetur, si priùs nõ se vigiliis, sudoribus & algoribus exercuerit. Vnde mihi potiùs videtur dicta Minerua, q̃ minuat neruos, quàm aliunde. Sed quid est, quod addit Pindarus, cælum & terrã clamore Mineruæ cõtremuisse? Nihil aliud esse reor, quàm cælũ, terrã, stellas, mare, cũcta denique sapiẽtia gubernari. Ad cuius imperiũ atque nutũ omnia moueantur, atque cõtremiscãt. Quid randẽ innuit clamor ille Mineruæ recèns natæ? Iustitiã, æquitatem, iura, leges, societatem humani generis, virtutũ præmia, scelerũ punitionem. Rectè itaque tã pium clamorẽ cælũ & terra timẽt & reuerentur. Sed quoniã & bellorum præses est, videamus rursus, an hęc quę diximus in disciplinis bellicis etiam possint adaptari. Est dea

Affabulatio.

Plato ex quauis fabula aliquid ad vitã vtile elicit.

Artes ex cerebro Iouis.

Minerua vnde dicta.

Clamor Mineruæ.

Pallas belli præses.

dea belli Pallas, hastámq; vibrans effingitur: propterea quòd illi se in bellicis operibus gerũt strenuè, qui bonas disciplinas cum arte bellica coniunxerunt. Víxque reperias in re militari ducem insignẽ, qui non idẽ summa prudẽtia sit præditus. Nascitur ex cerebro Iouis: quia belli gubernatio ex Deo est, vt inquit Homerus. Sed militaris ars vsu & exercitatione constat. Quapropter Vulcanus securi caput findit Iouis: vnde nascitur bellona, id est, animus fortis, agilis, strenuus, & consiliis atque stratagematis valẽs. Et quia Iouis est filia, propter Iustitiã defendendã clamat. Bella enim ideò suscipiuntur, vt in pace viuatur. Sed enim cũ bellum adeò res sit horrẽda, vt vix eius calamitas explicari possit, quid mirũ, si cælum, & terra concutiantur, ad horrẽdas Bellonę voces? Nascitur Pallas armata, & iam adulta, nõ infans: quia consiliũ Ducis, antequàm in lucem prodeat, iam oportet esse perfectum, & integrum, omnibúsque numeris absolutum.

Bellona quid.

Pallas cur nascitur armata.

An quia sic Pallas. Quoniã iam de Pallade cœpimus, cantemus iterũ eiusdẽ natiuitatem, vt ab Hesiodo accepimus: sed tamẽ breuiùs. Primam, inquit, vxorem duxit Iupiter Metin (id est, prudẽtiã) quę cùm iãiam esset Mineruã paritura: Iupiter à Cælo & Tellure monitus, filios, quos ex Metide susciperet, consilio & fortitudine patrẽ superaturos, Mineruã ex vẽtre Metidis per iocũ & dolũ erutã suomet aluo condidit. Subdit inferiùs: Ipse autẽ Iupiter ex capite proprio Mineruã progenuit, cæsiis oculis præditã, acrẽ, indomitã, venerandã, cui bella, & belli clamor erãt

cordi,

cordi. Hæc ille. Dicitur autẽ (vt ait Eustathius in prin. Iliad.) ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est, à vibrãdo hastã. Vnde à Poëtis Latinis dicitur Armisona: vel quòd Pallantẽ gigantẽ in Gigãtomachia occiderit: vel ꝙ ἐκ τῆς τοῦ διὸς συνεπάλτω κεφαλῆς, id est, ex Iouis exilierit capite. Hinc, vt ait Hesiodi interpres in Aspide, dicta est Tritonia, vel Tritogenia: quoniã lingua Æolica τριτὼ caput significat: quanquã de nomine hoc magna est opinionũ diuersitas. Nã Homeri Scholastes lib. Iliad. θ. ἀπὸ τοῦ τρεῖν dictã asserit, quòd hostes cõpauescere faciat. Põponius Mela li. 1. Super hunc inquit ingẽs palus amnẽ Tritona recipit, ipsa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomẽ inditũ est, vt incolę arbitrãtur, ibi genitę. Faciúntq; fabulę ei aliquã fidẽ, ꝙ quem natalẽ eius putant, lúdicris virginum inter se decertantium celebrant. Hoc sequutus Lucanus sic canit de Tritonide palude,

Pallas vnde dicta.

Tritonia Pallas.

Palus Tritonis.

Hanc & Pallas amat, patrio quæ uertice nata,
Terrarum primam Libyam (nam proxima cælo est,
Vt probat ipse calor) tetigit, stagniq; quieta
Vultus uidit aqua, posuitq; in margine plantas.
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.

Porrò asserit Eustathius in 1. Iliad. vbi canit Homerus descendisse de cælo Mineruã, Achillis irã vt sedaret, οὐρανὸν ab antiquis pro capite vsurpari: quia caput ex Platonis sententia ad instar mũdi sit sphæricũ, vbi Pallas cõmoratur, quæ nihil aliud est (Democrito interprete) quàm ipsa prudentia, quæ (vt autor Allegoriarũ in Hesiodum, tradit) iure dicitur è Iouis vertice prognata: quoniã ab experientia sese promit prudẽtia: experiẽtia verò ex sensibus qui in capitis ambitu cernũ

tur. Alluſit ad fabulã Terentius in ſene ſeipſum excruciante, cùm inquit, Non ſi ex capite ſis meo natus item, vt aiunt, Mineruam eſſe ex Ioue. Et Ouidius in Faſtis,

Aut quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo.

Mediolanum.

EMBLEMA II.

Bituricis ueruex, Heduis dat ſucula ſignum.
His populis patriæ debita origo meæ eſt,
Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
Terram: nam uetus hoc Gallica lingua ſonat.
Culta Minerua fuit, nunc eſt, ubi numine Thecla
Mutato matris uirginis ante domum.
Laniger huic ſignum ſus eſt, animalq; biforme,
Acribus hinc ſetis, lanitio inde leui.

Indi

INdicat Alciatus hoc emblemate, quodnam sit patrię suæ insigne atque origo. Sus, inquit, cuius dimidia pars sit lanea, reliqua setacea, patriæ meæ dat insigne: indéque Mediolanum dicitur, quasi dicas, dimidia parte lanatum, insigne compositum à duorum populorum signo Heduorum & Biturigum. Porcula enim Heduis insigne est. Biturigibus veruex. Historiam ex Tito Liuio accipe, Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum (quæ pars Galliæ tertia est) penes Bituriges summa imperij fuit: ij regē Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute, fortunáque cùm sua, tum publica præpollens: quod in imperio eius Gallia adeò frugū hominúmq; fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens. Bellouesum, ac Sigouesum sororis filios impigros iuuenes missurum se esse, in quas dij dedissent auguriis sedes, ostendit: quātum ipsi vellent, numerum hominum excirent: ne qua gens arcere venientes posset. Tum Sigoueso sortibus dati Hercynæi saltus: Bellouesо haud paulò lætiorem in Italiam viam dij dabant. Is Bituriges, Auernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, exciuit. Profectus ingētibus peditum equitúmque copiis in Tricastinos venit. Alpes transcendit: fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine: cùm in quo confederat, agrum Insubrium appellari audiisset, cognominem Insubribus Heduorum: ibi omen cuncti sequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarūt.

Insigne patriæ Alciati.

Mediolanum vnde dicatur.

Ambigatus.

Bellouesus & Sigouesus.

Hęc ex Liuio. Hinc iam lux aliqua effulget versiculis Claudiani, de nuptiis Honorij & Mariæ,

Iam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassosq́; fretis extenderat orbes:
Continuò sublimè uolans ad mœnia Gallis
Condita lanigeris, ouis ostentantia pellem
Peruenit. —

lanigeri suis

Claudiani versus emendatus.

Aliter tamen, & rectiùs legit Alciatus hæc carmina in Parergis. lib. v. cap. xiii.

— ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ suis ostentantia pellem.

Bituricis ueruex. Bituricis posuit pro Biturigibus per enalagen, Gallicè, le païs al'entour de Bourges.

Hedui.

Heduis dat. Hedui, Gallicè, le païs al'entour d'Autun en Bourgongne. Apud Straboné, Ptolemæum Stephanum, Melam, & Cornel. Tacit. inuenio Heduos, Eduos, Æduos, Oeduos, Ædusios, pro eodem.

Mediolanũ in Gallia.

Quam Mediolanum sacram. Mediolanũ Alciati patria in Italia est. Est & Mediolanum, siue Mediolanium in Gallia. Gallicè Xainctes, quod sanctum significat: inde Alciatus dixit, Sacrã dixere puellæ: nam vetus hoc.

* *

Parma quoq; Galliæ Cisalpinæ colonia celebratur lanarũ copia et bonitate Martial. Tondet et innumeros Gallica parma greges. Item Vellerib. primis Apulia, Parma secundis. Nunc caseo secti saporis celeberrima.

Nunquam

Nunquam procraſtinandum.

EMBLEMA III.

ALCIATAE *gentis inſignia ſuſtinet Alce,*
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti,
Quî tot obiuiſſet tempore geſta breui?
Nunquã (inquit) differre uolens, quod & indicat Alce:
Fortior hæc dubites, ocyor ánne ſiet.

QVid quodque emblema contineat, ſatis prope ſemper indicat titulus: proinde in explananda ſententia non multũ ſumemus deinceps operę. In qua re non parum aliquos ſollicitos video. Ponit nobis ob oculos Alciatæ gentis inſignia: & tacitè innuit Alciatus nõ potuiſſe ſe ad tantum diſciplinarum faſtigiũ per- *Alciatæ gentis inſignia.*

uenire, nisi laboribus multis, atque vigiliis, perpetuo curriculo in literarũ stadio cucurrisset, iuxta illud Ouidij,

Sed propera, nec te uenturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Vnde sumptum emblema.

Sumptum est emblema ex Homeri Scholiaste 2. Iliad. Subscribã & Homeri verba & Scholiastis: quoniam in vtrisque nó mediocre subest documentum. Sic igitur infit Nestor,

Μηκέτι νῦν δῆθ' αὖθι λεγώμεθα μὴ δέ τι δηρὸν
Αμβαλλώμεθα ἔργον ὅδη θεὸς ἐγγυαλίζει.

Id est,

Ne uerbis tempus fugiat: neque tempore longo
Differamus opus, pulcherrima munera Diuûm.

Tum subdit Scholiastes, στρατηγικὴ διδασκαλία χρόνου φείδεσθαι. οὔτε γὰρ παρελθόντα ἀνακαλεῖσθαι, οὔτε αἰτήσαντας λαβεῖν αὐτὸν δυνάμεθα. ἐρωτηθεὶς γὰρ ἀλέξανδρος πῶς τῆς ἑλλάδος περιεγένου, μηδὲν ἀναβαλλόμενος εἴπερ. Id est, Militare stratagema est, tempori parcere. Non enim aut prætereuntem horam reuocare, aut comprehendere possumus. Interrogatus Alexander quo pacto Græciam superasset, Nihil procrastinãs, respondit Hæc eadem Hesiodus præcipit in Ergis lib. 2.

Μηδ' ἀναβάλλεσθαι ἔς τ' ἄυριον ἔς τ' ἔννηφιν,

Id est,

Ad cras rem differre nocet, tempusq; futurum.

Alce fera, ex Plinio & Solino.

Sustinet Alce. De Alce fera Plinius agit lib. 8. cap. 15. & Solinus cap. 32. Sed apponam verba Cæsaris in Commentariis de Bello Gallico, lib. 6. quoniam huius feræ mirè explicant naturam. Sunt (inquit) quæ appellantur Alces: harum

rum est consimilis capris figura,& varietas pellium:sed magnitudine paulò antecedunt:mutilæque sunt cornibus,& crura sine nodis,articulisque habent:neque quietis causa procumbũt: neque si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese,aut subleuare possunt.His sunt arbores pro cubilibus:ad eas se applicant,atque ita paulùm modò acclinatæ quietem capiunt:quarũ ex vestigiis cùm est animaduersum à venatoribus, quò se recipere consueuerint, omnes eo loco aut à radicibus subruunt,aut accidunt arbores: vt tantùm in summa specie earum stãtium relinquatur.Huc cùm se consuetudine acclinauerint infirmas arbores pondere affligunt, atque vnà ipsæ concidunt,

Fortior hæc. ἀλκὴ ἥδε. fortitudinem significat: vnde videtur nomen hoc deductum.

Ocyor ánne fiet. Plinius loco citato, ad insidias capi ait aliàs velocitatis memoratæ.Subdit statim,Labrum ei superius prægrande:ob id retrogradi tur in pascẽdo,ne in priora tendens inuoluatur. Idem ait & Solinus. Vide adagium, Nunc tuum ferrum in igne est. Quod ad picturam attinet, mutilas & sine cornibus dixit Cæsar esse Alcas:at verò Pausanias (Ælia-no de natura animalium testante) in superciliis cornua habere mares testatur:fœminas contrà omnino carere.

Alce retrogradi-tur in pa-scendo.

Alce c habet c nua.

Vide Pausan. lib. 5

In Deo lætandum.

EMBLEMA IIII.

Xenophon in Symposio
Pausan. lib. 2. ar. 5.
Philoponus in lib.
Arist. de animo

Aspice ut egregius puerum Iouis alite pictor
Fecerit Iliacum summa per astra uehi.
Quisne Iouem tactum puerili credat amore?
Dic, hæc Mæonius finxerit unde senex?
Consilium, mens atque Dei cui gaudia præstant:
Creditur is summo raptus adesse Ioui.

EX Homeri Scholiaste lib. 4. Iliad. vt mox subiiciemus. Epigramma est obscurum, nisi præmittantur paucula ex Aristot. lib. Moral. ad Nichom. 10. cap. 4. Cuius sententiam aliquanto latiùs tractabo, quàm illic posita est, dummodo eodem sensu. Inquit igitur, Est vniuscuiusque sensus voluptas propria, vt auditionis, gustatonis, &c.

nis, &c. Sed ita in vnoquoque ſenſu perfecta erit voluptas, ſi ſenſus ille puriſsimus ſit: & obiectum illius ſenſus ſit præſtantiſsimum. Fiet hæc res exemplis illuſtrior. Si auditionis ſenſus purgatus eſt abundè, obiiciatúrque illi cæleſtis quædam & diuina Muſica, tum ingenerabitur ſumma illius ſenſus voluptas. Sic in viſu. Quid prodeſt, ſi tibi oſtẽdatur, vel Apellis, vel Timanthis ingenioſiſsimè depicta tabula, ſi lippus, aut ſis captus lumine? Opus eſt denique, vt oculus ſit puriſsimus, & illius obiectum præſtantiſsimum. Vt igitur ſua cuiuſque ſenſus voluptas eſt propria: ita & mentis & intellectus, & contemplationis: ſimilíque pacto ſumma voluptas generatur intelligentiæ noſtræ, ſi ipſa quod fieri poteſt, puriſsima ſit, & defæcata: & ſibi eligat ex omnibus rebus quod ſit præſtantiſsimũ, vtpote Deum in quem contempletur, & totis viribus rapiatur. Qui igitur ſic collocat intellectũ ſuũ, nec vilibus & caducis huius ſeculi rebus intentus eſt, meritò Ganymedes poterit appellari. Nã γάνυσθαι, gaudere ſignificat, μῆδος conſiliũ: quaſi dicas, conſiliis & contẽplatione gaudentẽ. Nũc verba commẽtatoris Homeri ſubiiciamus, quę ſecutus eſt noſter Alciatus, Γαννυμήδης ἡ πηρετεῖ μόνῳ τῷ Δῆ, ὅτι ὁ μὲν Ζεὺς πρῶτος ἐστὶ νοῦς, μόνος δὲ ὁ νοῦς ἔχει οἰκεῖον τὸ τοῖς μήδεσι γάννυσθαι: τοῦτο γὰρ ὁ Γαννυμήδης. Hoc eſt, Ganymedes ſoli Ioui miniſtrat. Quoniam Iupiter prima eſt intelligentia: ſolius autem intelligentiæ proprium eſt conſiliis gaudere, atque hoc ſonat Ganymedes. Ganymedis autem fabula refertur ab Homero in hãc

Ganymedes quid.

Antiqui Catamitum pro Ganymede dicebant. Plaut. Menech. vbi aquila Catamitum raperet, aut Venus Adoneum. Γαναμειδες idem quod Γανυμηδης. γάδεσθαι enim & γάνυσθαι idem.

ſententiam, vt vertit Nicolaus Valla:

Tros ab Erichthonia ſatus eſt de ſanguine Trois
Ilus, & Aſaracus, ſimiliſq; Deo Ganymedes
Egregius forma raptus ſublimis in auras
A ſuperis cælo poſitus diuûm inter honores
Pulcher, ut ante Iouem miſceret pocula menſis.

Ganymedes Trois filius.

Magni viri memoria laborare ſolent.

Trois igitur fuit filius Ganymedes, non Laomedontis, vt videtur ſenſiſſe Cicero in prima Tuſculana, lapſus videlicet memoria (quo nomine ſolent magni viri laborare, qui grauioribus impeditis curis, cùm citant vel autores, vel autorum teſtimonia, toto, quod aiunt, cælo aberrant: id quod diligẽs lector ſæpe in Ariſtot. depræhendet in libris præſertim de moribus.) verba Ciceronis hæc ſunt: Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait, propter formam, vt Ioui pocula miniſtraret: non iuſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, diuina mallem ad nos. Meminerunt huius fabulæ & alij Poëtæ. Virgil. lib. 5. Æneid. ſic,

Intextusq; puer frondoſa regius Ida
Veloces iaculo ceruos, curſuq; fatigat:
Acer anhelanti ſimilis, quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger uncis:
Longæui palmas nequicquam ad ſydera tendunt
Cuſtodes, ſæuitq; canum latratus in auras.

Statius lib. 1. Thebaidos,

Hinc Phrygius fuluis uenator tollitur alis:
Gargara deſidunt ſurgenti, & Troia recedit:
Stant mœſti comites, fruſtraq; ſonantia laxant,
Ora canes, umbramq; petunt, & nubila latrant.

Ouidius

Ouidius non ab Aquila Iouis, sed ab ipso Ioue in Aquilam transformato Ganymedem raptum canit. lib. 10. Meta.

Rex superûm Phrygij quondam Ganymedis amore
Arsit, & inuentum est aliquid, quod Iuppiter esse,
Quàm quod erat, mallet: nulla tamen alite uerti
Dignatur, nisi quæ posset sua fulmina ferre.
Nec mora percusso mendacibus aëre pennis,
Arripit Iliadem, qui nunc quoque pocula miscet,
Inuitáque Ioui nectar Iunone ministrat.

Sunt qui fabulam hanc ad historiam referant, & quibus Herodianus lib. 1. Licet (inquit) apud alios comperiam pugnam illic Ilum Phrygа, Tantalumq; Lydum inter se conseruisse, siue de via ortam, siue potiùs ob raptum Ganymedis. Cúmque diu æquis viribus decertatum foret, ac permulti vtrinque cecidissent, nomen ex ea clade loco esse impositum. Hîc etiam fama fertur Ganymedem ipsum trahentibus in diuersa Germani atque amatoris manibus vita esse orbatum, sublatúmque è medio pro calamitatis solatio relata ad Iouem raptorem fabula, diuinis fuisse honoribus affectum. Paulus Orosius lib. 1. cap. 12. Tantalus (inquit) rex Phrygiorum Ganymedem Trois Dardaniorum Regis filium cùm flagitiosissimè rapuisset maiori conserti certaminis fœditate detinuit: sicut Phanocles poëta confirmat, qui maximum bellum ab hoc concitatum fuisse commemorat. Eusebius in Chronicis idem ferè scribit, inquiens, Ob raptum Ganymedis, & Trois patris Ganymedis, & Tantali bellum exortum est, vt scribit

Locus vbi Ganymedes fuit raptus.

Phanocles poëta. Fruſtra igitur Iouis fabula, & raptrix aquila fingitur. Chalcidenſes ſolebant oſtendere locum (quem Harpiguim nominabant) vbi Ganymedes ab Ioue fuiſſet raptus. In fabulam hanc Ganymedis multis in locis iocatur Lucianus, quem conſule, ſi plura de Ganymede cupis. Nunc accedamus ad explanationem. Et primùm de titulo pauca prælibemus.

In Deo lætandum.) Videtur ſumptus titulus ex verbis D. Pauli ad Philip. 4. cùm ait, χαίρεται ἐν κυρίῳ πάντοτε, καὶ πάλιν ἐρῶ, χαίρεται. Id eſt, Gaudete in domino ſemper, iterũ dico, gaudete.

Aſpice ut egregius. Quis fuerit hic egregius pictor, parui refert inquirere. Nam poteris hæc intelligere de pictore quodam, qui hæc emblemata depinxit: niſi malis de Leocra nobiliſsimo pictore ſermonem fieri. Is enim (vt inquit Plinius) Aquilam ſentientem quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, parcentem vnguibus etiam per veſtem fecit.

Leocra pictor.

34. c. 8

Iouis alite. Aquilam intelligit, quæ in Iouis tutela ideò eſſe dicitur, quia fulmine non tangitur, vt Plinius lib. 2. cap. 51. & lib. 10. cap. 3. autor eſt: vel quòd altiſsimi ſit volatus, ita vt nubes trãſuolet, quod ſcribit Ariſtot. ſiue quòd regina ſit auium, vt cecinit in Olympiis Pindarus.

Quis ne Iouem? Iupiter idem eſt, quod iuuans pater, quem conuerſis caſibus appellamus à iuuando Iouem. Ita Cicero lib. 2. de Natu. Deor. Simili modo dicitur à Græcis ζεὺς, quòd vitæ omnium ſit autor ἀπὸ τοῦ ζάω, viuo. Eundem.

de Platone Cratylo

dem & Ασία vocant, quòd per ipsum sint omnia. Hæc & plura Diogenes Laërtius in vita Zenonis.

Dic, hæc Mæonius. Mæonia regio est minoris Asiæ teste Plinio, & Ptolemæo: nunc Lydia dicitur: inde Mæonius, & Mæonides dictus fuit Homerus, quòd inde, vt quorundam fuit opinio traxerit originem. Sed de Homeri patria varia traduntur, multáque in hanc sententiam sunt conscripta epigrammata. Addam tamen distichon ex Gellianis noctibus, lib. 3. cap. 11. *Mæonia regio.*

Ἑπτὰ πόλις διερίζουσι περὶ βίζαν ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶς, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Hoc est,

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophō, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Sed Plutarchus ex sententia Ephori Cumæi, non à patria, sed à genere Mæonium appellatum tradit. Tres enim enumerat fratres Cumæos, Attellem, Mæonem, Dium, horum Dium in Ascram Bœoticæ vicum migrasse, ibique ex Pycimide vxore suscepisse Hesiodum: Attellem in patria diem obiisse, filiámque nomine Critheida fratris Mæonis tutelæ reliquisse. Hanc Mæon cùm ingrauidasset, infamiam veritus, eam Phemio Grammatico in Matrimonium collocauit, quæ non multò pòst. iuxta fluuium Meletem Homerum peperit, qui Melesigenes inde fuit appellatus. Eius vitam latissimè prosequitur Herodotus. Hunc vide. *Tres Cumæi fratres.*

Consilium, mens atque Dei. Respondit nunc ad interrogata, dicitque illam esse propriam lætitiam *Propria lætitia quæ.*

tiam, quæ à consiliis & contemplatione oritur, & in qua summum bonum nonnulli Philosophorum collocarunt. Atque ita τὸν μακάριον, id est, beatum, ἀπὸ τοῦ χαίρειν, id est, à lætando nominauerunt, vt autor est Arist. in lib. 7. de Moribus ad Nicomachum, cap. 10. Distichon igitur sic explico, Ille cui Dei consilium atque mens præstant gaudia, is creditur adesse summo Ioui. Hoc facient planum Aristotelis verba lib. 10. cap. 8. ad Nicomachum. Etenim (inquit) si Dij res curant humanas (sicuti curant) profectò illud quidem est consentaneum: vt re delectentur, & optima, & quæ generis societate cum ipsis sit coniunctissima, qualis mens videtur esse, iisque hominibus, qui eam rem maximè ament, & colant, beneficia reddant: quòd res eas curent illi, quas habent charas, rectéque vt præclarè facta sequantur. Ergo Deo charissimus est, idémque beatissimus debet esse. Ita sapiens maximè est beatus futurus. Hæc ille.

Sapientia

Sapientia humana ſtultitia eſt apud Deum.

EMBLEMA V.

Pauſon. lib. 1. c

Quid dicam? quónam hoc compellem nomine monſtrum
Biforme: quod non eſt homo nec eſt draco?
Sed ſine uir pedibus, ſummis ſine partibus anguis,
Vir anguipes dici, & homiceps anguis poteſt.
Anguem pedit homo, hominem eructauit & anguis,
Nec finis hominis eſt, initium nec eſt feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis,
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hæc uiſrum ſpecies, ſed relligione carentem,
Terrena tantum quiq; curet, indicat.

TItulus eſt ex D. Pauli epiſt. ad Corinth. 1. cap. 3. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ θεῷ ἐστί. Et eadem epiſto. cap. 1. ex Eſaia citat,

Perdam

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Versus sunt Exametri & Trimetri Iambici. Vtrique tamen claudicantes. Imitatio est ex lib. 4. Epigrammaton Græcorum desumpta, vbi hæc carmina de Chirone leguntur:

εἰς χείρωνα τὸν ἱπποκένταυρον, (ἀνὴρ.
ἀνδρόθεν ἐκκέχυθ' ἵππος, ἀνέδραμεδ' ἵππόθεν
εἰς τὸν αὐτὸν ἄδηλα, (ἵππ@.
ἀνὴρ νόσφι ποδῶν, κεφαλῆς δ' ἄτερ, ἀιόλ@
εἰς τὸν αὐτόν, (ἵππον.
ἵππ' ἐρεύγεται ἄνδρα, ἀνὴρ δ' ἀποπέρδεται
εἰς τὸν αὐτὸν ἐνόδους,
ἵππος ἕλιν ἀκάρηνος, ἀνὴρ δ' ἀτέλεστος ἔκειτο.
ὃν γε φύσις παίζουσα θοῷ ἐνεκέντρισεν ἵππῳ.

Sic vertit noster Alciatus,

Ex uiro descendit equus, ascendit autem vir de equo:
Vir quidem sine cruribus, & equus fuit sine uertice.
Nam equum pedit uir: & uelox equus ructat uirum.
Non habebat finem homo, neq; quadrupes exordium.
Sed uirum natura ludens acri equo commisit.

Huiusmodi monstra nullo pacto posse reperiri natura sanè festiuis carminibus indicat Lucretius lib. 5. licet Plinius naturalis Historiæ lib. 7. cap. 3. dicat Claudium Cæsarem scripsisse natum in Thessalia Hippocentaurum, eodémque die interiisse.

Sic olim Cecrops. Cecrops veniens Athenas ab Aegyptia vrbe, quæ dicitur Sais (atque vt inquit Charax, Sais apud Aegyptios Athenæ vocantur

vocantur) biformis, siue διφυὴς vocabatur: vel quòd ex draconis dentibus fuerat prognatus (fuerat autem hic draco Atheniensium rex) vel quòd duorum virorum naturam & staturam æquaret: vel quòd vtramque linguam calleret, Aegyptiam & Græcam. Vel quòd, vt fabulantur, superiora hominis, inferiora draconis haberet. Quod sic mysticè Demosthenes interpretatur dicens, viribus quidem draconis præditum Cecropem, at intelligentia hominis. Ego autem sic allegoricè interpretor, Cùm rex esset bonus, feram illam gentem sic in ordinem reduxit, vt vnam concordiam omnes, ipsúmque ducem bonum, & rectorem agnoscerent. Propterea ipsum διφυὴν vocarunt (velut apud Ioannem Antiochenum inuenio) quòd priùs Græcæ fœminæ ferino ritu veluti pecora, & nõ per connubia commiscebantur. Hoc pacto pueri μονοφυεῖς erant, id est, vnius naturæ: matrem quippe solam noscebant Regnante verò in Attica Cecrope cessauit illa ferina commistio, & viris legitimè Cecrops iunxit vxores. Inde iam pueris, & patrem & matrem noscitantibus dictus est ipse Cecrops διφυὴς, quòd per illum pueri hoc essent consecuti. Hęc Isacius Tzetzes in Lycophronem. Cecrops primus fuit Atheniensium Rex, testante Eusebio in Chronicis. Cecrope regnante primùm in arce oliua orta est, & ex Mineruæ quoq; nomine Græcè, Athenæ nuncupatæ. Dicebatur autem Cecrops diphyes, id est, duabus naturis siue ob longitudinem corporis: siue idcirco quòd cùm esset

Cecrops quare dictus διφυὴς

Ægyptiis

Aegyptius vtramque linguam sciebat, Græcam & Aegyptiacam. Primus Cecrops bouem immolans Iouem appellauit: & Cecropia regio ab eo nuncupata. Floruit tempore Mosis anno mundi 3645. Hæc ex Eusebij Chronicis, quæ omnia & in præfatione posuit latiùs. Aliter Plutarchus in libello de Sera numinis vindicta: Perinde (inquit) ambiguè priscos de Cecrope fabulatos arbitror, non, vt aliqui asserunt, ex optimo Rege crudelem, & immitem factum esse Tyrannum: sed contrà cùm sub initium morosus ac terribilis fuisset, posteà perquam humanè ac placidè imperasse. Lógè aliter Iustinus, Ante Deucalionis tempora (inquit) regē habuere Cecropem, quem vt omnis antiquitas fabulata est, biformem prodidere: quia primus marem fœminæ matrimonio iunxit.

Cecrops primus bouem immolauit.

Iustin. li. 2.

Sic & Gigantes. Gigantes Titanis & terræ fuere filij: siue, vt alij volunt, terræ tantùm sine patre, vastissimis corporibus, serpentinis pedibus, tanta superbia, vt in Deos impetum fecerint, montibus super montes impositis: cuius rei causa Dij territi omnes mutatis figuris in Aegypto delituerunt. Tandem ab Ioue fulmine icti sunt, atque sub Aetnam, aliásque insulas detrusi. Quæ fabula videtur à vero traxisse originem: si quidem legimus in lib. Geneseos, gigantes turrim conatos struere, cuius cælum attingeret culmen, nisi Deus confusione linguarum eos ab incepto abstraheret. Dicti sunt Gigantes ἀπὸ τὸ ἐκ τῆς γῆς ἔναι, hoc est, quòd ex terra exierint, vt ait Orpheus,

Gigantes qui.

Fabulæ origo.

Gigantes vnde dicti.

οὐς

Οὓς καλέεσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐκμακάρεσσιν,
Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος ἐρατεινοῦ.

Id est,

Nomine gentili Diui hos dixere Gigantes,
Quòd geniti è terra, cæli sint sanguine creti.

Hesiodus quoque in Theogonia Erimyas, & Gigantes ex cruore cæli (cùm is à Saturno filio castraretur) in gremium terræ dilapso procreatos dicit. Idem latè prosequitur Gigantomachiã in eodem opere. Gigantum meminit Ouidius Metamorph. 1. Vbi eos vocat superûm contemptores, & anguipedes. Meminit & lib. 5. eiusdem operis, & 5. Fastorum sic ait,

Terra feros partus immania monstra Gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atque ait, in magnos arma mouete deos.
Extruere hi montes ad sydera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iouem.
Fulmina de cæli iaculatus Iuppiter arce,
Vertit in authores pondera uasta suos.

Et Claudianus in Gigantomachia,

Terra parens quondam cælestibus inuida regnis,
Titanumq; simul crebros miserata dolores,
Omnia monstrifero complebat Tartara cœtu.
Inuisum genitura nefas, Phlegramq; retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hostes
Fit sonitus, erumpunt crebri, &c.

Vide apud Erasmum Adagium, Gigantum arrogantia, & item adagium, Terræ filius. & Politianũ cap. 18. Miscel Scholiastes Homeri hanc fabulam in hanc sententiam narrat. Cùm Iupi-

ter patrem Saturnum, regno perturbasset, Deorúmque sibi principatum asciuisset, Gigantes, terræ filij succensentes, Tartesi, (quæ ciuitas est iuxta Oceanum) magnum bellum aduersus Iouem adornarunt. Iupiter verò illis obuiam factus, in Herebum deiecit, ac patri Saturno in ipsos imperium tradidit. Et Ophioni, qui cæteris superbia præstare videbatur, superato, montem ab eius nomine Ophionium superimposuit. Berosus Babylonicus de antiquitatibus, Circa Libanum (inquit) fuisse Enos vrbem maximam Gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur ab occasu Solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inuentis armis omnes opprimebant: libidiniq́ue inseruientes inuenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias. Mãducabant homines, & procurabant aborsus in eduliúmque præparabant, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis, & brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterent, contemptores religionũ & Deorũ. Homerus quoque in Batrachomiomachia, Terræ filios vocat Gigantes,

Ophion.

Gigantum praua consuetudo.

Γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα γιγάντων.

Terrigenumq́; uirûm simulantes facta Gigantum.

Quinta Luna aliquid aggredi inauspicatũ erat apud antiquos: erat enim hic numerus Mineruæ consecratus, quam sterilem esse constat. Hoc die canunt Poëtæ natum Orcum, Eumenides, & Gigantes. Vnde Virgil. 1. Georgicôn,

Quinta Luna inauspicata apud antiquos.

—— quintam fuge: pallidus orcus,
Eumenidesq́; satæ: tum partu terra nefando

Cœumq́;,

Cœumq́; Iapetumq́; creat, sæuumq́; Typhœa,
Et coniuratos cælum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam:
Scilicet atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum:
Ter pater extructos deiecit fulmine montes.

Hæc uafrum est species. Cicero de senectute, Nam quid est aliud Gigantum more bellare cũ Diis, nisi naturæ repugnare? Gigantes autem, vt ait Macrobius in Saturnal. lib. 1. cap. 20. quid aliud credendum est fuisse, quàm hominum quãdam impiam gentem, Deos negantem, & ideo æstimatam Deum pellere de cælesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant: quod significat, nihil eorum rectum, nihil superum cogitasse: totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.

More gigantũ pugnare quid.

Vide Crinitum lib. 2. cap. xi.

Pedes draconum volumina.

* * *

Ficta Religio.

EMBLEMA VI.

Regali residens meretrix pulcherrima sella,
Purpureo insignem gestat honore peplum.
Omnibus & latices pleno è cratere propinat:
At circum cubitans ebria turba iacet.
Sic Babylona notant quæ gentes illice forma,
Et ficta stolidas religione capit.

Origo emblematis.

EX Hieremia duxit principium huius emblematis sensus. Verba Cælij Rhodigini adscribam ex cap. 11. lib. 8. In sanctis (inquit) literis meretriculæ versutioris typum habet Babylon, quæ gentibus aureo poculo insciciam propinet: vnde scelerum mox agmen promicet, & errorũ inexpugnabilis acies. Apud Hieremiam cap. 51.

cap. 51. sic adnotatum comperi, Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. Sunt qui sermonis ornatum sic dici concipiant: quo vitiis inebrientur omnes, qui sit tamen in manu Domini Pontificio constitutus. Origenes: Babylonis (inquit) calicem aureum accipe, dogmatum prauorum verba pestifera, eloquentiæ cultu decora. Omnino per parabolam à Propheta dici ea scribit Nicolaus Theologus. Indicari autē Babylonis regem: is est (vt inquit Origenes) Nabuchodonosor, qui gentibus innumeris propinarit mæroris potū, superbè ac crudeliter, quod domini fiebat virtute, sibi arrogantius adscribens. Quod autem ad picturam huius attinet emblematis, latius explicatur in lib. Apocalypsis D. Ioānis cap. 17. Cuius verba huc retuli, vt passim leguntur, Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominis blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decē. Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius: & in fronte eius nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationū terræ.

Purpureo insignem gestat honore peplum. Peplum, seu peplus: vtroque enim modo dicitur, teste Cælio, vestis est mulierum propria, vt annotat Eustathius. Vnde & βαθύπεπλοι, & καλλίπεπλοι, & ἐλκεσίπεπλοι, & ταχίπεπλοι, mulierum epitheta sunt apud Homerum. Euripedes tamen viris

Peplum quid.

etiam tribuit. Seruius Mineruæ consecratã fuisse tradit Pallam, super illo Vergilij versu,

Crimibus Iliades passis, peplumq; ferebant.

Erat & hoc titulo Aristotelis Commentarius, in quo Ducum genealogias præter Aiacis exequebatur. Item velum curribus instratũ ad pulverem arcẽdum. Ponitur & pro instratis equorum. Est etiam fruticis genus apud Dioscorid.

Babylon. *Sic Babylona notant.* Babylon, de qua hîc loquitur Alciatus (Nã fuit alia in Ægypto à Cambyse Persarum rege condita) vrbs est Mesopotamiæ Chaldæorũ metropolis à Belo dicta per literarum reduplicationem & transmutationẽ, vt ait Magnus Etymologicus. Sed vt sacrę literæ docent à confusione potiùs dicitur, propter linguarum cõfusionem eorum, qui turrim ædificabant. Babel enim Hebræis confusio est. Huius vrbis pulcherrimam descriptionem, vide apud Q. Curtium lib. 5. & apud Diodorum Siculum libro 3. de rebus fabulosis: & apud Herodotum in prima historia circa finem.

Babel Hebræis.

Non

Non tibi, sed religioni.

EMBLEMA VII.

Orus Apollo lib. 1
Pausan. lib. 10. 4

Isidis effigiem tardus gestabat asellus,
Pando uerenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat,
Piásque genibus concipit flexis preces.
Ast asinus tantùm præstari credit honorem
Sibi, & intumescit admodùm superbiens:
Donec eum flagris compescens dixit Agaso:
Non es Deus tu (Aselle) sed Deum uehis.

PRimus quisque versus exameter est, secundus quisque trimeter Iambus. Epigramma desumptum ex quadam Gabriæ Græci fabella, cuius talis circunfertur translatio, Humeris asinus gestabat argenteum simulachrum, quod

Gabriæ fabellæ.

vnuquiſque occurrens adorabat. Superbia verò elatus nolens manere aſinus, audiuit, Non es tu Deus, ſed fers Deum. Affabulatio, Quòd oporteat eos, qui in dignitatibus conſtituti ſunt, cognoſcere ſe eſſe homines. Eraſmus in prouerbio, Aſinus portãs myſteria, ſic ait, ὄνος ἄγων μυστήρια, in eum dicebatur, qui præter dignitatẽ in munere quopiam verſabatur. Veluti ſi quis ignarus literarum bibliothecæ præfectus eſſet, Ariſtophanes in Ranis,

Νὴ τὸν Δι' ἐγὼν γ' οὖν ὄνος ἄγων μυστήρια.
Ἀτὰρ οὐ κατέξω ταῦτα τὸν πλειωχρόνον.

Id eſt,

Ita per Iouem ſum aſinus uehens myſteria.
Verùm iſta non iam ſuſtinebo diutius.

Vnde natũ adagium.

Interpres affirmat inde natum adagium, quòd olim quibus ad peragenda ſacra Eleuſina opus erat, aſino impoſita deportabatur. Quadrabit & & in eos, quorum opera alij duntaxat eſt vſui, cùm ad ipſos præter moleſtiam, nihil interim redeat. Veluti ſi quis cibos alij guſtet, quibus ipſi non liceat veſci. Huc alluſiſſe videtur Apuleius, cum ſe fingit aſinum Cererem Deam circunferẽtem. Suidas adſcribit, Demonem ad lapidem molarem referre, quem Græci ὄνον appellant: propterea quòd in ſacris, molis frumentariis coronas imponere cõſueuerint. Itaque torquebitur eleganter in eos, quibus immerentibus honos habetur. Veluti cùm indoctis doctoris titulus, pileum, & annulus, aliáque id genus inſignia tribuuntur. Hæc Eraſmus.

... molaris ὄνος Græcis.

lib. 7. & 8. Syriã Deã

Iſidis

Isidis effigiem. Io filia Inachi Regis Argiuorum cùm priſtinæ figuræ fuiſſet reſtituta (nam fecerat illam Iupiter vaccam, vt in 1. Metamorpho refert Ouidius) ab Aegyptiis pro Dea culta fuit, Iſisque appellata De qua multa Diodorus lib. 1. cap. 2. & alibi, qui ait, primos in Aegypto genitos homines, hunc mundi ornatum admirantes, vniuerſorúmque naturam, duos tantùm Deos, & quidem æternos credidiſſe: Solem & Lunam, & illum quidem Oſiridim, hanc verò Iſidem appellaſſe, vnde Iſidi apponunt cornua. Herodotus per Iſidem intelligi Cererem ab Aegyptiis tradit: vt per Oſirim Bacchum. Idem & Diodorus ſentit, atque etiam ipſius verba ſubiiciam, Quidam (inquit ille) Iſidem Iouis Aegyptij Regis filiam fuiſſe, eandémque cum Cerere eſſe, quæ ab Oſiride fratre vxor accepta, multa contulerit ad vſum vitæ humanæ. Prima enim triticum & hordeum, quæ priùs incognita hominibus caſu inter cæteras herbas oriebantur, inueniſſe fertur. Leges quoque Iſidem ſtatuiſſe ferunt, quibus iuſtitia æquè omnibus ſeruaretur, vi atque iniuria timore pœnæ ſublatis. Hac de cauſa priſci Græci Iſidem legiferam appellarũt, tanquam primam legum inuentricem, & quæ ſequuntur. Extat Plutarchi de Iſide & Oſiride Commentarius, quem vide, ſi plura de hac re cupis. Addam tamen aliquid quod ſit auctarij vice, ex eodem libro, in Sai Pallados erat templum, quam Iſim etiam arbitrantur, eiuſmodi præſcriptione, ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν

Isis cur cornua habeat.

Isis legifera.

ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πωθνητὸς ἀπεκάλυψε. Ego sum omne quod fuit, est, erit: meum peplum mortalis reuelauit nemo. Nec his multum dissimilia sunt, quæ tradit Diodorus. Ait nanque sacris literis in Isidis columna hæc fuisse scripta verba: Ego Isis sum Ægypti Regina, à Mercurio erudita: quæ ego legibus statui, nullus soluet. Ego sum Osiridis. Ego sum prima frugum inuentrix. Ego sum Ori Regis mater. Ego sum in astro canis refulgens. Mihi Bubasta vrbs condita est. Gaude, gaude, Aegypte quæ me nutristi. Cæterùm ne illud quidem silentio prætereundum fuit, quod narrat Eusebius in Chronicis, rapuisse Iouem Io Inachi filiam, in vaccámque transformasse. Quo tempore apud Hebræos Patriarcha Iacob regnabat.

Diodorus Sicul. de fabul. antiq. gestis.

Pando.

Pando ueneranda dorso. Pando, as, incuruare significat, vnde pãdus, incuruus. Verg. 2. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Et Ouidius 10. Metamorph. de apro loquens,

Protinus excußit pando uenabula rostro.

Mysteriũ.

Habens mysteria. Mysterium Latinè arcanum, sub quo arcani aliquid latet res occulta, quæq; nefas est vulgo efferri. Erant autem mysteria duplicia. Magna apud Eleusinem terræ Atticæ Cereri sacra. Et parua Proserpinæ. In quibus quæ agebantur sacerdotes summo silentio occultabant. Dicũtur μυστήρια ὅτι δεῖ μύειν τὰς θύρας ἔνδον, id est, quòd oportet occludere intus, intus custodire, nec cuiquam profano explicare. Vide prouerbium, ante mysteria discedere.

Quisquis.

Obuius ergo Deam quisquis. Quisquis, pro, quiquis

uis Thom. Linac. lib. 2. de part. enallage autor est, hæc nomina sæpe mutari, vt quisquam, pro, quiuis. & quisq; pro quisquis. Ios. Scaliger in Ausonium.

Piásque genibus flexis concipit preces. Concipere preces pro precari tantùm accipio, quidquid alij dicant. Sic aliquando loquitur Ouidius, vt in 8. Metamorph. Concipere preces.

Concipiunt Bauciſq; preces, timidúſque Philemon.

Et lib. 3 Triſt. Eleg. 13.

Libáque dem pro te genitale notantia tempus?
Concipiámque bonas ore fauente preces?

Quà

Mercurius acolos. 1. truncus ansam. lib. 9. 28

Qua Dij vocant eundum.

EMBLEMA VIII.

In triuio mons eſt lapidum: ſupereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij eſt igitur tumulus. Suſpende uiator
Serta Deo rectum qui tibi monſtrat iter.
Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite uitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe uiam.

Mercurius triceps.

EX prouerbio ἕπου θεῷ. id eſt, Deum ſequere. De quo Eraſmum conſule. Mercurius triceps olim effingebatur, & tricephalus dicebatur: quia Phyſicum, Ethicum, ac Logicum amplectebatur: ſeu quòd cæleſtis, marinus, ac terreſtris crederetur. Solebat in triuiis apponi cum inſcriptione in ſingulis capitibus, quò duceret

ceret via hæc, quò rursus illa.

In triuio mons est lapidum. Prouerbium subest, τὸ ἑρμαῖον, id est, mercuriale: quod Erasmus dum explanat multum sumit operæ: nec tamen quidquam proficit. Nos altiùs fabulam repetamus, vt loco difficili, qui Erasmum torquet, lucem aliquam afferamus. Didymus in lib. 16. Odysseę huiusmodi fabulam narrat ex Anticlide. Mercurius (inquit) præcipiente Ioue, vitam eripiens Argo Iûs custodi, ductus est in iudicium ab Iunone aliisque Deis impacta dica: eò quòd primus cæde mortalium dæmonum esset coinquinatus. Conueniunt in iudicium Dei: iudicant tamen par & æquum esse, vt Mercurius dicto Iouis audiens esset, quandoquidem illius est nuntius. Absoluentes denique à cæde Mercurium, surrexerunt, atque ad illius pedes niueas atrásque tesseras, quibus erat damnandus, vel absoluendus ille, proiecerunt. Inde mortales vsque in hæc tempora in Mercurij honorem per vias lapidum tumulum constituunt: quoniam Mercurius est viatorum Deus. Et hos tumulos vocant ἑρμαϊκὸς λόφος. Hæc Didymus, quem vide latiùs hæc narrantem. Quis iam dubitabit locum illum Prouerb. 26. ex hac antiquissima fabula posse interpretationem suscipere? Sicut qui mittit (inquit Salomon) lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inci- *insipienti*
pienti honorem. Quasi dicat, Inscitia est lapideo Deo obsequium præstare, lapides coaceruando ad illius statuam. Mittebant enim viatores lapides ad pedes Mercurij religionis gratia:

atqu-

atque inde erat, quòd ſimulachrum illud effingebatur pectore tenus, ne opera, & ſumptus fruſtrà conſumeretur in partibus inferioribus elaborandis, quæ mox lapidibus eſſent obruendæ. Vnde malè depicta circunfertur imago in Emblematibus.

Multi fuêre Mercurij.

Mercurij eſt igitur tumulus. Fuerunt multi Mercurij, ſicuti multi Hercules: ſed poëtæ vnum faciunt eloquentiæ præſidem, Deorum nuntium, mercatorum & furum Deum. Vide adagium, Expedit habere plura cognomina. Dictus eſt Mercurius à mercibus, vt ipſe videtur innuere apud Plautum in Amphit. Aut dictus, quaſi medius currens, quòd ſermo currat inter homines, veluti medius. Eloquentiæ nanque parens eſt. Vnde ſi quando ſilentium in multorum conciliabulis exoritur, dici conſueuit prouerbialiter, Mercurius ſuperuenit. Dictus eſt ἑρμὴς Græcè propterea quòd Græcos (vt refert Diodorus) verborum docuerit interpretationem. Vnde etiam eum Virgilius interpretem vocat.

Mercurius vnde dictus.

ἑρμὴς.

Nunc etiam interpres Diuûm Ioue miſſus ab ipſo.

Et paulò pòſt,

Interpres Diuûm fert horrida iuſſa per auras.

Nos multa conſultò omiſimus. Vide Cæſarem lib. 6. de bello Gallico. Et Macrobium Saturnal. 1. cap. 19.

Omnes in triuio ſumus. Vide Adagium, In triuio ſum.

Fidei

Fidei symbolum.

EMBLEMA IX.

Vide Xenoph. in Hyron.

Stet depictus Honos *Tyrio uelatus amictu,*
Eiusq; iungat nuda dextram Veritas.
Sitq; Amor in medio castus: cui tempora circum
Rosa ut, Dionés *pulchrior* Cupidine.
Constituunt hæc signa fidem, reuerentia honoris,
Quam fouet, alit Amor, parturitq; Veritas.

VErsus sunt exametri cum trimetris Iambis cõiuncti. Est autem huius Emblematis argumentum ex pictura quadam desumptum, quæ Romæ visitur in antiquo depicta marmore in regione Harenulę in domibus Dominorũ de Sancta cruce, cum inscriptione huiusmodi, FIDII SIMVLACHRVM. Sunt auten-

Emblematis huius origo.

tem tres imagines pectore tenus insculptæ: quarum media est pueri: Dextra pro inscriptione habet, VERITAS. Sinistra, HONOR. Inducti sunt omnes, honor & veritas cõiunctis cernuntur manibus. Hęc ex Iacobo Mazochio in volumine, quod ex epigrammatibus antiquę Romæ collegit. Ouidius Fastorum 5. nõnihil horũ attigit, cùm ex Honoris & Reuerentiæ coniugio ortam finxit maiestatem. Inquit enim,

Donec honor placidoq; decens reuerentia uultu
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc fata maiestas, quæ mundum temperat omnem,
Quaq; die partu est edita, magna fuit.

Et Pylades Brixianus in Theogonia lib. 1.

Se quondam læto Reuerentia iunxit Honori,
Et sacra maiestas protinus orta fuit.

Fidei simulachrum.

Fidei simulachrum antiqui Romani in Capitolio statuerunt, teste Cicerone Officio. 3. Qui iusiurandum (inquit) violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max (vt in Catonis oratione est) Maiores nostri esse voluerunt. Id quod etiam confirmat Plinius libro 35. cap. 10. dum dicit, Spectata est in æde fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis. Quo ritu Fidei sacra facerent, indicat T. Liuius lib. 1. ab vrbe condita, qui de Numa sic inquit, Soli Fidei solenne instituit, ad id sacrariũ flamines bigis curru arcuato vehi iussit: manúque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere: significantes fidem tutandam, sedémque etiam in dextris sacratã esse. Cicero de Legib. 2. Nostris (inquit) extra portam Collinam ædem

Honoris,

Honoris, & aram in eo loco fuisse, memoriæ proditum est, ad eam cùm lamina esset inuenta, & in ea scriptum, DOMINA HONORIS, ea causa fuit ædis huius dedicandæ.

Tyrio uelatus amictu. Tyrio, hoc est, purpureo. De inuentione purpuræ, vide Lazarum Bayfiú de re vestiaria, & Antonium Thylesium de coloribus. Et Politia cap. 12. Miscel. *Tyrius color.*

Eiusq; iungat nuda dextram. Dextra dicata est Fidei. vnde Virgilius in sexto,

Nec ueriti dominorum fallere dextras.

Sed hæc plenius enucleabũtur in titulo de concordia in illo loco, *In bellum ciuile duces, &c.* Veritatis proprium est epitheton, Nuda. quippe quæ non debeat esse tecta, nec fucata: sed simplex, & recta. Ita Horatius in Odis, Cui pudor, & Iustitiæ soror, incorrupta fides, nudáque veritas, quando vllum inuenient parem? *Nuda.*

Dione pulchrior cupidine. Dione Oceani, & Tethyos filia fuit, & vt Cicero in lib. de natura Deorum scribit, Venus tertia filia fuit Iouis & Dionis: hinc Dione sæpe apud Poëtas pro ipsa Venere ponitur. Statius 1. Syl. *Dione.*

Cædat equus Latiæ qui contra templa Dionæ.

Et Politianus in Nutritia,

— *Liuor & Sandalion ausus*
Carpere cùm dominam asseruit sua forma Dionem.

Ouidius in Fastis,

Hippolyte infelix uelles coluisse Dionem.

Et rursus,

Terribilem quondam fugiens Typhona Dionem.

Fœdera.

EMBLEMA X.



Hanc citharam, à lembi quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Musa Latina sibi,
Accipe dux: placeat nostrum hoc tibi tempore munus,
Quo noua cum sociis fœdera inire paras.
Difficile est, nisi docto homini, tot tendere chordas:
Vnáque si fuerit non bene tenta fides,
Ruptáue (quod facile est) perit omnis gratia conchæ,
Illéque præcellens cantus ineptus erit.
Sic Itali coëunt proceres in fœdera, concors
Nil est quod timeas, si tibi constet amor.
At si aliquis desciscat (uti plerumque uidemus)
In nihilum illa omnis soluitur harmonia.

MIttitur hoc emblema ad Maximilianum Ducem Mediolani Ludouici filium, cuius anteà meminimus. Sumpta est comparatio ex Oro Apolline Niliaco de literis hieroglyphicis in fine operis, cuius verba sunt, ἄνθρωπον συμνο-

χέα

χέα γὰ ἐναντιὸν βελόμβοι σημήναι λύραν ζωγραφῆσι. αὕτη γὰρ συνέχειαν φυλάττει τῶν ἰδίων κρασμάτων.

Id est, Hominem coniunctum & vnitiuum (vt sic dicam) significare volentes Ægyptij, lyram pingebant. Hæc enim cõtinuitatem, seu harmoniam propriarum seruat pulsationũ. Huc propè pertinet illud Diogenis Cynici, qui (vt refert Laërtius) Musicos in ius vocabat quod cùm lyræ chordas cõgruè aptarent, animi mores incõcinnos haberent. Idem videns quendam parum cordatum aptare psalterium, Nõ erubescis (inquit) qui sonos ligno aptes, animum ad vitam non componas? Prima carmina sic ordino, Accipe dux hanc cytharam, quæ fertur halieutica, à forma lembi, & quam musa Latina sibi propriam vendicat.

Diogenis apophthegma.

Citharæ propriè quæ

Cithara est musicum instrumẽtum in triquetam figuram compositum plus viginti chordis aptum, Hispanè dicimus *harpa*. In qua significatione vsus est Henricus Glareanus diligens antiquitatis scrutator in sua Musica. Hic tamen positam esse citharam ab Alciato, pro illo instrumento propè rotundo, quod Hispanè dicimus *Laũd*. Illa indicant verba, quæ à lembi forma, halieutica fertur, hoc est dicitur piscatoria. Nam ἁλιεύω piscor significat: & illud instrumẽtum habet formam scaphæ piscatoriæ. Credo autem fieri allusionẽ ex verbo græco ad Thuscum: si quidem Thusci Liutto, vocant illud organum, veluti à Græco deriuantes.

ἁλιεύ

Vendicat & propriam. Quia Itali plurimùm exercent hanc musicam, adeò vt propriam sibi

illam effeciſſe videatur. Quapropter inquit, hoc inſtrumentum Italum mitto, & non aliud: quia Itali principes coëunt in fœdera.

Halieutica. Halieutica. Vide Bayſium de re nauali. Lilius Gregorius in opuſculo de nauigiis ſic ait, Halias nauis eſt maritima apud Græcos notiſsima ab ipſo vt liquet mari appellata, ſcapha ſcilicet. Sunt qui eandem cum piſcatoria faciant, hoc eſt, ἁλιευτικὸν πλοῖον, certè & à noſtris Piſcatoria dicitur. In hoc genere reponuntur cymbæ, ſcaphæ, horiæ, lemunculi, &c.

Fides. Non bene tenta fides. Fides, inquit Feſtus Pompeius lib. 6. genus citharæ, dicta, quòd tantùm inter ſe chordæ eius, quantum inter homines fides, cõcordent: cuius diminutiuum fidicula eſt.

Harmonia vnde nata. Soluitur harmonia. Plutarchus in libello de vita Homeri explanans allegoricè Martis & Veneris adulterium, ſic concludit, Hinc fiet planũ, quod & ab aliis poëtis dictum eſt, ex Martis atque Veneris concubitu natam eſſe harmoniam ex contrariis, videlicet graui & acuto pugnantibus inter ſe proportione debita ſiue apta. Addam & illud pro Alciato: quoniam reprehenditur à multis, quòd protraxerit ſententiam à fine pentametri vſque ad partem ſequentis hexametri in illis verbis,

Vnaq; ſi fuerit non bene tenta fides.
Ruptáue.

Quod & ſi apud Græcos eſt frequentiſsimum, Latinorum tamen teſtimonio defenditur. Ouidius 1. Faſtorum,

Vtq;

Vtq; dies incerta sacris, sic tempore certo,
Seminibus iactis, est ubi fœtus ager,
State coronati plenum ad præsepe iuuenci.

Idem lib. 2. Fastorum,

Fortè fuit Naïs Lar nomine: prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat
Ex uitio positum.

Horatius Ode 2. 1. lib.

Néue te nostris uitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat.

Idem lib. 2. Ode 16.

Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ.

Silentium.

EMBLEMA XI.



Cùm tacet: haud quicquam differt ſapientibus amens.
Stultitiæ eſt index, linguaq́;, uoxq́; ſuæ.
Ergo premat labias, digitoq́; ſilentia ſignet:
Et ſeſe Pharium uertat in Harpocratem.

Sil[illegible]um [illegible]ntũ habeat autoritatis.

TAntum autoritatis & ornamẽti ſilentium obtinet, vt homini etiam imperito & indocto prudentiæ opinionẽ conciliet, ſi garrulitatis vitium nouerit cõprimere. Duo ſunt igitur elegantiſsima Palladæ epigrammata, Vnde hoc tranſtulit Alciatus. Primum ſic habet,

ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι, σιωπή.
μάρτυρα Πυθάγορον τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω.

ὅς

ὃς λαλέειν εἰδὼς, ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν.
Φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς ἐυράμενος.

Thomas Morus sic vertit,

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere.
Magnum hoc ad requiem pharmacon inuenies.

πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτερος ἂν σιωπῶν.
ἢ λόγον ἐγκρύπτων, ὡς πάθος αἰσχρότατον.

Sic ego Latinum feci,

Cùm tacet indoctus, poterit consultus haberi,
Si celet uerbum, turpe uelut uitium.

Hoc etiam confirmant & Hebræorum prouerbia. Stultus (inquit Solomon) si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua intelligens. Et illud quod de Xenocrate circunfertur: Dixisse aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Quamuis hoc Plutarchus in libello περὶ τῆς ὑγιείας tribuat Simonidi. Vide adagium, Silentij tutum præmium. Zeno Cittieus cùm vidisset adolescentem multa garrientem, Aures, inquit, tuæ in linguam defluxêre: submonés adolescentis esse multa audire, loqui pauca. Quare dicebat idem Zeno, Ob id binas habemus aures, os vnicum: vt plura audiamus, loquamur pauciſsima. Quapropter in ore habendum nobis esset semper epigramma Græcum illud, quod monet indecentium verborum linguæ sigillum esse imponendum: meliorem nanque esse verborum, quàm possessionum custodiam, Id est huiusmodi,

Cur binas habemus aures, os vnicum.

ἀῤῥήτων ἐπέων γλόσσῃ σφρηγὶς ὠλκείσθω,
κρείσσων γὰρ ἐπέων ἢ πτεάνων φυλακή.

Id est,

In uerbo linguæ imponantur claustra tacendis:
Præstat enim linguam, quàm moderêris opes.

Hesiodus in Ergis, lib. 2. in fi.

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἴουσης.
εἰ δὲ κακὸν εἴποις, τάχα καὶ αὐτὸς μεῖζον ἀκούσης.

Id est,

Lingua bonum eximium est homini, si pauca loquatur,
Siq; modum conseruet, inest tunc magna uenustas.
Si probris laceres, laceraberis illico peius.

Idem Hesiodus,

Parcæ linguæ maximus thesaurus.

Pindarus in Nem. Ode 5. καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ τοφωτάτων ἀνθρώπων νοῆσαι. Sæpenumero silere nouisse homini sapientissimum est. Idem Pindarus in Isthmo, Ode 1. Antist. 4. ἦ μὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένου εὐθυμίαν μείζω φέρει. Atque sępenumero tacuisse non parum gratię attulit.

Labia & labia. Ergo *premat labias.* Labra & labias indifferenter dixerunt antiqui. Apuleius lib. 2. de asino aureo, Ecce, inquit, nasus integer, incolumes oculi, saluæ aures, illibatæ labię, mentum solidum. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 2. currit ad labias mihi. Vide Gellium lib. 10. cap. 4.

Pharos. Et *sese Pharium.* Pharos Aegypti est insula teste Homero 4. Odysseæ: ergo Pharium, id est, Aegyptium.

Harpocrates. Vertat *in Harpocratem.* Harpocrates Deus fuit

Ægypt

Ægyptiorum ex Iside & Osiride, vel Serapide natus: cuius simulachrum ita apud veteres fingebatur, vt digito admoto ori silentium indiceret. Qualis & apud Romanos Dea Angerona. De qua multa Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 10. Vide adagium, Reddidit Harpocratem. Et vide Politian. in Miscellaneis cap. 83. Harpocratem intellexit Ouidius in illo carmine 9. Metamorph.

Dea Angerona.

Quiq; premit uocem, digitóque silentia suadet.

Dictus est & Sigalion, à verbo σιγάω, quod tacere significat: Vnde Ausonius ad Paulinum epistola 2.

Sigalion dictus Harpocrates.

Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet.

Huc alluſit Iuuenalis, cùm dixit Prouerbiali figura,

Digito compesce labellum.

Non vulganda consilia.

EMBLEMA XII.



Limine quod cæco, obscura & caligine monstrum
Gnosiacis clausit Dædalus in latebris:
Depictum Romana Phalanx in prælia gestat,
Semiuiroq; nitent signa superba boue,
Nosq; monent, debere ducum secreta latere
Consilia. autori cognita techna nocet.

Minotaurus.

Labyrinthus.

DEsumptum fuit epigramma vel ex lib. 11. Sexti Pompei Festi vel ex Vegetio, 3. de re militari cap. 6. Verba Festi sunt: Minotauri effigies inter signa militaria est: quoniam non minùs occulta esse debent consilia ducum, quàm fuit domicilium eius, labyrinthus. Minotaurus putatur esse genitus cùm Pasiphaë Minois

nois regis vxor dicitur concubuisse cum Tauro. Sed affirmant alij Taurum fuisse nomen adulteri. Vegetius sic. Tutissimum nanque in expeditionibus creditur facienda nesciri. Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt: vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo labyrintho abditus perhibetur: ita Ducis consilium semper esset occultum. Hæc illi. Proinde Antigonus Macedonum Rex Philippo filio multis præsentibus interroganti ac dicenti, Quando castra mouebimus? Nihil aliud respõdit, quàm, Num metuis, ne solus tubam non audias? Notans adolescentis imperitiam, qui hoc patrem multis audientibus percunctaretur: cùm in bello maximè celanda sint consilia principum. Idem ferè & Metellus senex. Instante siquidem quopiam, & eiusmodi quid efflagitante. Si (inquit) tunicam meam huius arcani conscium arbitrarer, continuò illam exutus concremarem. Vide Plautum in Milite act. 3. sce. 1. per aliquot Carmina.

Antigoni responsum.

Metelli præclarè dictum.

Valer. Max. 6. 7. c. 4.

Limine cæco & obscura caligine. Periphrasis est labyrinthi, qui erat in Creta, de quo Virgilius in 5. Aeneidos: & Ouidius 8. Metamorph. Alius fuit in Aegypto, cuius egregiam descriptionem, vide apud Pomp. Melam lib. de situ orb. 1. cap. 9. Vide etiam Plinium lib. 36. cap. 13. & lib. 10. cap. 4.

Monstrum. Minotaurum intellige, qui filius fuit Pasiphaes, Minois Regis vxoris, & Tauri, vt poëtæ fabulantur. Sed, vt Plutarchus asserit in vita Thesei, Pasiphaës, & Tauri (qui dux erat

Regis

Regis Minois) filius fuit adulterio conceptus.

Monstra quæ. Monstra vocantur errores naturæ. Facit enim casus errorem in natura: sicut Fortuna parit errorem in homine. Vt cum bonus alioqui Grammaticus, tamen barbarismum, vel solœcismum loquendo temerè facit. Physici monstra vocant ea corpora naturalia, quæ non habent iustum situm membrorum, neque consuetam Naturæ proportionem partium.

Gnosus. *Gnosiacis clausit.* Gnosus, siue Cnosus, siue Cnossus, vrbs est Cretæ insulæ, olim Cerathus dicta, nunc Candia, quondam Minois regia. Vnde Gnosus, Gnosius, & Gnosiacus.

Dædalus. *Dædalus in latebris.* Dædalus (vt ex Chronicis Eusebij dicitur) tempore Gedeonis Hebræorum ducis claruit. Athenienſis fuit, Mitionis filius, qui visus est simulachra feciſſe sese mouentia. Labyrinthum in Creta fecit, in quem post occisum à Theseo Minotaurum, vnà cum Icaro filio inclusus est: vnde cum aufugisset, propter inscrutabilem fugam (vt ait Palephatus) auolasse pennis existimatus est. De hoc autem latiùs, cùm agemus de Icaro.

Phalanx. *Phalanx.* Φάλαγξ, agmẽ militare, quo Macedones vtebantur, vt legione Romani. Cõtinebat 8000. armatorum. Verba Q. Curtij: Macedones Phalanges vocant peditum stabile agmen: vbi vir viro: armis arma conserta sunt. Est etiam animal araneo simile. Significat & internodium in digitis.

Semiuiroq; nitent. Alludit ad carmen Ouidij, in Epist.

Semi

Semibouemq; uirum. semiuiremq; bouem.

Qui quidem versiculus ex illis est, quos amici Ouidij ex ipsius operibus sublatos vellent. Qua de re extant verba Senecæ 2. Declamat. lib. in hunc modum: Rogatus aliquando ab amicis suis, vt tolleret tres versus, petiuit inuicem, vt tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Conscripserunt illi, quos tolli vellent secretò. Hic quos tutos esse vellet. In vtrisque codicillis iidem versus erant. Ex quibus primum fuisse narrabat Albinouanus Pedo, qui inter arbitros fuit, *Semibouemq;, &c.* Secundum, *Gelidum Boream, Gelidumq; Notum.* Ex quo apparet summi ingenij viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum. Aiebat interim decentiorem esse faciem, in qua aliquis nævus esset. Hæc Seneca.

Ouidius rogatus tres versus ex suis operibus tolleret.

Techna nocet. τέχνη, ars, artificium: aliquando pro dolo, astutia, impostura, fraude artificiosa: offucia (vt inquit Plautus) quemadmodum ars apud Latinos, quale est illud. *Sic ars deluditur arte.* Vtuntur & Latini Græca dictione. Terentius in Eunuchò, Parmenonis tam scio esse hanc technam quàm me viuere. Et in Prouerb. Technam hanc in te struxisti.

Techna.

Literæ illæ insigno depictæ S. P. Q. R. nihil aliud significant, quàm Senatus, populúsque Romanus. Titulus generalior est, quàm pro emblematis sensu. Nam dicendum fuerat: Non vulganda consilia ducum.

S.P.Q.R.

* *
*

Ne

Nec quæſtioni quidem cedendum.

EMBLEMA XIII.

Cecropia effictam quam cernis in arce leænam,
Harmodÿ (an neſcis hoſpes?) amica fuit.
Sic animum placuit monſtrare tiraginis acrem
More feræ, nomen uel quia tale tulit.
Quòd fidibus contorta, ſuo non prodidit ullum
Indicio, elinguem reddidit Iphicrates.

Leæna meretrix.

EX Plutarcho in libello περὶ τῆς ἀδολεσχίας, i. De loquacitate qui liber nondũ extat (quod ſciam) latinè. Pulchrum (inquit) & Leæna fortitudinis habet munus. Ea erat meretrix Harmodio & Ariſtogitoni familiaris. Erat & coniurationis aduerſus Tyrannos conſcia, & ſpem conceperat, vt fæmina, rem caſuram feliciter. Biberat enim ex communi cupidinis cratêre, atque argiis

argiis eiusdem Dei initiata, mysteriorum erat conscia. Verùm vbi de illis supplicium sumptũ est, ad quæstiones vocata, fateríque iussa, nullum ex reliquis coniuratis prodidit, sed forti animo fuit, referens viros illos nihil se indignos patientes, qui illam dilexerant. Athenienses autem æneam fabricantes leænam elinguem in vestibulis arcis constituerunt: vt fortè animal indicaret inuictam animi fortitudinem. Quòd verò lingua careret, silentij fidem ostenderet. Vide Erasmum in prouerb. Harmodij Cantilena Hæc Athenis cõtigêre (vt ex Chronicis Eusebij elicio (quo tempore apud Romanos Tarquinius superbus regnabat, Olympiade 65. Eusebij verba subiiciam, vt in Latinis Codicibus habentur. Armonius, inquit ille, & Aristogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt, & Lemna meretrix amica eorum cùm tormẽtis cogeretur, vt socios proderet, linguam suam mordicus amputauit. Hæc ille. Sed vides multa corruptè legi, nec solùm in Eusebio, sed in multis aliis aliter leguntur hæc nomina, & historia diuersè narratur. Quam si cupis videre, nec mihi fidem habes, vide Lilium Giraldum in Dialogo Poëtarum 3. cùm de Hipparcho loquitur. vide Lactantium Firmianum libro 1. de falsa religio. qui omnia confundit. Arrianum lib 3. de rebus gest. Alexand. Vide Alexand. ab Alexan. libro 1. cap. 3 Stephanum Nigrum, de nimio vitę luxu. Boccatium de Claris mulieribus, cap. 48. Petrũ Crinitum, De honesta disciplina, lib. 9. cap. 8. Aulum Gellium lib. 9. cap. 2. & lib. 17. cap. 21. Plinium

Orgijs

Tertul. in Apolog. & ad Nat. tyres.

Regãte quodã Tyranno Diogenẽ cyniculiusmodi ære pectorali statuã exculpsisse: quo, in quit Harmodius et Aristogiton fusi sunt

Quo tẽpore hæc contigerint.

Diuersè hæc legit & historia.

Val. Max. lib. 2 cap. 5.

Iamsom. lib. 1. 2

Simile quidam refert Val. Max. lib. 3. cap. de Patientia de Anaxarco. Idem lib. 2. cap. 5. De statuis Harmodij

Plinium, Naturalis historiæ lib.34.cap.8. & lib. 7.cap.23.& lib.34.cap.4.Aristotelem lib.2. Rethoricæ ad Theodecten, cap.42. & 44. Sed ne in ius vocer ab illis, qui librorum supellectile non ita sunt instructi,hanc historiam, paulò altiùs ex Thucydide clarissimo, diligétissimóque scriptore petamus.Is igitur lib.6.sic ait: Quam ego rem pluribus cõmemorando ostendam,nec alios Græcos,neque Athenienses ipsos de suis tyrannis,aut de re gesta aliquid compertum loqui.Etenim cùm Pisistratus senio in tyrannide decessisset,non Hipparchus,vt plerique opinantur,sed Hippias, qui erat natu maximus obtinuit principatum. Erat autem Harmodius quidam flore ætatis conspicuus,quem Aristogiton mediæ inter ciues conditionis vir adamabat, habebátque.Is Harmodius ab Hipparcho Pisistrati filio appellatus de stupro, non modò non expugnatus est, sed etiam querelam ad Aristogitonem detulit. Hic amatorio dolore affectus, extimescensq; Hipparchi potentiam,ne vi adolescentem sibi auferret,protinus insidias tendit ad destruendam pro sua facultate tyrannidem.

Interea Hipparchus cùm rursus sollicitando, Harmodium nihilo magis induceret, statuerat tamen vi nihil agere: sed in loco aliquo occulto.Cùm neque sic quidem proficeret, accingebat se ad eum contumelia prosequendum. Sororem Harmodij puellam nunciatam venire in pompa quadam ad gestandum canistrum, per suos à ministerio submouit, dicentes non permittere id magistratum, quia indigna esset.

Quod

Quod ægrè ferens Harmodius,& ob eum multò ægriùs Aristogiton, comparauerunt omnia, quæ ad conspirationem pertinebant: opperiebantur tamen festa, quæ dicuntur magna Panathenæa, quo tantùm die extra suspicionem erat,ciues eos,qui pompam misissent, in armis frequentes esse: & debebant ipsi quidem aggredi: opitulari autem sine mora ij qui erant inter hastatos. Fuerunt autem non multi coniurati occultandæ rei gratia: & quia sperabant eos etiam,qui conscij non essent,quamlibet paucis facinus audentibus: tamen ex repentina re cùm arma haberent, libenter se ipsos pariter in libertatem asserturos. Vbi dies festus aduenit, Hippias exterius in loco, qui Ceramicus dicitur,cum hastatis exornabat, quemadmodum oportebat, singula in pompa procedere. Harmodius autem atque Aristogiton cùm sumptis iam pugionibus ad opus prodiissent, conspicientes quendam de coniuratis cum Hippia familiariter loquentem, extimuerunt, arbitrati rem palam factam esse, tantúmque non se iam comprehensum iri. Itaque eum, à quo fuerant dolore affecti,& per quem omni statu periclitabantur, voluerunt primùm vlcisci, si possent, atque quo erant habitu vadentes introëunt portas,nactíque Hipparchum in loco, qui vocatur Leocorium, statim adoriuntur inconsultè, ac per itacundiam præcipuè alter ob amasium,alter ob dedecus,feriunt,occidúntque.Et Aristogiton quidem hastatos à principio deuitauit: verùm concursu multitudinis postea compre-

henſus non leuiter multatus eſt. Harmodius autem è veſtigio illic occubuit. Hæc Thucydides. Sed de Leæna nulla mentio.

Arx Athenarum. *Cecropia in arce.* Id eſt, in Acropoli. Sic enim dicebatur Athenarum arx, de qua Heliodorus librum ſcripſit. Tradit quoque Pauſanias in Acropoli, quæ olim dicebatur Polis, ſimulachrum fuiſſe Mineruę, quod è cælo delapſum tenet fama. Propendebat lychnus aureus Callimachi opus, qui ſemel oleo plenus, etiam ſi interdiu noctúque luceret, nunquam deficiebat. Lino Carpaſio conſtabat ellychnium, ſiue θρυαλλὶς, qui ignibus non abſumitur.

Simulachrum Mineruæ è cælo delapſum.

Fides tormenti genus. *Quod fidibus contorta.* Fides pluraliter, & fidiculæ tormenti genus, quo à tortore ſontes funibus alligatis manibus à tergo torquentur. Eius meminit Seneca, & Fabius. χειρισμὸς à Græcis dicitur.

Iphicrates. *Iphicrates.* Summus Orator, qui maximè fauebat Harmodio, aut ille, de quo meminit Plinius, vt retuli.

Conſilio

Consilio & virtute chimæram superari.

EMBLEMA XIIII.

Bellerophon (ut fortis eques) superare Chimæram,
Et Lycij potuit sternere monstra soli.
Sic tu Pegaseis uectus petis æthera pennis:
Consilioq; animi monstra superba domas.

EMblema sumptum est ex ipsius vocabuli etymo, conuersis aliquot literis. Nam Bellerophonta dixerunt, quasi βελησφόρον, id est, consultum & sapientem. Quod & innuit Homerus in Bellerophontis fabula 6. Iliados, qui illum sapientissimum nominat. Hæc ferè Fulgentius lib. 3. Mythologiæ. Fabulam narrat Pindarus latè ode 13. Olympiorum. Vide etiam Erasmum in prouerb. Bellerophontis literas.

Bellerophõ vnde sic dictus.

Sed quia multi hanc fabulam narrant, & vnusquisque diuersè, visum est mihi verba scholiastis Homeri ex libro 6. Iliados Latina facere, quæ si quis desiderat, non grauabor adscribere.

Historia Bellerophontis.

Bellerophontes (inquit) antè dicebatur Hipponus: sed post occisum Bellerum Corinthiorum dynastem, cœpit appellari Bellerophontes. Erat autem natura Neptuni filius, fama verò Glauci. Cùm autem accepisset à Neptuno Medusæ Gorgonis filiæ Pegasum alatum equum, in hoc aufugit, & cæde consanguinea perpetrata (occidit etenim, vt dixi, Bellerum quendam ciuem) Argos se contulit. Consequutus deinde expiationem à Præto, regis hospitio est vsus. Interim Antêa Præti coniux adolescentis amore correpta, cœpit illius animum ad stuprum sollicitare: ille hospitij religione permotus, cùm flagitium recusasset: Antêa verita, ne Præto prior Bellerophontes indicaret amores, illum apud maritum occultè defert, tanquam ab illo fuisset de stupro interpellata. Sed tamen Prætus nollens propria manu Bellerophontem perimere, ablegauit eum in Lyciam ad socerum Iobatem, literis illi nec-opinanti designatum facinus indicantibus datis. At Iobates adolescentem plurimis & maximis obiectans periculis, incolumémque atque inuictum semper euasisse cernens, re diligentiùs secum animaduersa, reperit tandem, meram hanc esse fallaciam, & calumniam. Non enim tantorum malorum cumulum viribus propriis superasset illæsus. Obtulit igitur illi Cassandram filiam in

vxorem

vxorem,& regni partem. Verùm Bellerophontes rebus feliciter gestis elatus, Pegaso insidens in cælum euolare statuit. Sed Iupiter id ęgrè ferens, œstrũ immisit Pegaso: vnde cecidisse Bellerophontem fama est, cecidisseq; in Lycię campo (qui ab huiusmodi euentu Aleius dictus est) errasseque ibi claudum,& mancum, accepisseq; Auroram dono ab Ioue equum illum, vt sine labore mundi plagas celeriùs posset circumire. Historia refertur ab Asclepiade. Hæc Scholiastes. Hesiodi tamen interpretes in Theogonia, Chimæram sensu allegorico tres exponũt Rhetoricæ partes, Dicanicam seu iudicialem, Panegyricam, seu demonstratiuam, Symbuleuticam, seu deliberatiuam. Ita vt leo iudicij referat genus, quod exterret, atque elingues quodã modo ex aduerso dicentes constituit. Chimæra verò siue capra præferat laudationis typum: quia lasciuit lætiùs tum qui dicit, tum qui audit. Draco denique obtineat Symbuleuticum genus, quod varium sit in primis,& longiori ad persuadendum vtatur orationis tractu. Monstri mater ab Hesiodo dicitur Echidna, quam nihil aliud esse volunt quàm variam multiformémque mentis vim, & multiplicibus implicitam spiris artem, Chimæræ instar ignis euomentem globos. Ait Hesiodus in Theogonia Chimęram tricipitem fuisse, capitáque habuisse leonis, capellę, draconis, citátque eadem Homeri carmina. Vnde licet addubitare, vter eorum prior floruerit: quãuis ego Homerum antiquiorem credo. Cętetùm pro huius emblematis apertiore intelli-

Chimæra sen u allegorico quid

Echidna.

Dubium vter prior fuit Homerus Hesiodo.

Chimeræ figmentũ, quid significet.

gentia sunt, qui Chimęrę figmentum ad veritatem reuocent. Vnde inquit Cælius lib. 13 cap. 9. Est, qui chimæram esse putet vitiorum quandam varietatem, ac multiformem (perinde ac Chimæræ est) vim, quam perimit Bellerophon, idest, vir bonus, prudénsque, qui Bellerophon cuncupatur, hoc est malorum occisor. Nam ex dialecto τὰ ἐλλερα vocantur mala. Sed accipe iam quid de hac re Plutarchus sentiat in libello de Claris mulieribus, cum de Lyciis loquitur. Quod in Lycia, inquit, cõtigisse ferunt, & si fabulosum videatur, rumor tamen publicus confirmauit. Amysodarus, vt ferunt, quem Lycij Isarem vocant, ex quadam Lyciorum colonia profectus Zeliam versus, plurimas Piratarum naues secum vehebat, quarum dux erat Chimarrus bellicosus homo, & manu strenuus; cætera ferox, & crudelis. Hic naui, cuius prora leonis pictura erat insignita: puppis verò draconis: Lyciorum regionem infestabat: atque ita, vt neque pręternauigare tutum esset, nec vicinas vrbes incolere. Hunc Chimarrum, vt ferunt, occidit Bellerophon, persequens illum Pegaso: qui, vt

Pegasus genus nauigij celerrimi.

coniecto, genus erat nauigij celerrimi. Sunt tamen qui dicãt Chimarrum fuisse monté quendam flammas & incendia ex sese eiectantem, cuius cineres per campos sparsi fructus, & arbores exsiccarent. Bellerophontem verò montem excidisse sua prudentia, atque planũ redegisse.

Noraphis.

Noraphis autem 4. lib. de Hercule narrat, fuisse aprum ingentem in Xantorum finibus, & fruges depopulantem, quem Bellerophon occiderit,

rit.quod mihi minimè videtur fabulosum.Hæc ex Plutarcho,sed conscisè.

Superare Chimæram. Chimæra,vt plurimorum est opinio,mons est Lycię, flammas, vt Ætna eiectans,in cuius cacumine leones habitabant, in medio propter pascua caprę:in radicibus serpentes.vnde finxerunt Poëtę monstrum esse eò quòd flammas euomat, caput & pectus leonis habens,ventrem caprę,& draconis caudam.vide Lucretium lib.5.& Palephatum. *Chimæra mons.*

Et Lycij potuit. Lycia regio est minoris Asię, quam rigat fluuius Xanthus, alius ab eo, qui Ilium pręterfluit,dicta priùs Termille, vt tradit Herodotus. *Lycia.*

Sic tu Pegaseis. Pegasus, de quo antè diximus, dictus est, vt ait Homeri Scholiastes 6. Iliad. ὅτι ἐκπεπιδήκει ἐκ τῆς τῆς Γόργονος τραγήλου. Hoc est, quòd salierit ex Medusę collo,aut potiùs, vt ait Hesiodus in Theog. ὅτι ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς γείνετο. Id est, quòd apud Oceani fontes sit natus. *Pegasus vnde dictus.*

Petis æthera pennis. Æther, vt autor est Aristoteles,libro 1.de Cęlo,cap. 3. ἀπὸ τοῦ αἰεὶ θέειν, id est,à semper currendo dicitur, cuius verba sunt: Aetherem superum locum appellauerunt à semper currendo,perpetuo tempore posita appellatione,cęlum ipsum,stellęque omnísque syderea compago intelligitur. Non, vt quidam putant,quòd igneus sit, & incensus,sed quòd cursibus rapidis semper rotetur. *Aether quid.*

***

Vigilantia & cuſtodia.

EMBLEMA XV.



Iſtantis quòd ſigna canens det gallus Eói,
Et reuocet famulas ad noua penſa manus:
Turribus in ſacris effingitur ærea mentem
Ad ſuperos peluis quòd reuocet uigilem.
Eſt leo: ſed cuſtos oculis quia dormit apertis:
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Orus Apollo.

EX Oro Apolline, vt mox oſtendemus. Addit tamen Alciatus campanam & gallum ex communi vſu. Obſcurum eſt emblema, & malè diſpunctum in Codicibus, quos hactenus mihi contigit videre. Dicam tamen, quod ſentio, liberum vnicuique interpretandi campum relinquens. Titulus igitur huius epigrammatis

eſt,

est, *Vigilantia & custodia.* Videamus ergo quo pacto hęc ex epigrammate eliciãtur. Ac primùm duplicem hîc depingit Alciatus vigilantiam, alteram corporis, mentis alteram. Corporis vigilantiam Gallus referat, qui homines ad labores solet excitare. Campana verò, quia mentem ad Deum excitat, symbolum interioris vigilantię contineat. Hactenus de vigilantia. Custodiam autem repręsentet leo, qui apertis oculis solet dormire, tum sic structuram ordino: Gallus effingitur in sacris turribus, quòd det signa instantis Eoi, & quòd reuocet famulas manus ad noua pensa. Ærea peluis, scilicet, effingitur in sactis turribus, quòd reuocet mentem vigilem ad superos. Sed leo custos est, quia dormit oculis apertis. Nunc aliqua verba percurramus.

Duplex vigilantia.

Leo custodiæ signũ.

Instantis Eoi. Hoc est matutini temporis. Eos enim, Grecè ἠὼς, aurora est. Vnde Ouidius in Fastis, lib. 3. in fine,

Eos.

Tres ubi luciferos ueniens præmiserit Eos.

Sed pro poëseos studiosis pauca super hęc annotabimus. Vocalis η. apud Grecos longa est: Latiníque cùm Grecas voces huiusmodi transferunt η, in e, longum commutant, quod Ouidius fecit in carmine citato. Sed euenit aliquando vt Grecę dictiones, quę per η scribuntur, eędem & per ε enuntientur: quod hîc fit. Nam Grecè ἠὼς, & ἐὼς dicitur. vnde Propertius lib. primo, vno disticho vtramque quantitatem est complexus,

ἠὼς & ἐὼς.

Siue illam Hesperiis, siue illam ostendet Eois:
Vret & Eoos, uret & Hesperios.

Luciani de Gallo fab.

Canens de Gallus. Lucianus in Dialogo, qui inscribitur Somnium, seu Gallus, multa differit de gallo, è quibus pauca ex Erasmi tralatione huc conieci, quia non sine iocunditate leguntur. Loquitur Micyllus in hunc modum ad gallum, Profectò & olim istiusmodi quiddam de vobis audieram, adolescentulum quempiam fuisse Gallum, Marti adamatum, atque huic Deo compotasse, colluisitasseque & in voluptatibus gessisse morem. Itaque cùm Venerem adiret Mars, cum ea concubiturus, hunc Gallum vnà secum adduxisse. Quoniam autem Solem potissimùm metueret: ne si è sublimi conspexisset, Vulcano se proderet, foris ad ostium adolescentulum semper relinquere solitum, cuius indicio certior fieret, quando Sol emergeret. Deinde Gallum aliquando somno correptum excubias deseruisse insciente: Solémque nullo præsentiente imminuisse Veneri ac Marti securè dormienti, propterea quòd confideret Gallum indicaturum fuisse, si quis interueniisset. Itaque Vulcanum à Sole edoctum, eos deprehendisse implicitos, atque irretitos his vinculis, quæ iam olim in illos fuerat fabricatus. Porrò Martem, simulatque dimissus est, indignatum aduersus Gallum fuisse, atque eum in auem transmutasse, iisdem armis, vt in capite, pro galea, cristam obtineret. Hanc ob causam quò vos Marti purgetis, cùm iam nihil opus, simulatque Solem exorientem sensistis, multò antè vociferari, atque illius exortum prænuntiare. Hæc Lucianus: & multa alia ibidem. Aristophanes in Fabula,

Fabula, cui titulus ὄρνιθες, lepidam narrat fabellam, imperasse scilicet aliquando Gallum Persarum genti, (quare quoque auis Persica dicitur) vnde etiam tiaram gestat rectam, quod solis regibus erat concessum. Adeò verò formidolosum & durum imperium illud fuisse: vt nunc quoque gallis canentibus cuncti mortales, ceu mulctam reuerentes ad opera peragenda prosiliant. Erasmus in adagio, Priùs quàm Gallus iterum cecinerit, causas reddit, cur noctu canat gallus ex Plinio & Cicerone, atque aliis, quem vide.

Gallus dominatus Persarum genti.

Priusquàm gallus iterùm cecinerit.

Turribus in sacris. Hoc est in templis. Apud nos Salmanticæ multis in nobilium turribus visitur huiusmodi effictus gallus: vt possimus facilè inspicere, qua regione ventus inflet. Interroganti mihi cur potissimùm gallus huic inseruiret negotio, aliqui dixêre, proprium esse gallinaceorum rostrum ad ventum dirigere.

Cur gallus præfigatur turribus.

Aerea mentem ad superos peluis. Peluis ærea dicitur campana. Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 11. sic ait, Dubitabilior est alia quæstio, an immodici importunique campanarum peluium pulsatores officio iudicis compelli possint, vt cessent. Et sciendum veteribus non fuisse hunc morem, sed instar peluium fabricata hæc vasa campanas appellari cœptas, quòd ex Cãpano ære conflatæ essent. Vnde prouerbium in loquaces & obstreperos, Dodonæum æs: quòd in Dodona duæ essent columnæ: in altera peluis ærea, in altera puer cum flagro peluim, vento impellente percutiens, vnde tinnitus in multas horas perd

Peluis ærea

perdurabat. Iuuenalis,

Tot pariter pelues, tot tintinabula credas.

Hæc Alciatus.

Orus Apollo.

Est leo sed custos. Hoc totum sumpsit Alciatus ab Oro Apolline Niliaco, qui libellum de Hieroglyphicis notis Græcè composuit, cuius verba subiiciam, Vigilantem vel custodem cùm voluissent significare, leonis caput pingebant. Solet etenim cùm vigilat oculos habere clausos leo: cùm verò dormit, apertos, quod quidem custodiæ signum est. Hinc symbolicè leones templorum claustris solent apponi, veluti custodes. Hæc Orus. Dicitur autem leo (nam Græcum nomen est) ὁρᾶ τὸ λέω, quod est video: nam fera est perspicacissimi visus. De quo si plura cupis, vide Aristotelem de historia animalium, & Oppianum in 3. & 4. de venatione. Et Plinium Natur. histo. lib. 8. cap. 16. qui asserit ibi, leones nunquam limis oculis intueri: de oculis adapertis non meminit. Vide Cælium Rhodiginum, lib. 3. cap. 8. & lib. 6. cap. 13.

Leo vnde dictus.

* *
*

Sobriè

Sobriè viuendum, & non temerè credendum.

EMBLEMA XVI.

Ne credas, ne (Epicharmus ait) non sobrius esto,
Hi nerui, humanæ membraque mentis erunt:
Ecce oculata manus credens id quod uidet. Ecce
Pulegium, antiquæ sobrietatis olus,
Quo turbam ostenso sedauerit Heraclitus,
Mulxerit & tumida seditione grauem.

CIcero epistola penultima lib. 1. ad Atticum sic citat hoc carmen, Νῆφε, καὶ μέμνασον ἀπιστεῖν ἀνέρα φρονοῦντα ταῦτα, hoc est, Esto sobrius, & memineris virum, qui sic sapiat, non oportere esse credulum. Sed quia Erasmus deprauatum esse versiculum testatur, eius verba subiiciam

ſubiiciam ex adagio, Nemini fidas, niſi cum quo priùs modium ſalis abſumpſeris. Idem admonet (inquit) illud Epicharmi, Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, id eſt, ſobrius ſis, ac memineris nemini confidere. Verſus integer refertur apud Ciceronem lib. epiſt. ad Atti. 1. Atque ita tamen nouis amicitiis implicati ſumus, vt crebrò mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmus, cantilenam illam ſuam,

Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν ταῦτα νεῦρα τῶν φρενῶν.

Reſtitutio verſus Epicharmi.

Sic enim carmen Trochaicum è veſtigiis Codicum reſtituimus, ne quis temerè deprauet. Nam quod Νᾶφε dixit, pro Νῆφε, & μέμνασο, pro μέμνησο, dialecti proprietas eſt. Cicero in libello de petitione conſulatus, Quamobrem Epicharmion illud teneto, neruos atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere. Hactenus Eraſmus. Vide item apud eũdem parœmiam, Fiducia pecunias amiſi. Vide Alciatum lib. 4. Parerg. cap. 8. circa finem.

Ne *credas*. Conuenit cum Epicharmi ſententia Theognidis verſiculus,

Πίστει χρήματ' ὄλεται, ἀπιστείη δ' ἐσάωται.

Id eſt,

Fiſo res periit, diffiſo ſalua remanſit.

Licet nemini fidere ſit inhumanum, omnibus verò fidere ſtultum. Quare pulchrè Heſiodus,

Καὶ κασιγνήτῳ γελάσας ὀπιμάρτυρα θέσθαι,
Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Id eſt,

Si quidquam cum fratre tibi eſt, teſtem adiice rebus,
Subridens, nocuit non credere, credere ſemper.

Seneca

Seneca epiſtola 3.lib.1. vtrumque enim vitium eſt,& omnibus credere,& nulli.

Epicharmus ait. Epicharmus, vt ait Diogenes Laertius, Elothalis filius, fuit Pythagoræ diſcipulus. *Epicharmus.*

Ecce occulta manus. Verba Eraſmi ſubſcribam ex adagione oculatæ manus. Oculatas manus dixit Plautus,quæ promiſſa velint exhiberi re, non oratione promitti. Nã oculos habere,quibus videant exhibita,aures non habere, quibus audiant pollicitationes. Ita lena quædam in Aſinaria adoleſcenti montes aureos pollicitanti, cùm illa nihil commoueretur promiſsis:Semper,inquit,oculatæ noſtrę ſunt manus,credunt quod vident.vide adagium, Oculis magis habenda fides, quàm auribus. *Oculata manus quid.*

Pulegium antiquæ. Pulegium Gręcè γλήχων, id eſt, glechon ſeu glachon.Cæterùm pulegio ſtomachi vitia tolli, teſtatur Dioſcori. lib.3 cap.31. Ναυτίαςε, inquit, καὶ δηγμοὺς ςομάχου μετὰ ὀξυκράτου ποθεῖσα παραμυθεῖται. Hoc eſt,nauſeas & eroſiones ſtomachi poſca, (id eſt, vino, quod aceto & aqua temperatum eſt) lenit.Dixerat antè, hanc herbam eſſe λεπτὺν, τικὴν, θερμαντικὴν, καὶ πεπτικὴν, id eſt,extenuatiuam,calefactiuã, concoctionis adiutricem. vide Gręcum epigrãma lib.2. εἰς φειδεύλους. quod ego ſic verti. *Pulegium.*

Non Glechone Criton, aſt ſordidus æris odore
Vexatum ſtomachum ſæpe dolore leuat.

Sedauerit Heraclitus. De Heraclito alibi ſumus dicturi. Eius factum, cuius hîc mentionem facit Alciatus, vide apud Eraſmum in Apohtheg. lib.

lib.8.& apud Commentatores Dioscoridis, in verbo, Glechon, & apud Cælium Rodiginum lib.13.cap 5. Sed & cur non Erasmi verba apponemus? Heraclitus philosophus in seditione rogatus, vt apud populum sententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi posset in concordiam, conscenso suggesto, popoſcit calicem aquæ frigidę, & paululum farinæ insperſit, mox de glechone admiscuit, id est vel pulegij syluestris, vel leguminis genus. Dein epoto calice discessit. Nec verbum addidit: hoc pacto innuens ita demum ciuitatem carituram seditionibus, si repudiatis delitiis paruo contenti esse assuescerent. Et hic Heraclitus suo respõdit nomini. Nam σκοτινὸς dictus est, id est, tenebricosus. vide adagium, Tymbra victitans.

Heraclitꝰ apophthegma.

Πῆ παρέβην? Τί δὲ ἔρεξας? Τί μοι δέον, ἢ ἐτελέσθη?

Quid excesi? quid admisi?

EMBLEMA XVII.

Italicæ Samius sectæ celeberrimus autor
Ipse suum clausit carmine dogma breui,
Quò prætergressus? quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem urgens reddere quemque sibi.
Quod didicisse grauis uolitantum ex agmine fertur,
Arreptum gestant quæ pedibus lapidem,
Nec essent, neu transuersas mala flamina raptent, Ne cessent,
Quæ ratione hominum uita regenda fuit.

ERasmus in adagio, Quò transgressus, laudat plurimum hunc versiculum: & meritò. Nam si sic exerceremur quotidie, fieret vtique vt meliores, imò sanctissimi euaderemus. Ait ta

Erasmus immemor, cuius esset hic versiculus.

men Erasmus, se nescire cuius sit versiculus, quę apud Homerum non reperiat. Inuenies tamen illum in aureis Pythagorę carminibus. Vnde Virgilius, siue quisquis ille fuit, qui carmen de viro bono composuit, præcipua sibi sumpsit. Atq; aliqua ex Pythagoricis versibus subiiciã:

Μήδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τρὶς ἡμερινῶν ἔργων τιὰς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Virgilius,

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.
Quò prætergressus? quid gestũ in tempore, quid non?

Sic Horatius Satyra 4. primi Sermonũ, ex persona sua docet quo pacto quis se ipso melior euadat. Inquit enim,

— Neque enim cùm lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi, rectius hoc est:
Hoc faciens uiuam melius: sic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non belle: nunquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? hæc ego mecum
Compressis agito labris.

Humanæ vitæ lapsus in tribus consistit.

Versiculum verò ita explicat Erasmus,

Lapsus ubi, quid feci, aut officij quid omissum est?

Omnis autem humanæ vitæ lapsus consistit in tribus. Aut cùm secus facimus, quàm oportet: hoc est plus minúsve, quàm decet. Huic errori respondet illud πῆ παρέβην; aut facimus, quod omissum oportuit. Cui respõdent illa τί δ' ἔρεξα. Aut omittimus, quod factum oportuit, ad hoc pertinet extrema particula, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη, & quę sequuntur. Refert eundem versum

sum Plutarchus in libello de curiositate.

Italicæ Samus. Pythagoram intelligit, qui Samius fuit, Demarati mercatoris locupletissimi filius, vt quidam aiunt, quanquam Diogenes Laërtius, multos, ex multorum sententia, illius numerat patres. Multas peragrauit regiones discendi causa. Tandem Crotonem venit Italiæ oppidum. Atque illa Italiæ pars, vbi Pythagoras suum tradidit dogma, magna Græcia fuit appellata. Primus omnium μετεμψύχωσιν inuenit, id est, animarum de corporibus in corpora trāsitum: ideóque vetuit carnibus vesci. De quo vide multa apud Ouidium libro vlti. Metamorpho. in princip. Et vide Politianum in Lamia. Diogenem Laërtium, Aulum Gellium lib. 1 cap. 9. & libro 17. cap. 21. & lib. 4. cap. 1. & Titum Liuium, lib. 1. ab vrbe cond.

Pythagoras Samius

μετεμψύχωσιν Pythagoræ.

Clausit suum dogma. Suum dogma, hoc est, totam suam Philosophiam breui carmine circumscripsit. Dogma verò dictio est Græca, sententiam, edictum, decretum, placitum, dicitur ἀπὸ τ̃ δοκεῖν, quod est opinari. De dogmate vide plura in epistola 96. Senecę.

Dogma.

Quod didicisse gruum. Plinius Naturalis histo. libro 10. cap. 23. hæc de gruibus tradit, Certum est, Pontum transuolaturas, primùm omnium angustias petere inter duo promontoria Criumetopon & Charambin: mox saburra stabiliri. Cùm medium transierint, abiici lapillos è pedibus: cùm attigerint continentem, è gutture harenam. Idem ait Solinus & Cicero 2. de Natura Deorum. Alciatus libro primo Parer-

Gruũ prudentia.

Vide adag. Grus sapides deglutiti

gon, cap.20. exponens locum Pollucis, sic ait, Metaphora à gruibus sumpta est, quæ in terram descendunt surripiēdi alicuius lapidis causa, quem pede retinent, vt in alto volantes, eo demisso experiantur ex cadentis strepitu supra mare, an verò supra terram volitent, vt Suidas & Aristophanis interpres in Apibus ostendit, &c. Contrarium tamen tenet Aristoteles, cuius hæc sunt verba, in libro de Natura animalium 8.cap.12. Sed auium grues (vt dictum est) ex vltimis in vltima abeunt. Volant flatu secundo. Quod de lapide narrant, falsum est. Lapidē enim tenere eas fulmento, quem vbi deciderit, accipi vtilem ad auri probationem aiunt.

Aristoteles contrarium asserit.

* *
*

Prudentia.

Prudentia.

EMBLEMA XVIII.

Iane bifrons, qui iam transacta, futuraq; calles:
Quiq; retro sanas (sicut & ante) uides.
Tot te cur oculis, tot fingunt uultibus? an quòd
Circunspectum hominem forma fuisse docet.

SVmptum videtur hoc problema ex Plutarchi problematis, licet historia de Iano sit notior, quàm vt Alciatum nostrum velimus adiscere, vt alicundè compilauerit. Ianus Rex fuit Italiæ, qui Saturnum ruris culturam edocuit. Templum Iani, vt author est Plinius, Numa Pompilius primus instituit. Verba Plinij sunt, lib. 34. cap. 7. Præterea Ianus geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis belliq; argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum

Ianus rex Italiæ.

dextra T, in
istra ξ, ε. aut
feras ad positum
igitorũ in suppu
tione per digitos

quinquaginta quinque dierum nota per significationem, anni, temporis, & æui se Deum indicaret. Hæc ille. Erasmus autem in prouerb. A fronte atque à tergo: hæc de Iano scribit: Antiquitas Ianum bifrontem fingens, regum prudentiam indicabat, quorum est, & præterita meminisse, perpenderéque, & futura prospicere. Quamobrem & diuinitati duas comites addebant, Anteuortam, & Postuortam, quas olim religiosè colebãt Romani, vt indicat Macrob. in Somnio Scipionis lib. 1. Vide etiam prouerbium, Alter Ianus. Multa Ouid. de Iano lib. 1. Fastorum, quæ causa breuitatis omisi, illinc pete cur dicatur biceps, cur baculum dextra, clauémque sinistra contineat. Cur vocetur Patulcius Clusius, & alia multa. Effingebatur præterea Ianus quadrifrons, quòd quatuor mundi plagas maiestate sua cõplecteretur, vel quòd quatuor habeat annus partes, ver, æstatem, hyemem, autũnum. Dicitur Ianus, quasi Eanus ab eundo. Ianus enim pro cælo & mũdo capitur, cuius munus est, & officiũ semper ire. Vel dicitur à Ianua, vt videtur sentire Ouid. 1. Fasto.

Ianus bifrons.

de Crinitũ lib. .. cap. 10

Anteuorta & postuorta.

Ianus Patulcius & Clusius.

Ianus vnde sic dictus.

Præsideo foribus cæli cum mitibus horis,
Et redit officio Iuppiter ipse meo.
Inde uocor Ianus.

Alij potiùs Ianuam à Iano dictam volunt: alij dictum Ianum ab hiando contendunt: quoniam chaos ipse sit teste Ouidio,

Me chaos Antiqui (nam sum res prisca) uocabant.

Vide Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 9. si plura de Iano cupis.

Iane

Iane bifrons. Sic Virgilius in 7.

— Ianiq; bifrontis imago.

Ouidius bicipitem vocat.

Iane biceps, &c.

Quiq; retro sannas.

Alludit ad illud Persij Satyra 1.

O Iane à tergo, quem nulla Ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas
Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, tantum.
Vos ô Patricius sanguis, quos uiuere fas est,
Occipiti cæco, uenienti occurrite sannæ.

Est porrò sanna idem quod scomma vel ludibrium, vnde subsannare, Hispanè *mofar*. Apud Cratinum (inquit Cælius Rhodiginus) sannas fatuum indicat. Vnde & sanna verbum Latinis frequens, puto, defluxit: etiamsi à sonitu Grammatici opinentur ductum. *Sãna quid.*

An quòd circumspectum. Hæc non est interrogatio poëtis, aut oratoribus familiaris: nec enim hîc dubitat, aut dubitando interrogat. Sed modus loquendi est, Aristoteli in problematis peculiaris qui omnia proposita porblemata soluit per hanc particulam, an, vt suprà diximus.

Berosus Babylonicus lib. 3. Antiquitatum scribit Noë alio nomine vocatum cælum, tributúmque illi cognomen Ianus à Iain, quod apud Aramæos & Hebræos sonat vinum, à quo Ianus, id est, vinifer & vinosus: quia primus vinum inuenit: cuius vi & vapore ebrius effectus, cùm minùs pudicè in terram cecidisset, Cham eius filius Magicus, & Veneficus (quem postea Aegyptus Saturnum Iuniorem coluit) *Noe dictus Ianus.* *Cham magicus.*

patris virilia comprehendit, tacitéque ſubmurmurans carmine magico patri illuſit, ſimul & illum ſterilem perinde atque caſtratum effecit. Neque deinceps Noë fœmellam aliquam fœcundare potuit. Hinc orta fabula apud Poëtas, licet tempora non conueniant.

Prudens magis, quàm loquax.

EMBLEMA XIX.

Noctua Cecropiis inſignia præſtat Athenis,
Inter aues ſani Noctua conſilij.
Armiferæ meritò obſequiis ſacrata Mineruæ eſt,
Garrula quo cornix ceſſerat antè loco.

EX fabula Ouidiana, quæ refertur 2. Metamorphoſ. quam quia longiuſculè enarrat Ouidius, breuitati conſulens omitto. Hoc tamen

men in summa dicam, Coronidem è ministerio Palladis propter loquacitatem expulsam, in cuius locum successerit Nictymene. Sed & adhuc imperfectus est Epigrammatis sensus, nisi paucula addantur ex prouerbiis. Noctua volauit, &, Athenienſium inconsulta temeritas, &, Vlulas Athenas. Ea sunt huiusmodi: Cùm Neptunus à Minerua victus non posset Attica Regione potiri, iratus immisit illis δυσβελίαν, id est, leuia stultáque consilia. Hoc Minerua non mutauit, sed quod illi malè statuissent, illa in bonos exitus vertebat. Vnde natum prouerbium, Noctua volat: quoniam hæc auis sacrata est Mineruæ, & auspicata consiliis credebatur, eiúsque volatus Athenienſibus erat victoriæ symbolum. Hinc factum est, vt Athenienses non solùm in numis, tum aureis, tum argenteis noctuam insculperent: sed etiam in templorum foribus, & in portis vrbis, atque etiam in vexillis idem signum apponendum curauerint: vnde dictum est, Noctuas Athenas. Quod idem sonat, ac si dicas, in montem fers ligna. Habes cur noctua præstet insignia Athenis. Cur item dicatur sani consilij: ab effectu scilicet: quia eius volatus ratum & auspicatum consilium reddebat. Nam quod quidam referunt, verba illa sani consilij, ad fabellam Angeli Politiani, quæ est in fine Lamiæ de noctua & cæteris auibus, mihi sanè non placet: suum tamen cuique esto liberum iudicium. Illud magis mirandum est, qua causa ductus Erasmus vertit Græcum prouer-

Coronis.

Noctua volat.

Athenienses noctuas vbique pingebant.

In Erasmum.

bium γλαῦκας εἰς ἀθήνας. Vlulas Athenas, cùm vertendũ fuisset Noctuas Athenas. Nam γλαυξ propriè noctuam significat: ὠγώλιος vlulam. Neque eadem est noctua cum vlula, quod ex Aristotele liquet. Præterea vlula quamuis inter aues nocturnas nominetur, solet venari picas: noctua mures, lacertos & huiusmodi bestiolas, vt idem est author. Plinius etiam lib. 10. cap. 12. Aristotelis verba transferens ait, Vncos vngues & nocturnæ aues habent, vt noctuæ, bubo, vlulæ. Vlula hispanè antillo, noctua, lechuza.

antillo.

Phornutus.

Sacrata Mineruæ. Phornutus in lib. de Natu. Deor. causam reddit, quare noctuæ Mineruæ sacra sit his verbis, οἱ δὲ δράκοντες καὶ ἡ γλαυξ δέχε τὸ ἐμφερὲς τῶν ὀμμάτων ἀνατεθειται ταύτη τῇ γλαυκωπίδι θεᾷ. Id est, Dracones & noctua ei consecrati sunt propter oculorum similitudinem: siquidem ipsa glauca est.

Vide Lamiam Politiani.

Garrula quo cornix. Virgines silentium decorat, garrulitas dedecorat, vt posterius dicemus: ideo cornix, quæ loquax est, ex Mineruæ ministerio fuit expulsa, Noctua verò ascita. Vide Ouidium loco citato. Est quoque magna simultas inter cornicem & noctuam, vt inquit Aristot. lib. 9. De historia animalium, cap. 1. Cornix meridie oua surripiens noctuæ, absumit, cùm non clarè interdiu noctua videat. Noctua contrà oua cornicis noctu exedit: estque altera interdiu, altera noctu potentior. Sed die vel cæteræ auiculæ omnes noctuam circũuolant, quod mirari vocatur, aduolantésque percutiũt. Quapropter

Simultas inter Cornicem & noctuam.

propter aucupes ea constituta auicularum genera multa & varia capiunt. Vide Ælianum & Oppianum, de aucupio. Noctua, inquit Bocatius, ideo Mineruæ est attributa pulsa cornice, vt ostendatur, sapientem præmeditatione in obscuris sepositа, noscere, vti & noctua videt in tenebris, & loquacitate, atque garrulitate repulsa, vt opere agat, loca, tempúsque respicere. Fabula videtur ex vero traxisse originem. Nam Plinius de Cornice loquens ab Arcturi sydere, inquit, ad hirundinum aduentum notatur eam Mineruæ lucis, templísque rarò, alicubi omnino non aspici, sicut Athenis. Vide Iustinum libro 23. in fine.

Fabula ex vero originem duxit.

***

Maturan

Maturandum.

EMBLEMA XX.

Maturare iubent properè, & cunctarier omnes,
Ne nimiùm præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum Echeneide telum,
Hæc tarda eſt, uolitant ſpicula miſſa manu.

ARiſtoteles ſexto Moralium, cap. 9. ſic ait: Ad deliberandum autem multum temporis ſumunt, propterea quòd celeriter aiunt conficiendaeſſe, quæ ſuſcipimus, lentè capiendum conſilium. Vnde ſumpſiſſe videtur Saluſtius illud, quod in Catilinæ hiſtoria poſuit. Nam & priuſquàm incipias conſulto: & vbi conſulueris, maturè opus eſt facto. Quem locum Ioachimus

chinus Perionius diligens Aristotelis interpres sic censet posse melius legi (quoniam ex Aristotele est) antequàm incipias consulto: & vbi consulueris lentè, maturè facto est opus. Quæ quidem interpretatio plena est, & verbis Aristotelicis congruens. Sed tamen si verba Salustij diuersa dispunctione legas, integer constabit sensus sic, Antequàm incipias consulto, & vbi consulueris maturè, facto opus est. Multa in hanc sententiam clarorum virorum dicta poterant adduci: sed quia Erasmus in prouerb. Festina lentè, elegantissimè, quæ dici poterant, attulit, supersedebo. Vide etiam adagium, Antequam incipias consulto. *Ioa. Perionius aliter legit.*

Maturare iubent. Nigidius apud Macrobium sexto Saturnalium cap. 8. Maturare, inquit, est: quod neque citius, neque serius: sed medium quiddam, & temperatum est. Sic & in frugibus, & in pomis, matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia sunt, neque caduca & nimiùm cocta, sed temperata & adulta. Hanc interpretationem Nigidianam D. Augustus duobus verbis Græcis eleganter exprimebat. Nam & dicere in sermonibus, & scribere in Epistolis solitum ferunt: σπεῦδε βραδέως. Per quod monebat, vt ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & tarditas diligentiæ. Ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Sic Neptunus apud Virgilium, iubet ventos maturare fugam, id est, vt ita discedant, tanquam fugiant: ita tamen fugiant, vt standi mediocritatem, seu maturitatem in regressu teneant, ne ipso discessu classi *Maturare.*

ſu claſsi noceant, dum raptu nimio redeunt. Hęc ex Macrobio. Vide Aulum Gellium lib. 10. cap. 11. Noct. Atti.

Remora vnde dicta. Hoc *tibi declaret connexum* Echeneide. ἐχενηΐς, ίδος, id eſt, Remora, à remorandis nauibus, hoc eſt, ἀπὸ τ ἐχειν τὰς νῆας. De qua ſic ait Ariſt. lib. de Nat. Animalium 2. cap. 14. Remoram errore nonnulli pedes habere prodiderunt: expes enim omnino eſt: ſed quoniam pinnas habet pedibus ſimiles: hinc fit, vt pedibus inſtare videatur. Piſciculus quidam eſt hæc, ſaxis aſſuetus, in cibos non admittendus, nomen à remorandis nauibus adeptus, vtilis ad iudiciorum cauſas, & amatoria veneficia, vt aliqui volunt. Vide Plinium lib. 9. cap. 25. Eſt autem *Echeneis.* Echeneis piſciculus ſemipedalis longitudinis, & quinque digitorum craſsitudinis, limaci magnæ ſimilis, vt idem Plinius aſſerit lib. 32. cap. 1. Secundùm verò Oppianum aſpectu anguillæ, forma turbinata, colore nigro, ore acuto, qui & incuruatur vt hamus, in petris viuens.

* *
*

In

In deprehensum.

EMBLEMA XXI.



Iandudum quacunque fugis te persequor: at nunc
Caßibus in nostris denique captus ades.
Amplius haud poteris uires eludere nostras,
Ficulno anguillam strinximus in folio.

EX adagio, πρὸ θρίῳ τὴν ἐγχέλην. Vide Erasmum, Folio ficulno tenes anguillam. Nihil vltra desiderabis ad explanationem emblematis. Vide Aristot. lib. 6. de histor. animal. cap. 16. Cæl. Rhodig. lib. 18. cap. 1.

Custodien

Custodiendas virgines.

EMBLEMA XXII.

Vera hæc effigies innuptæ est Palladis: eius
Hic Draco, qui dominæ constitit ante pedes.
Cur diuæ comes hoc animal? custodia rerum
Huic data: sic lucos, sacraq; templa colit.
Innuptas opus est cura asseruare puellas
Peruigili: laqueos undique tendit amor.

Draco cur Mineruæ simulachro appositus.

SVmptum ex peruulgata illa laude, quam Phidias meruit in Mineruæ simulachro, cui draconem appositi, veluti ambage tacita, innueret virgunculas peruigili cura indigere: vt pudor castus, illibatúsque seruaretur. Draco enim, vt paulò antè ex Phornuto retulimus, sacratus est Mineruæ, & propter acrimoniam visus, vnde nomen

de nomen habet, vigiliæ, cuſtodiæque admodum accommodus. Dicitur enim draco ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod eſt videre, teſte Macrobio, apud quem vide plura lib. Saturna. 1. cap. 20. Ad nominis etymologiam alluſit Horatius in Satyris, cùm inquit, *Draco vnde dictus.*

Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Indicat & Virgilius Æneid. 2. dracones in tutela Palladis eſſe:

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt ſæuæq; petunt Tritonidis arces,
Sub pedibusq; Deæ, clypeiq; ſub orbe teguntur.

Cuſtodia rerum. Inde celebres ſunt draco Heſperidum, draco aurei velleris, draco Martis Caſtalij fontis cuſtos Cicero Philip. 13. Qui domini patrimonium circumplexus quaſi theſaurum draco.

Sic lucos ſacraq;. Scribit Strabo lucos à poëtis templa Deorum vocari. Exiſtimabantur luci religione quadam eſſe imbuti, vtpote Deorum domicilia. Denique nullus erat lucus, vbi non adeſſet aliquod numen. Quod ſenſiſſe Ouidium puto in illo verſu Metamorph. 7. quamuis aliter explanent interpretes: *Lucus.* *Vide Pierij Hieroglyph. pag. 122.*

— per ſacra triformis
Ille, Deæ, lucoq; foret, quod numen in illo,
Iurat.

Ignorabat enim Iaſon quodnam numen in illo lucro coleretur: per illud tamen iurat, gnarus non poſſe lucũ eſſe ſine numine. Dicitur lucus à luca vocabulo Aramæo, quo Hetruſci vteban- *Lucus dictus à luca.*

tur, significátque senem & seniorem, vt disputat contra Quintilianum Ioannes Scopas in suis Collectaneis. & viterbiensis in antiq. rerum Hetruriæ

Vino prudentiam augeri.

EMBLEMA XXIII.

Vide Plutarch. de defectu oracul.



Hæc Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, soboles utraque uera Iouis.
Hæc caput, ille femur soluit: huic usus oliui
Debitus, inuenit primus at ille merum.
Iunguntur meritò: quòd si qui abstemius odit
Vina, Deæ nullum sentiet auxilium.

EX lib. 4. Epigram. Græcorum, εἰς ἄγαλμα Διονύσου πλησίον Αθηνᾶς, id est, In statuam Bacchi iuxta Mineruam. Hoc epigramma vertit

tit Ioannes Sleidanus, ſed quia minus Græcum expreſsit, volui ego penè ad verbum vertere, tantùm vt intelligantur Græca.

Viator. *Quid tibi cõmune eſt cũ Pallade, cui fera bella*
Et cordi haſtæ ſunt? at tibi uina placent.

Bacch. *Ne temerè, ô hoſpes, de diuis talia quæras:*
Sed quibus hanc referã, diſce maligne, deam.
Gloria bellorum chara eſt mihi: teſtis ad ortũ
India perdomitum littore ab Oceani.
Et mortale genus nos ambo iuuamus: oliua
Hæc iuuat: at uitis dulcibus ipſe botris.
Nec mea me ꝓpter genitrix eſt paſſa dolores:
Patris ego ſolui ſemen, & iſta caput.

Meritò igitur iunguntur eodem patre nati, ſine matre ambo, bellatores ambo: ambo duarũ pręclariſsimarum rerum inuentores, olei & vini. Præterea poëtæ, qui Mineruam diſciplinarum deam colunt, ſine Baccho frigida componunt carmina. Vnde Horatius, *Cur iungãtur Bacchus & Minerua.*

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda.

Vinum ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, id eſt, emolumento, ſeu iuuamine dictum exiſtimant, iuxta illud Homericum Iliados 6. *Vinũ vnde dictum.*

— ὀνήσεαι αἴκε πίησθαι. hoc eſt, iuuamen ſenties, ſi biberis. Hinc feſtiuè Niceratus nobili epigrammate, Lib. 1. εἰς οἶνο

οἶνος τοὶ χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀϊδῷ,
ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.

Id eſt,

Iucundo ſonipes uati eſt in carmine Bacchus,
Nam perit epota nobile carmen aqua.

Multa Homeri & aliorum poëtarũ posſem afferre teſtimonia, quæ mirum in modum vinum extollunt. Sed ne hoc quoque nomine vinoſus arguar, qui à parentibus meis quaſi hæreditario iure acceperim, vt ſim abſtemius, tali munere ſupersedebo.

Author abſtemius.

Bacchus vnde appellatus.

Hæc *Bacchus pater*. Bacchum ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, quod eſt incondito vlulatu (quo furentes Bacchæ agebantur) perſonare, deducit Euſtathius Homericus, deinde inſertam literam κ, quo expreſsio fieret immanioris ſoni. Eadem de cauſa Iacchus dictus eſt. ἰάχειν enim vociferari ſignificat. Bacchi natiuitatem & res geſtas vide apud Homerum in hymnis Bacchi, & apud Ouidium in fine 3. Metamorph. Extant & Orphei hymni in eũdem. Ouidij carmina de ortu Bacchi hæc ſunt,

Iacchus.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur, patrioq; tener (ſi credere dignum eſt)
Inſuitur femori, maternaq; tempora complet.

Pomponius Mela libro de Situ orbis 3. cap. 7. de India ſic ait, Vrbium, quas incolunt, Nyſa eſt clariſsima, & maxima montium, Meros Ioui ſacer: famam hinc præcipuam habent, quòd in illa genitum in huius ſpecu Liberum arbitrantur eſſe nutritum. Vnde Græcis autoribus, vt femori Iouis inſutum dicerent, aut materia ingeſsit, aut error. Hæc ille. μηρὸς autem, id eſt, Meros coxam, ſeu femur ſignificat: hinc dictus eſt Bacchus à Poëtis Dithyrambus παρὰ τὸ δύο θύρας βῆναι, id eſt, quòd duabus ianuis exierit: hoc eſt, vtero Semeles, & Iouis femore. Plinius

Meros. Bacchus Dithyrambus.

eadem

eadem ferè, quæ & Pomponius narrat lib. 6. cap. 21. Necnon (inquit) & Nysam vrbem plerique Indiæ adscribunt, montémque Merum Libero patri sacrum, vnde origo fabulæ Iouis femine æditum. Hæc Plinius. Phornutus autem in lib. de Natura Deorum, sic inquit. Insutus est femori Iouis, vt partus immaturus ad maturitatem & perfectionem veniret. Quod vinum pedibus (qui per femora significantur) calcatum ad perfectionem festinet. Prima enim botrorum digestio & concoctio non est vsui idonea: vbi autem pedibus calcati fuerint, promanat vinum, & perfectionem accipere incipit. Prima vini concoctio fit temporis ratione per calorem radiorum Solis feruente æstu. Secunda fit pedum ministerio per calcationem, qua vinum è botris elicitur, & exprimitur, quasi id necessariò femorum vi contingat. Hactenus Phornutus.

Bacchus cur insutus femori Iouis fingitur.

Iunguntur meritò: quòd si qui abstemius. De hac sententia vide Adagia, Non est Dithyrambus, si bibat aquam. Et, Aquam bibens, nihil boni parias. Quibus astipulatur Antiphanes poëta, qui bibere & viuere eadẽ in statera collocabat, sic, τὸ δὲ ζῆν εἰπὲ μοὶ τί ἐστι; τὸ πίνειν φημ' ἐγώ. *Dic mihi quid est viuere? bibere dico ego.*

Prudentes vino abſtinent.

EMBLEMA XXIIII.

Quid me uexatis rami? ſum Palladis *arbor:*
Auferte hinc botros, uirgo fugit Bromium.

EPigramma Græcum, vnde hoc deſumptũ fuit, ſic habet:

Παλλαδός εἰμὶ φυτὸν, βρομίου τί με θλίβετε κλῶνες;
ἄιρετε τὰς βότρυας· παρθένος ὐ μεθύω.

Huc alluſit Politianus,

Quid me implicatis palmites
Plantam Mineruæ, non Bromij?
Procul racemos tollite,
Ne uirgo dicar ebria.

Oliua vitis coniunctionem & ſocietatem deprecatur. Videtur autem hoc epigramma ex aduerſo

aduerso cum præcedenti pugnare: nam quanta cum Pallade & Baccho intercedit familiaritas: tantum inter oliuam & vitem dissidium interuenit. Sed si aduertas titulum malè collocatum esse, nulla est discrepantia. Epigramma enim Græcum atque Latinum de virginibus tantùm agunt, quibus vinum dandum non est. Vinum enim iuxta prouerbium lac Veneris dicitur. Mutandum igitur lemma sic, Virgines vino abstinent. Multa nobis præcipiunt scriptores & sacri & prophani de vini vsu, & eius incommodis. Sed ne omnia silentio præteream, videamus breuissimè quid magni viri de vino sentiant. Ac primùm quidem à finitione Græci vocabuli ordiamur. οἶνος (inquit Plato in Cratylo) διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιμπλάν, hoc est, vinum dicitur ab eo, quòd existimatione ac opinionum vanitate mentem oppleat. Et Plutarchus de tranquillitate animi, Vini & carnium plenior vsus, corpus quidem validum, athleticáque firmitate facit: animum verò imbecillum, & fragilem. Et Ouidius,

Titulus Emblematis malè legitur.

Vinum lac Veneris.

Vinum vnde dictum.

Nox & amor uinúmque nihil moderabile suadent:
Illa pudore uacat, Liber amorque metu.

Propertius,

Vino forma perit, uino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica uirum.

Virgilius in Opusculis,

Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore,
Vno nanque modo uina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat uires, sic copia uini
Et tentat gressus debilitatq; pedes.

Multos cæcus amor cogit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido:
At Lapithas bello perdis Iacche graui.

Perotti carmina de arbor. diis dicatis.

Sum Palladis arbor. Hæc carmina ex Auieno se transtuliſſe Perottus teſtatur:

Olim quas uellent esse in tutela sua
Diui legerunt arbores: quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuit: Phœbo laurus,
Pinus Neptuno: populus celsa Herculi.
Minerua admirans quare steriles sumerent,
Interrogauit causam. Dixit Iuppiter,
Honorem fructu ne uideantur uendere.
At me Hercules, inquit, quod quisque uoluerit,
Oliua nobis propter fructus est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator,
O nata meritò sapiens dicere omnibus,
Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.

Oleum cur Mineruæ donum.

Sum Palladis arbor. Oleum, inquit Phornutus, munus eſt, quod mortalibus dedit Minerua. Ideo autem Mineruæ donũ eſſe creditur, quòd ſemper in virore ſit, glaucúmque colorem præ ſe ferat. Oleum adulterari nequit per alium humorem: verùm ſemper in ſua ſyncerítate perſiſtit. Itaque non diſsimile virginitati eſt. Virgo creditur Pallas, vt inquit Ponticus Heraclitus, quia ἄφθονον ἀεὶ τὸ φρόνημα, id eſt, Nunquam conſeneſcit prudentia, neque vlla inficitur labe.

Botrus.

Auferte hinc botros. βότρυς, υος. declinãt Græci, racemum ſignificat.

Bromius cur dictus Bacchus.

Virgo fugit Bromium. Bromius dictus eſt Bacchus à tonitru, quod in eius natiuitate contigit.

tigit. βροντάω enim tono significat. Vnde Brontes ille Gigas Vulcani famulus dictus fuit. Vel dicitur à βρέμω, quod est instrepo.

In statuam Bacchi.

EMBLEMA XXV.

DIALOGISMVS.

Bacche pater, quis te mortali lumine nouit?
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnosida uidit:
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur iuuenis, teneráque etiam lanugine uernat
Barba, queas Pylium cùm superare senem?
Muneribus quandoque meis si parcere disces
Iunior, & forti pectore semper eris.

Tympana non manibus, capiti non cornua desunt:
Quos (nisi dementeis) talia signa decent?
Hæc doceo, nostro quod abusus munere sumit
Cornua: & insanus mollia sistra quatit.
Quid uult ille color membris penè igneus? (omen
Absit) an humanis ureris ipse focis?
Cùm Semeles de uentre parens me fulmine traxit
Igniuomo: infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit undis:
Qui non ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas quî uis miscerier? & qua
Te sanus tutum prendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltrà: alacer, sed mox ebrius inde furit.
Res dura hæc nimiùm, sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis. Heu facilè commoda nulla cadunt.

Non vno ex loco sumptum est epigramma: multa enim continet quæ sparsim alibi leguntur, quæ suis locis annotabimus. Locum tamen prius quàm ad alia transeo ex Eubulo poëta, quem citat Athenæus, apponã: De Bacchi Cyathis, qui mirificè Bacchi virtutes exprimit. Loquitur ipse Dionysius,

Eubulus poëta.

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω,
τοῖς εὖ φρονοῦσιν, τὸν μὲν ὑγείας ἕνα,
ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι. τὸν δὲ δεύτερον,
ἔρωτος ἡδονῆς τε. τὸν τρίτον δ' ὕπνου,
ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι,
οἴκαδε βαδίζουσιν. ὁ δὲ μὲν τέταρτος

οὐκ ἔτ' ἀμέτερός ἐστ', ἀλλ' ὕβρεως πέμπτος βοῦς.
ἕκτος δὲ κώμων. ἕβδομος ὑπωπίων.
ὄγδοος δὲ κλήτορος. ὁ δὲ ἔννατος χολῆς.
ὁ ἕκατος δὲ μανίας. ὥστε καὶ βάλλειν ποιεῖ.
πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθεὶς,
ὑποσχελίζει ῥᾷστα τοὺς πεποικότας.

Quos versus sic vertit Ferdinandus Sanctius frater, laborum meorũ comes iucundissimus. *Ferdinandus Sanctius frater autoris.*

Tres nanq; solos bibere crateres meri
Suadeo disertis, sanitatis misceo
Primum: secundum uerò amoris ac iocis
Dulcia soporis dona præbet tertius:
Quem perbibentes, sobrij si dici auent,
In tecta gressus dirigant. Quartus tamen
Omnino non meus est: quia est iniuriæ.
Quintus refert clamorem: at ebrium arguit
Sextus: laceßit septimus: lites mouet
Octauus: iræ nonus est: decimus furit,
Et tela torquet: nanque paruum in uasculum
Effusa uini copia euertit uirum.

Praxiteles qui me. Praxiteles statuarius fuit nobilissimus, de quo multis in locis Plinius in historia naturali. lib. 24. cap. 8. *Praxiteles.*

Rapientem Gnosida. Postquam Theseus (vt retulimus) Minotaurum occidit, Ariadnem Minois filiam rapuit, quam in insula Naxo, (quæ Baccho sacrata est) periurus reliquit. Hanc postea Liber rapuit, Liberámque vocauit, vt ait Ouidius. Gnosus autem vrbs est Cræ tæ præcipua. Expone igitur, Gnosida, id est, Ariadnem. *Gnosus.*

Queas

Nestor.

Pylos.

Nestorea senecta.

Porphyrius.

Acron Comment. Horatij.

Quem Pylium cùm superare. Nestorem intelligit, qui Rex Pylij fuit. Est autem Pylos oppidum in Peloponneso in Mesenia versus occidentem à Neleo conditum. Porrò Nestorea senecta iam in prouerbium abiit de viuacibus senibus. Sed non tot annos vixisse Nestorem, quot vulgò creditus est, facilè coniiciet quiuis ex Quæstionibus Porphyrij, super Homerum, cùm differit quid sit γενεά. Est verò γενεὰ spatium triginta annorum, id est, pariendi ac generandi perfectius spatium, quod annorum triginta periodum conficit. Quo nomine sexagesimum attingens annum, duas videtur vitæ implesse γενεας. Si verò vltra pergat, in tertia iam vtique recensebitur. Quod de Nestore cecinit Homerus,

τῷδ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἳ πρόσθεν ἅμα τρέφεν ἠδ' ἐγένοντο
ἐν πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τρίτατσιν ἀνασσεν.

Id est,

Huic iam duæ quidem ætates mortalium hominum
Defecerãt, qui cũ ipso antea simul nutriti sunt & geniti.
In Pylo diuina, cumque tertijs regnabat.

Quo in loco Commentator ait, ἰστέον ὅτι οἱ παλαιοὶ τὰς γενεὰς ἐνιαύσιον ἔων τριάκοντα. Hoc est, Sciendum est, quòd veteres geneas numerabãt annorum triginta. Eadem & Censorinus scribit in lib. de die natali. & Plutarchus de oraculorum defectu. Herodotus in Euterpe. Nam tres virorum progenies centum anni sunt. Tertio quoque Odyss. repetit Homerus Nestoris ætatem. Huius opinionis est Acron super Horatium,

ratium, Carminum 2. Ode 9. Nam quod ceci nit Ouidius in 12. Metamorph.

— *Vixi*

Annos ~~bos~~ centum, nunc tertia uiuitur ætas.

fabulosè potiùs dixit, quàm hiſtoriæ veritatem ſequutus: nam ait in 8. eiuſdem operis, Neſtorem primis in annis & Tyndaridas, Pirothoum & Theſeum, Peleum, & Laërtem alióſque complures ſimul coiſſe, vt aprum Meleagricum occiderent. Atqui Helenam rapuerat Theſeus, quamuis ſenex puſillam, authore Plutarcho. Præterea viuebat Laërtes poſt reditum Vlyſsis, vigeſimo poſt captam Troiam anno. Denique ne pluribus agam, ſic Neſtorem peruenisſe ad tertiam ætatem intellige. Prima fuit, quando Hercules Pylum oppugnauit. Secũda, quæ inter illud tempus, & Troianã expeditionẽ interceſſit. Tertia, quando pugnabat in Troiano bello.

Quomodo ſit intelligendũ Neſtorem vixiſſe tres ætates.

Tympana non manibus. Tympanum inſtrumentum erat ex vna parte membrana clauſum, intus vacuum, quod baculo pulſatur: vti eo ſolebant in ſacrificio matris Deorum. Huic ſimillimum eſſe videtur inſtrumẽtum illud, quo Æthiopes nunc vtuntur in noſtra Hiſpania, præcipuè in locis maritimis. Eſt quoque tympanum, inſtrumentum quo ſaxa ſubuehuntur, alio nomine γέρανος, id eſt, grus. Hiſpanè, *grua*.

Tympanũ.

Hoc docet noſtro. Dicitur Bacchus habere cornua, eò quòd qui adbibit paulò plus, ſi ſoluat acutæ verbera linguæ, liberius notum, ignotúmque ferit, & arcana ſiqua tacenda ſuſcepit, effutit nullo delectu. Horatius,

Bacchо cur cornua.

Et *addis*

— *Et addis cornua pauperi.* Et Ouidius,

Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit.

Festus Pompeius libro 3. Cornua, inquit, Liberi patris simulachro (quem inuentorem vini dicunt) eò quòd homines nimio vino truces fiũt. Vnde meritò Liber dicitur Bacchus, quòd homines à curis liberet. Et græcè Lyæus à λύειν, quod est soluere.

Sistrum. *Et insanus mollia sistra quatit.* Sistrũ græca dictio est, σείστρον à σείω, quatio: crepitaculum significat, vt ait magnus Etymologicus. Dicitur & σῖστρον per ι. Mollia sistra dixit, nó tam ob id quòd sistra sint re ipsa mollia, quàm quòd homines reddant molles, & effœminatos.

Bacchus vi ignis partu expulsus. *Quid uult ille color.* Phornutus in lib. de natu. Deor. sic ait. Dicitur Bacchus vi ignis partu esse expulsus: quo significatur vini calor & potentia, quæ homines incendit atque inflammat. Habet enim vinum (vt testantur poëtæ) æquale cum igne robur. Hæc ille.

Cum Semeles de uentre. Hunc versiculũ cũ tribus sequentibus ex lib. 1. Epigrammaton Græcorum excerpsit Alciatus tit. ὡς οἶνον. tetrastichũ græcum cum latina versione ex Chiliadibus pete, in adagio, Perdidisti vinum infusa aqua.

Quadrans. *Quadrantem addat aquæ.* Quadrãs est tertia pars assis: sumitur pro vase, quod tres cyathos contineat. Si vis (inquit) sumere calicem vini meri, adde illi tres aquæ partes. Calicem autem pro cyatho posuit. Cyathus autem idem est, quod vncia: sicque cõstabit sensus iuxta Hesiodi præceptionem, qua ad frugalitatem adhortatur homines

Cyathus.

mines, lib. 2. Georgicon,

Κρήνης τ' ἀενάου καὶ ἀποῤῥύτου ἥτ' ἀθόλωτος.
Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέταρτον ἵεμεν οἴνου.

Id est,

Fontibus ex liquidis sempérque fluentibus adde
Tres lymphæ partes, uini non amplius unam.

Hunc miscendi modum non attigit Erasmus in prouerbio, Bibe quinq; aut tres, aut ne quater. quem vide. Neque Cælius Rhodiginus lib. 28. cap. 39. quãuis multa vterque de vini symphoniis ad aquam doctissimè disputauerint. Est & epigramma Græcum Hesiodicæ sentẽtiæ conueniens incerti authoris,

Βάκχου μέτρον ἄριστον ὁμηπολὺ μηδ' ἐλάχιστον.
Ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος, ἢ μανίης.
Χαίρει κιρνάμενος τρισὶ Νύμφαις τέταρτος αὐτός.
Τῆμος καὶ θαλάμοις ἐστὶν ἐτοιμότατος.
Εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν ἀπέστραπται μὲν ἔρωτας,
Βαπτίζεται δ' ὕπνῳ γείτονι τῷ θανάτου.

Vrsinus,

Sumere nec nimium Bacchi ualet optimus usus,
Nec minimum: hinc mæror prouenit: inde furor.
Quartus & ipse tribus Nymphis miscerier optat,
Tunc quoque sic thalamis conuenit ille magis.
Sin nimius spiret, placidos auertit amores,
Atque sopor morti proximus inde uenit.

Stes citra heminas. ἡμίνη dimidiũ Sextarij significat, Hispanè, *Vn quartillo ferè.* De qua ita Priscianus, siue Q. Rhemnius Palæmon,

At cotylas quas, si placeat, dixiße licebit
Heminas: recipit geminas sextarius unus.
Qui quater assumptus fit Graio nomine Chœnix.

Gramen.

Gramen.

EMBLEMA XXVI.

Gramineam Fabio patres tribuêre corollam,
Fregerat ut Pœnos Hannibalémque mora.
Occulit inflexo nidum ſibi gramine alauda,
Vulgò aiunt, pullos ſic fouet illa ſuos.
Saturno Martique ſacrum, quo Glaucus adeſo
Polybides, factus creditur eſſe Deus.
His meritò arguitur modis tutela ſalúſque,
Herbáque tot uires hæc digitalis habet.

cap. 3. 4. & 5. Corona graminea.

EX Plinio lib. 22. natur. hiſto. qui ſic de gramínea corona loquitur: Corona quidé nulla fuit graminea nobilior in maieſtate populi terrarum principis, præmiiſque gloriæ. Gémeæ & aureæ, vallares, murales, roſtratę, ciuicę, triúphales:

phales: post hanc fuêre, sùntque cunctæ magno interuallo, magnáque differentia. Cæteras omnes singuli, & duces ipsi, imperatoréſque militibus, aut aliquando collegis dedere, decreuit in triumphis Senatus cura belli solutus & populus otioſus: graminea nunquam, nisi in desperatione suprema cõtigit: nulli nisi ab vniuerſo exercitu seruato decreta. Cęteras Imperatores dedere, hanc solam miles Imperatori. Eadem vocatur obsidionalis, liberatis obsidione, abominandoque exitio totis castris. Quòd si ciuicæ honos, vno aliquo ac vel humillimo ciue seruato, præclarus, sacérque habetur: quid tandem existimari debet, vnius virtute seruatus vniuersus exercitus? Dabatur hæc viridi è gramine, decerpto inde, vbi obsessos seruasset aliquis. Nanque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere. Quem morem etiamnum durare apud Germanos scio. & infrà: Data est & à Senatu, populóque Romano (qua claritate nihil equidem in rebus humanis sublimius duco) Fabio illi, qui rem omnem Romanam restituit non pugnãdo. Nec data cùm Magistrum equitum, & exercitum eius seruasset: tunc satius fuit nomine nouo coronari, appellatum patrem ab ijs, quos seruauerat: sed quo dictum est, consensu honoratus est, Hannibale ex Italia pulso. Quæ corona adhuc sola ipsius imperij manibus imposita est: & quod peculiare ei est, sola à tota Italia data. Hæc Plinius. Vide etiam Aul. Gel-

Obsidionalis.

Herbam porrigere.

Q. Fabij Max. corona gram.

lium lib.5.cap.6.Vitã Q. Fabij Maximi latè narrat Plutarchus: pugnam eius cum Hannibale pulchrè describit Liuius lib.2. Decadis 3. Et alij multi. Dictus fuit cunctator, propterea quòd cunctando restituit Rempub.

Q. Fabius dictus cunctator.

Alauda.

Occulit inflexo. Alauda parua est auicula, quæ in summitate capitis apicem habet. dicitur etiã galerita, vt testatur Plinius lib.11.cap.37. Cuius propterea hic fit mentio, quòd legio militum dicatur alauda.

Gramẽ cur Saturno sacratum.

Saturnio Martique sacrum. Quare gramen sit Saturno sacrum, non memini me legisse. Coniectura tamen ducor, Saturno sacrum esse gramen, propter nimiam viuacitatem, quam huic herbę peculiarem tribuunt poëtę. Dicitur enim ab his viuax gramen, & inexpugnabile. Cui meæ opinioni concinit celebratum in Hispania prouerbium, *Mas uieio que la gramma.* Marti etiam sacrum est, quia ex gramine ortus esse creditur. Neque absurdum fuerit, eius natiuitatem recensere pulcherrimis Ouidij versibus. Quinto igitur Fastor. sic loquitur Flora:

Viuax gramen cur dictum.

Ouidius de martis ortu.

Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes:
Iuppiter hoc ut adhuc neſciat usque precor.
Sancta Iouem Iuno, nata sine matre Minerua:
Officio doluit non eguisse suo.
Ibat ut Oceano quereretur facta mariti:
Restitit ad nostras fessa labore fores.
Quam simul aspexi, quid te, Saturnia, dixi
Attulit? exponit, quem petat illa locum.
Addidit & causam. Verbis solabar amicis.
Non, inquit, uerbis cura leuanda mea est.

Si pater

Si pater est factus, neglecto coniugis usu
Iuppiter, & solus numen utrunq; tenet:
Cur ego desperem fieri sine coniuge mater?
Et parere intacto dummodo casta uiro?
Omnia tentabo latis medicamina terris:
Et freta tartareos excutiamq; sinus.
Vox erat in cursu, uultum dubitantis habebam.
Nescio quid Nymphe, scire uideris, ait.
Ter uolui promittere opem: ter lingua retenta est.
Ira Iouis magni causa timoris erat.
Fer precor auxilium, dixit, celabitur autor:
Et Stygiæ nomen testificabor aquæ.
Quod petis Olenis, inquam, mihi missus ab aruis
Flos dabit: est hortis unicus ille meis.
Qui dabat, hoc dixit, sterilem quoque tange iuuencam:
Mater erit: tetigi: nec mora, mater erat.
Protinus hærentem decerpsi pollice florem.
Tangitur, & tacto concipit illa sinu.
Iámque grauis Thracem, & læua Propontidos intrat:
Fitq; potens uoti: Mársq; creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in urbe locum.

Quo in loco Antonius Constantius Fanensis, Huic Deo, inquit, gramen consecratum dicũt, quòd id ex humano cruore procreetur. Hęc ille. Poterit & physica huius rei ostendi ratio. Nam quoties castra locantur, seligitur ad id expeditus locus, non exaratus: ob idque sæpius in gramineis campis collocantur, qui ab agricolis sperantur: propterea quòd gramen valde serpat & propagetur, humoremque omnem ebibat. Vn-

Physica ratio.

de pulchrè cecinit Ouid. lib. Metamorph. 5.

— *Lolium tribulaq; fatigant*
Triticea messes, & inexpugnabile gramen.

Gramen quid habeat commune cum Marte.

Nomen etiam graminis videtur aliquid habere cum Marte commune. Dicitur enim gramen à gradiendo, quemadmodum & gradiuus.

Quo Glaucus adeso. Glauci fabulam narrat Ouidius lib. Metamorph. 13. in ipso fine. Et Erasmus latè in Prouerbio, Glaucus comessa herba.

Glauci fabula.

Polybides. Glaucus, vt narrat Commentator Apollonij in primo Argonaut. in fine libri, Anthedonius fuit piscator πολύβου παῖς, id est, Polybi filius. Alius fuit Glaucus Minois filius. De quo talis refertur fabula: Glaucus Minois & Pasiphaes filius cùm murem persequeretur, in dolium melle plenum incidit, quem cùm parentes quærerent, Apollinem sciscitati sunt de puero, quibus Apollo respondit, Monstrum vobis natum est, tribus coloribus: quòd si quis vobis indicauerit, cui rei in agro monstrum hoc sit simile: ille vobis filium reddet. Minos sorte audita, cœpit monstrum à suis quærere: cui dixerũt, natum esse vitulum, qui ter in die colorem mutaret per quaternas horas: primò esse album, secundò rubeum, deinde nigrum. Minos autem ad monstri ænigma soluendum augures conuocauit: inter quos Polyidius Cærani filius Argolicus dixit, monstrum simile esse in agris fructui mori siue rubi. Nam primum albus est, deinde ruber, cum permaturuit, niger. Tunc Minos ait ex Apollinis responso, filium mihi restituas

Responsum Apollinis.

Polyidius.

tuas oportet. Quod Polyidius dum auguratur, vidit noctuam in cella vinaria apes abigentem, accepto augurio, quęsiuit puerum in dolio mellis, regique tradidit. Cui Minos, corpori, inquit, inuẽto spiritum restitue. Quod Polyidius cùm negaret posse fieri, Minos iussit illũ simul cum puero in monumento includi, & gladium apponi. Cùm essent inclusi, draco repentè ad corpus pueri processit: at Polyidius sibi timens accepto gladio, draconem interemit. Cùm superueniret & dracæna, vidissetque draconem mortuum, herbam attulit quandam, qua tactus draco, spiritum recuperauit. Id cum vidisset Polyidius, similiter fecit in puero: cũmque ambo vociferarentur intus in monumento, quidam prætereiens Minoi nunciauit, qui monumentũ iussit aperiri: sed nec etiam sic Polyidium dimisit, vt abiret in patriam, nisi priùs Glaucum doceret artem illam vaticinandi: qui quidem docuit artem: sed iam iam abiturus iussit, vt Glaucus in os ipsius Polyidij inspueret. Quod Glaucus cùm fecisset, artem edoctam perdidit. Hæc ex Zetze in Lycophronem, & Hyginio. Fuit & alius Glaucus Sisyphi filius, qui in Bœotia iuxta Potnias dilaceratus fuit ab ~~equabus~~ suis, quas à Venere arcebat, vt velociores in quadrigis essent. Alij aliter referunt. Hinc iam versiculi Ouidiani in Ibin nihil habebunt obscuritatis,

Herba mirabilis.

Alius Glaucus.

Versus Ouidij clariores fiunt.

Potniadum morsus fubeas ut Glaucus equarum,
Inq; maris falsas Glaucus ut alter aquis.
Vtq; duobus idem dictis modò nomen habenti
Præfocent animæ Gnosia mella tuam.

His meritò arguitur. De graminis virtute multi multa loquuntur. Plinius verò postquam multa de gramine dixit lib. 24. cap. 19. hæc addit, Sunt qui & aculeatum gramen vocent trium generum: cùm in cacumine aculei sunt plurimum quini, dactylon appellant: hos cõuolutos naribus inserunt, extrahúntque sanguinis ciendi gratia. Altero, quod est aeizoo simile ad paronychia, & pterygia vnguium: & cùm caro vnguibus increuit, vtuntur cum axungia. Ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Tertium genus dactyli, sed tenuis, nascitur in parietinis, aut tegulis. Huic caustica vis est. Sistit vlcera, quæ serpunt. Gramen capiti circundatum, sanguinis è naribus fluxiones sistit.

Titulus emblematis emendatur. Titulus emblematis non mihi placet. Quorsum enim gramen, quod ad aliud est, apponatur pro lemmate, ac non potiùs illud quod per gramen significatur? Repone igitur in titulo, Tutela & salus.

Neque

Neque verbo neque facto quenquam lædendum.

EMBLEMA XXVII.

Assequitur, Nemesisq; uirûm uestigia seruat,
Continet & cubitum, duráque frœna manu.
Ne male quid facias, néue improba uerba loquaris:
Et iubet in cunctis rebus adesse modum.

EX lib. 4. Epigrã. Græco. εἰς χάλιν Νεμέσεως. Refertur tamen epigramma Græcum ab Erasmo in prouerbio, Adrastia Nemesis. Quapropter hic non apponam: quia multa ibi disserit Erasmus. Hoc autem emblema vulgò sic depingitur: vt siniſtra manus Nemesis frœnum contineat ad compescendam loquacitatem: dextra verò manus cubitum siniſtrę teneat apprehen-

sum, ne malefacta queat exercere Sed si ego essem in hac sententia de cubito compresso, non sic pingendam putarem Nemesin: sed versa vice: vt frænum haberet in dextra, cuius cubitus siniſtra premeretur: dextra enim agimus quidquid siue boni siue mali agimus. Nisi rursus obiicias siniſtram malefactis attribui, dextram benefactis. Sed tamen his omissis, ego potius in hac sum sententia, vt credā cubitum in hoc emblemate non sumi pro brachij cubito: sed pro quodam mensuræ genere, qui cubitus dicitur apud Vitruuium & alios, Græcè πῆχυς: Lusitani vocant cuodo penultima correpta. Itaque illa verba,

Autoris opinio de cubito.

Vitruuij opinio de cubito.

Continet & cubitum duráq; frena manu.

sic interpretor: Nemesis vna tantùm manu simul & cubitum (hoc est virgam illam mensoriam) & frænum continet, quod declarat vltimus versiculus,

Et iubet in cunctis rebus adesse modum.

Hoc est, iubet, vt adsit mensura tum factis, tum dictis. Denique si Græca epigrammata, quæ adducit Erasmus, cum Latina versione ad vnguē examinaueris, non dubito, quin libens venias in nostram hanc sententiam. Quam si sequeris, emendabis picturam.

Nemesis.

Nemesisq; uirum. Nemesis Noctis filia fuit, vt tradit Hesiodus in Theogonia, cuius verba sunt,

τίκτε δὲ καὶ Νέμεσιν, πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι,
Νὺξ ὀλοή. Hoc est,

Nocte sata est Nemesis damnum mortalibus ærbis.

latinè

Latinè ſonat indignatio, quam veluti virtutem laudat Ariſto. in lib. de moribus. & alibi. De qua ſic Plato in libris de Legibus, Leuium volatiliúmque verborum grauiſsima imminet pœna. Nam omnibus præpoſita eſt Nemeſis: iudicij Angelus huiuſcemodi inſpector omnium. Angelus autem Politianus pulcherrimè illam deſcribit in Sylua, cui titulus Manto, ſic,

Indignatio tanquam virtus laudatur ab Ariſt.

Politiani de Nemeſi carm.

Eſt dea, quæ uacuo ſublimis in aëre pendens
It nimbo ſuccincta latus: ſed candida palam,
Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis.
Hæc ſpes immodicas premit: hæc infeſta ſuperbis
Imminet: huic celſas hominum contundere mentes
Succeßúſq; datum, & nimios turbare paratus.
Quam ueteres Nemeſin genitam de nocte ſilenti
Occano dixere patri: ſtant ſydera fronti:
Frœna manu, pateráq; gerit, ſemperq; uerendum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis.
Improba uota domans ac ſummis ima reuoluens
Miſcet, & alterna noſtros uice temperat actus.
Atq; huc, atq; illuc uentorum turbine fertur.

Tandem, tandem iustitia obtinet.

EMBLEMA XXVIII.

ide Pausan. lib. 1. 44



Aeacidæ Hectoreo persusum sanguine scutum,
Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit:
Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum
Naufragio, ut dominum posset adire suum.
Littoreo Aiacis tumulo nanq; intulit unda,
Quæ boat, & tali uoce sepulchra ferit:
Vicisti Telamoniade, tu dignior armis.
Affectus fas est cedere iustitiæ.

IN lib. primo Epigrammaton Græcorum duo sunt epigrammata titulo εἰς Αἶαντ. Ex quibus Alciatus vnum concinnauit. Primum Græcum est huiusmodi,

Ἀσπίδ' Ἀχιλλῆος τὴν Ἕκτορος αἵματι πιῶσαν, Λαρτιάδης

Λαρτιάδης Δαναῶν εἷλε κακοκρισίῃ.
Ναυηγοῦ δὲ θάλασσα κατέσπασε, καὶ παρὰ τύμβον
Αἴαντος νηκτὴν ὥρμισεν, οὐκ Ἰθάκῃ.

Alterum est huiusmodi,

Καλὰ ποσειδάων δίκασεν πολὺ μᾶλλον Ἀθίνης,
καὶ κρίσιν Ἑλλήνων στυγερὴν ἀπέδειξε θάλασσα,
Ἀσπὶς ἐν αἰγιαλοῖσι βοᾷ, καὶ σῆμα τινάσσει,
Αὐτόν σε ἐκαλέουσα τὸν ἄξιον ἀσπιδιώτην
Ἐγρεοπᾶι τελαμῶνος, ἔχεις σάκος Αἰακίδαο.

Primum sic vertebam,

Hectoreo clypeum Pelidæ sanguine tinctum
Iudicio Danaûm falso habuit Ithacus.
Per mare disiectus, diuulsa puppe sepulchrum
Concutit Aiacis, littora non Ithacæ.

Alterum sic,

Iudicio pulchro Neptunus Pallada uicit:
Arguit & Graiûm iustus suffragia Pontus.
Nam clypeus reboat Pelagi delatus ad undas.
Busta quatit, dominum potiorem uoce salutans.
Eia age iam Telamon, clypeum iam cernis Achillis.

Hanc historiam de Achillis armis (quoniam multi aliter intelligunt, aut narrant, quàm oportet) ex Q. Calabri lib. quarto & quinto, libuit carptim discerpere in hunc modum: Achille à Paride occiso, adiit Græcorum exercitum Thetis, Achillis mater, propositísque præmiis, eos inuitauit, vt certaminibus filij sui funus celebrarent. Certaminibus porrò confectis, Thetis Achillis arma in medium protulit, illi offerenda, qui in asserendo Achillis cadauere maiorem in Troia nauasset operam. Aiax Telamonius, & Vlysses sibi inuicem arma petunt. Constituuntur

Historia de armis Achillis.

tur iudices aliquot ex captiuis Troianis, ídque consilio Nestoris: ne spe frustratus, vel Aiax, vel Vlysses Græcis exitium strueret. Quare Aiax in rabiem & furorem actus in oues Græcorum sæuit, existimans se Vlyssi, cæterisque proceribus necem admoliri. Sed postea saniori menti restitutus, pudore affectus ob ea, quæ patrauerat, sibi mortẽ consciuit. Troiani itaque iudices Aiacẽ armis spoliarunt, non Græci quãuis Ouidius aliter videatur sentire lib. 13. Metamorph. & Sophocles in Mastigophoro, cùm inquit: Νῦν δ' αὐτα Ατρεῖδαι φωτὶ παντουργῷ φρένας ἔπραξαν, hoc est, Nunc verò arma ipsa Atridæ homini versutissimo tribuerunt. Illud tamen potest accipi veluti ab irato homine dictum, qui temerè in principes Græcorum debacchatur, quasi ipsi sponte dederint, non iudices. Hoc autem de iudicibus Troianis præter Calabrum asserit etiam Homerus lib. 11. Odysseæ in fine, vbi sic loquitur Vlysses,

Ouidius aliter sentit.

Οἴη δ' Αἴαντος ψυχὴ τελαμωνιάδεο
Νόσφιν ἀφεστήκει κεχολωμένη εἵνεκα νίκης.
Τήν μιν ἐγὼ νίκησα δικαζόμενος παρὰ νηυσί,
Τεύχεσιν ἀμφ' Ἀχιλῆος: ἔθηκε δὲ πότνια μήτηρ.
παῖδες δὲ τρώων δίκασαν καὶ παλλὰς Αθήνη.

Id est,

Sola autem Aiacis anima Telamoniadæ
Seorsum stabat irata propter uictoriam,
Qua ipsum ego uici litigans apud naues,
De armis Achillis: posuit autem ueneranda mater.
Filij autẽ Troianorũ iudicauerũt & Pallas Minerua.

Pindarus etiam in Nemeis, Oda 8. idem videtur sent

tur sentire, dum inquit, Κρυφίαισι γὰρ ἐν ψαφοῖς Ὀδυσῆ δαναοὶ θεράπευσαν, id est, Occultis enim iudiciis Vlyssem Danai prætulerunt.

Iustior arripuit Neptunus. In Græco Epigrammate fit comparatio inter Neptunum, & Palladem sic: καλὰ ποσειδάων δίκασεν πολὺ μᾶλλον Ἀθήνης. hoc est, multò melius iudicauit Neptunus, quàm Pallas. Igitur expone, Neptunus iustior Pallade, & cæteris arripuit, hoc est mare, quòd melius iudicauit, quàm sapientia.

forte allusit & ad iudic. Neptuni cum Pallade de eq.

Neptunus dicitur à nando paulùm primis literis immutatis, authore Cicerone lib. 2. de Natura Deorum.

Neptunus vnde dictus

Littoreo Aiacis tumulo. De Aiacis tumulo inferius disputabimus. Aiax autem, vt tradit Sophocles in Mastigophoro, dictus est ab hac particula αἰ, αἰ, id est, heu, heu. Verba Aiacis hæc sunt apud Sophoclem, αἰ, αἰ, τίς ἂν ποτ' οἰέθ' ὧδε ἐπώνυμον τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς. hoc est, Heu, heu, quis vnquam putaret sic meum nomen meis malis allaturum cognomẽtum. Pindarus autem longè aliam huius nominis affert rationem conficta non illepida fabella Cuius sensus carptim collectus ex ode 5. Isthmiorum, talis est, Telamonem Hercules belli socium adiunxit, quod in Laomedontem Troiæ Regem parauerat. Capta Troia, occisóque Laomedonte Telamon pro concione Herculem celebrauit. Hercules verò cùm sacra Ioui faceret, sic pro Telamone Iouem supplicauit, Iupiter pater, iam sæpe meas audiuisti proces: nunc te oro pater, vt huic viro fortem prolem ex propria

Aiax.

vide lo. Lug. & Matthiolus in Epist. medicinalibus.

pria vxore tribuas, amicúmque meum fortunatum reddas. Hæc vbi dixit, auium reginã Aquilam magnam Deus è cælo demisit. Hæc tanquã vates aliquis oraculum promens dixit, Erit tibi filius, vt petis Telamon, quem Aiacem vocabis ex viso alite, viribus præstantem, bellíque sudoribus cunctis populis admirandum. Vocat autem Pindarus hoc in loco ἀιετὸν Aquilam, vnde ἄιας dicitur.

Boo, as. *Quæ boat.* Boo, as. mugire significat, à verbo Græco βοάω, quod est clamare: vnde reboo, & boatus.

Telamon. *Victisti Telamoniade.* Telamon pater fuit Aiacis: dictus à loro, vnde scutum propendet. Nam τελαμὼν cingulum latum, vnde pendet ensis, aut scutum significat. Pausanias in Atticis sic ait, Dicunt Salaminis accolæ florem in ea regione primum post mortem Aiacis esse visum. Candidus, & purpureus nonnihil, lilio minor, & caule, & foliis. Literæ in eo sunt quales hyacinthis. Historiam iudicij, quod de armis institutum fuit, audiui ab Aeolensibus, qui instauratũ postea Ilium incoluerunt, quíque arma post Vlyssis naufragium ad Aiacis tumulum eiecta dixerunt. Ossa genuum, quæ medici molas vocant, disco adolescentis pentathli fuisse patia ostenderũt. Pro titulo: tandem, tandem iustitia obtinet, subiiciam Hesiodi verba lib. 1. Georg.

— δίκη δ' ὑπὲρ ἴβριος ἴσχει
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα. — hoc est,

Iustitia verò emergit super iniuriam tandem prodiens. quæ verba non commodè interpretatus

tus est extra omnem ingenij aleam positus Desyderius Erasmus in prouerbio, *Malo accepto sapit stultus*. siue quòd properanter admodũ componebat, siue quòd fortè in exẽplar incidit corruptum. Nam legit pro υβριος, υβριον. *Erasmi lapsus.*

Etiam ferocissimos domari.

EMBLEMA XXIX.



Romanum postquam eloquium, Cicerone perempto,
Perdiderat patriæ pestis acerba suæ:
Inscendit currus uictor, iunxitq; leones,
Compulit & durum colla subire iugum:
Magnanimos cessisse suis Antonius armis,
Ambage hac cupiens significare duces.

Ex

Antonius primus curru ſ. begit leones.

EX Plinio ſumptum Emblema lib. 8. cap. 16. cuius verba ſunt, Iugo ſubdidit eos (leones intellige) primúſque Romę ad currum iunxit Marcus Antonius, & quidem ciuili bello cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine oſtento quodam temporum, generoſos ſpiritus iugum ſubire illo prodigio ſignificante. Nam quòd ita vectus eſt cum Mima Cytheride ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit. Hæc Plinius. De Ciceronis vita & factis cõſule Plutarchum, qui vitam eius pleniſsimè conſcripſit. Nam huius operis breuitas tanti viri præclara facinora non potis eſt cõprehendere: iuſtum enim volumen deſiderant. Illa tantùm referam, quæ lucis nõnihil huic Emblemati poſſunt afferre. Compoſita inter tres Romanorum duces pace, Lepido, Antonio, & Cæſare Auguſto, triumuiratus inuaditur: fit ciuium proſcriptio: vbi Antonius ea conditione auunculum ſuum proſcribi paſſus eſt ab Auguſto, vt Cicero ſibi ab eodem proſcribendus traderetur. Itaque Cicero cum tota domo proſcriptus Aſturam primò nauigauit, mox Circeios, in terram poſtea deſcendit, nondum omni ſpe de Octauio abiecta. Aſturam pedibus rediit. Hinc filiis ſuadentibus Formias proceſsit: quò cùm appuliſſet, corui infauſto volatu ab infauſto appulſu arcere voluiſſe viſi ſunt. Hinc lectica delatus eſt in proximam villam ſuam: neque ibi diutius commorari eſt auſus, coruis iterum omnia garritu infeſtantibus. Referebatur igitur lectica in nauim, cùm Popilius Lenas, quem ipſe capitali

iudicio

Sabellicus Ennead. 6. lib. 8.

Ciceronis hiſtoria.

iudicio olim defenderat, cum globo militum obuiam occurrit. Senſit Cicero eos ad cædem miſſos, continuò lecticam deponi iuſsit, hícque ſine gemitu barbam ſibi læua manu (qui mos illi fuiſſe dicitur) demulcens venientes excepit. Interficitur ergo annos natus quatuor & ſexaginta, caput cum dextra in roſtris ſuſpẽdit Antonius. Nec cohibere lachrimas potuit tota ciuitas, cùm reſciſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris ſpectaret: nec aliter ad videndum illud, quàm antè ad audiendum concurrebatur. *Mors Ciceronis.*

Romanum poſtquam eloquium. Sic ordino, Poſtquam peſtis acerba ſuæ patriæ, hoc eſt, Marcus Antonius, qui Romanam Rempub. peſte infecit bellorum ciuilium, perdiderat Romanum eloquium, id eſt, Ciceronem, qui, vt ait Lucanus, Romani maximus author eloquij fuit, inſcendit currus &c. Eximiam Ciceronis laudem vide apud Plinium Natur.hiſto.lib.7.cap.30. & lib.31.cap. 2. Martialis pulchro epigrammate comparat ſcelus Photini, qui Pompeium occidit, cùm ſcelere Marci Antonij lib.3. Epigr.24.

Par ſcelus admiſit Phariis Antonius armis,
Abſcidit uultus enſis uterq; ſuos.
Illud laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi Roma caput cum loquereris erat.
Antonij tamen eſt peior, quàm cauſa Photini,
Hic facinus domino præſtitit, ille ſibi.

Fallitur tamen Alciatus in tẽporis ſupputatione: nam ante Ciceronis mortem, Antonius iunxerat Leones, vt ex Plutarcho patet, & ex verbis Plinij citatis. Et ex Cicerone ad Atticum libro *Alciatus deceptus.*

10. cùm inquit, Tu Antonij Leones pertimescas, caue. Et in secunda Philip. Sequebatur rheda cum leonibus. sic enim est legendum, non lenonibus.

Gratiam referendam.

EMBLEMA XXX.

Aërio insignis pietate Ciconia nido,
Inuestes pullos pignora grata fouet.
Taliáq; expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Ex

EX Oro Apolline Niliaco lib. posteriore de Hieroglyphicis, vel ex D. Basilio in Exameron homilia 8. cùm inquit. Iam verò pietas & obsequium Ciconiarũ erga suos senio cõfectos parentes, satis profectò liberos nostros beneuolos parentibus, atque obseruantissimos efficere potest, modò mentẽ adhibere velint. Nemo enim prorsus est, qui naturæ sensu, prudentiáve sic destituatur, vt non mediocri pudore eum existimet dignum: quisquis quod ad virtutem attinet, siuit se alitibus istis, nulla rectæ rationis vi præditis, deprehendi inferiorem. Illę genitorem per senium defluxu pennarum degraescentem, suismet pennis circundatum fouent, & abundè victum, lautéque submini strantes subsidium etiam ei, quoad fieri potest, in ipso volatu præstant sensim vtrinque suis eum subleuantes alis. Idq; adeò diuulgatum est, adeóque notum: vt quidam harum ipsarum alitum nomine vicariam gratiæ dictionẽ appellent ἀντιπελάργωσιν. Hactenus D. Basilius. Extat in Chiliadibus Erasmi elegantissimum prouerbium, ἀντιπελαργεῖν, centuria 10. chil. 2. in prin. Pulchra ibi leguntur ex Homero, Euripide, Aristophane, Plinio, cæterisque. Addam nihilominus quod Aristoteles de Ciconia scriptum reliquit lib. de natura animalium 9. Ciconias (inquit) genitorum senectutem inuicem educare vulgatum est. Sed sunt, qui Meropes quoque idem facere confirment vicémque reddi, vt parentes non modò senescẽtes: verumetiam

Ciconiarũ pietas.

Aristot. de Ciconiis.

Idem refert P. de gliriũ. lib. 9. cap. 57.

ſtatim, cùm iam datur facultas, alantur opera liberorum, nec patrem, aut matrem exire: ſed in cubili manentes paſci labore eorum, quos ipſi genuerunt, enutrierunt, educarunt. Hæc ille. Orus autem Apollo ſic: Parentis amatorem ſignificare volentes Ægyptij Ciconiam pingunt. Hæc enim à parentibus enutrita, non ſeparatur ab illis: verùm ad vltimam vſque ſenectam permanens, parentibus victum ſufficit. Idem libro priore de Cucupha in hunc modum ſcribit: Gratitudinem ſcribentes Cucuphã auem pingunt. Sola enim hęc cęterorum animalium parentibus iam ſenio confectis gratiam refert. In quo enim loco ab eis nutrita eſt, nidum illis conficit, ac pennas vellit, cibúmque ſufficit, quouſque renatis pennis per ſe ipſos iam parentes cibum parare poſſint. Vnde diuina ſceptra Cucupha inſigniunt. Hæc ille. Fuit autem Ciconia (vt ad fabulas nos conuertamus) antè pulcherrima puella Troiana, nomine Antigone, Laomedontis filia, quæ cùm ſe iactaret formæ pulchritudine Iunonem ſuperare, à Iunone in Ciconiam conuerſa fuit. de qua Ouidius in 6. Transformat. 20.

Orus Apollo de Ciconia.

Cucuphæ in parentes obſequium.

Ciconia puella.

Ouidius de Ciconia.

Pinxit & Antigonem auſam contendere quondam
Cum magni conſorte Iouis: quam regia Iuno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi,
Laomedónue pater: ſumptis quin candida pennis,
Ipſa ſibi plaudat crepitanto Ciconia roſtro.

Virgilij locus nonè explanatur

Huc alluſiſſe crederem Virgilium in illis verbis (ſpretęque iniuria formæ) neque exponendum ibi, que, pro id eſt: vt aliqui putant, qui omnia

coniun

coniungunt simul: videlicet iudicium Paridis, spretæ iniuria formæ. Sed hoc curiosus lector diiudicet. Non patitur autem Ciconia nos vltra progredi, priusquam Ioannis Mallaræ ciuis Hispalensis, mihíque amicissimi carmen apponam ad me olim missum, in quo Ciconiæ pietas extollitur. Id est huiusmodi,

Epigramma de pietate Ciconiæ.

Qui legis Aeneæ pietatem in fata parentis,
Cúmq; humeris olim dulce referret onus:
Laudas antiquos fratres, exarserit igne
Cùm grauis Aetna, suos qui eripuêre patres.
Mirarís quando Iunonis templa sacerdos
Ascendit, gnatis uecta duobus anus:
Non animum extollis cùm parua Ciconia nidis,
A quibus alta fuit, conuehit ore dapes?
Nonne tuas ardens exurit flamma medullas,
Antipelargias cùm pia facta uides?
Quæ ratione carent, sunt nostro exempla labori,
Vt discat grates reddere, parq; pari.

Vide infra pag. 5 & 445.

Petrus Crinit. h cap. 13.

Vocantur autem pulli inuestes (vt ait Nonius) quibus ob teneram ætatem, nulla pars corporis pilat.

Abstinentia.

EMBLEMA XXXI.

Marmoreæ in tumulis una stat parte columnæ
Vrceus, ex alia cernere malluuium est.
Ius hæc forma monet dictum sine sordibus esse,
Defunctum puras atque habuisse manus.

ANtiqua pictura huius emblematis, & mala disposito transuersos egit multos, vt deliramenta authoribus suis inculcarent. Iam meliùs depingitur. Nam in sepulchro iudicis apponitur ex alia parte vrceus: ex alia malluuium: vt intelligas iudicem ibi sepultum à muneribus contra ius accipiendis abstinuisse manus. Sic loquutus est Horatius 1. Sermonum Saty. 4.

Horatius.

Magnus uterq; timor latronibus: at bene si quis

Et uiuat

Et uiuat puris manibus, contemnat utrunq;.

Hæc verba leguntur ff. ad Leg. Iul. repetund. l. eadem. Lege Iulia repetundarum cauetur, vt vrbani magistratus ab omni sorde se abstineant, néve plus doni munerísve accipiant &c. Vide Alciatum lib. 3. dispunctionum cap. 9.

L. eadem. ff. ad Leg. Iul. repet.

Cernere malluuium est. Bayfius in libello de vasculis sic ait, Nõnulli peluim à peluendo dictam affirmant: alij à pedum lotione: inde pelluuium vas, in quo ~~manus~~ pedes lauantur. Titulus mihi videtur in hunc modum mutandus, Abstinentia iudicum.

Malluuiũ.

Titulus emblematis reponitur.

Sic et malluui vas, in ma lauã

Bonis à diuitibus nihil timendum.

EMBLEMA XXXII.

Sumtum ex Fugentio lib. 1. Harpyiæ, et lib Phineus

Zezes chiliada histor. 7.

Iunctus contiguo Marius mihi pariete, necnon
Subbardus, noſtri nomina nota fori,
Aedificant bene nummati, ſatagúntque uel ultro
Obſtruere heu noſtris undique luminibus.
Me miſerum, geminæ quem tanquam Phinea raptant
Harpyiæ, ut propriis ſedibus eiiciant.
Integritas noſtra, atque animus quæſitor honeſti,
His niſi ſint Zetes, his niſi ſint Calaïs.

Fabula Phinei apud Seruiũ.

HVius emblematis argumentum ſumptum eſt ab illa vulgatiſsima fabula Phinei, quã Seruij verbis enarrabimus. Ille igitur 3. Æneidos ſic inquit. Phineus rex Arcadiæ liberis nouercam ſuperinduxit, eóſq; illius inſtinctu excæcauit. Ob quam rem irati Dij ei oculos ſuſtulerunt, & immiſerũt Harpyias, quæ illi diu cibũ abriperent. Hic Iaſonem cum Argonautis vellus aureum petentem ſuſcepit hoſpitio. Hoc beneficio Argonautæ Zetum & Calain Boreæ filio & Orythiæ, alatos iuuenes ad pellendas Harpyias miſerũt. Illæ ex Arcadia armatos iuuenes fugientes ad inſulas Plotas peruenerunt. Et cùm vltra tendere vellent ab Iride admoni, vt à Iouis canibus abſtinerent, conuerterunt ſuos volatus. Hæc conuerſio, id eſt, ſtrophe nomen inſulis dedit. Hactenus Seruius. Sed frè ſemper in Coſmographia fallitur Seruius id quod diligens lector poterit intelligere multis in locis. Phineus igitur non Arcadię, ſed Oryſiæ rex fuit, vt ex 4. Vale. Flacci conſtat, vbi hæc narratur hiſtoria multis verſibus. Odryſia porrò in Thracia eſt, teſte Plinio, & extenditur

Seruius ſæpe in Coſmographia fallitur.

ſque

vsque ad Bosphorum Thracium, vbi tunc erat Phineus, quando Argonautæ Cholcos petebãt: indéque Harpyiæ fuere fugatæ, non ab Arcadia, vt Seruius narrat. Harpyiarum descriptio sic se habet apud Virgilium,

Virgineæ uolucrum uultus, fœdissima uentris
Proluuies, uncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

Harpyiæ vnde dictæ.

Dicuntur à rapacitate: nam ἁρπάζειν, rapere est. Sunt, qui prodant à poëtis fingi virgines, eò quòd rapina sit arida & sterilis. Ideo plumis circundatas, quòd rapina celet quicquid rapuerit. Volucres verò, ob rapinæ celeritatẽ. Tres sunt Harpyiæ, Aello, quasi ἑλὼν ἄλλο, id est, alienum tollens. Ocypete, ab ὠκὺς velox, & πέτομαι, volo. Celæno, à κελαινὸς, quod est niger.

Tres Harpyiæ.

Iunctus mihi pariete. Pariete, pes est Proceleusmaticus, constans ex quatuor breuibus sic ⏑⏑⏑⏑, quales multi sunt apud Virgilium.

Bene nummati. Nummati, Displasiasmus est: fit, quando in medio dictionis eadem consonãs geminatur. Nam numus & numatus cum simplici m, debet scribi, teste Aristotele lib. de moribus quinto. Inquit enim, Sed introductus numus est ex instituto, quasi inopiæ ac indigentiæ præsidio futurus. Ob eámque causam nomẽ duxit, quòd non à natura, sed à νόμῳ, id est, lege numus sit ortus, in nobísque ~~id fit~~, vt mutetur, reddatúrque inutilis.

Numus.

Situm sit

Obstruere luminibus. Cicero pro domo sua. Primò se luminibus eius esse obstructurum minabatur. Idem de claris Orator. Sic Laronis lu-

Obstruere luminibus.

minibus obstruxit hæc posteriorũ quasi exaggerata altiùs oratio. Vide adagium, Officere luminibus. Vide Budæum in annotat. prioribus in Pandect.

Orpheus. *His nisi sint Calais.* Verba Orphei subiiciam Latinis versibus, ne Græcis obtundamus.

Agnoui duplicem Boreæ de germine spicam,
Quos peperit nubens Illisi ad fluminis undam
Regis Erechthei diuum genus Orithia,
Qui plumis etiam circum talaria fusis
Corpore Diis similes Zetes Calaísq; uolabant.

Vide Pindarum in Pythiis Oda 4. Strophe octaua, vbi interpretes hæc nomina sic deducunt: Ζήτης, quasi ζαήτης, hoc est, ἀγαν ἄων, nimium flans. καλαΐς, id est, καλῶς ἄων, iucundè flans. Conficta creditur fabula propter nimiam velocitatem illorum, qui ad Boream habitant. vnde hi principes ad Argo venerunt. Alciatus aliam videtur sequi etymologiam. Zetea à ζητέω, inquiro. Calais ἀ καλὸς,

Zetea. integritas nostra, atque animus quæsitor.

Signa

Signa fortium.

EMBLEMA XXXIII.



DIALOGISMVS.

Quæ te causa mouet uolucris Saturnia, magni
Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, Quantùm inter aues ego robore præsto,
Tantùm Semideos inter Aristomenes.
Insideant timidæ timidorum busta columbæ,
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.

EX lib. 3. Epigram. Græco. εἰς ἀνδρείους, Antipatri est epigramma, sic,

Ὄρνι, Διὸς Κρονίδαο διάκτορε, τεῦ χάριν ἕστας
Γοργὸς ὑπὲρ μεγάλω τύμβον Ἀριστομένους;
Ἀγγέλλω μερόπεσσιν ὅθ' ὅσσον ἄριστος
Οἰωνῶν γενόμαν, τόσσον ὅδ' ἠθέων.

Δειλαί

Δειλάιτοι δειλοῖσιν ἐφεδρήσουσι πέλειαι,
Ἄμμες δ' ἀτρέστοις ἀνδράσι τερπόμεθα.

Non opus est versione.

Aristomenis historia. Aristomenis historiam quoniam multis, vt video, est incognita, paulò latiùs, quàm pro operis instituto narrabimus: quã credo legentibus non fore iniucundam. *Rhianus.* Scripsit illam Rhianus Renæus græcis carminibus, in quibus Aristomenes nihilo fuit ignobilior, quàm in Iliade apud Homerum Achilles. Pausanias in Messeniacis (Rhianum sequutus) latissimè commemorat hanc historiam: nos autem multa abscindentes, quod ad Aristomenẽ attinet, persequemur. Fuerunt igitur inter Messenios & Lacedæmonios certis de causis acerrima odia, belláque plurima, in quibus æquo Marte pugnatum est. Tandem post continuos viginti annos in bellis exhaustos (vt Tyrthæus canit) Messeniis deuictis tales leges imposuerunt Lacedæmonij. Primùm iureiurando eos astringunt, ne vel vnquam à Lacedæmoniis deficiant, vel aliàs noui quippiam moliãtur. Deinde vt de omnibus frumentis, quę agricultura comparantur in hominum alimoniam, dimidiam partem in Spartam ferrent. Decretum item est, vt ad funera regum, aliorúmque, qui magistratum gesserunt, tum viri ex Messenia, tum mulieres pullis induti vestimentis accedant. Itaque tantis oppressi ærumnis Messenij cùm nihil humanitatis in posterũ à Lacedæmoniis sperarent, satius esse duxerunt in acie cadere, aut tota Pelopõneso eiectos fugere, quàm hæc pati. Deficere itaque decreuerunt.

runt. Vrgebant eos non leuiter adoleſcẽtes quidam rerum quidem bellicarum imperiti, magnitudine tamen animi præſtantes, qui in libera patria mori mallent, quàm aliàs beato etiam ſeruitio frui. Inter quos fuit & Ariſtomenes cæteris nobilior. Nam cum eius Nicotelea, Genium aut Deum ſerpentis ſpecie aiunt rem habuiſſe. Putabatur tamen Pyrrhi, aut Nicomedis filius. Hic florens ætate excelſóque præditus animo magiſtratus ad defectionem ſollicitat: conſeritur prælium: victoriam neutri manifeſtam ſunt conſequuti. Ariſtomenem verò plura facinora edidiſſe fama eſt, quàm de vno viro credi poſsit, adeò vt finita pugna regem eum elegerint. Fuit enim oriundus ex genere Æpytidarum. Cùm regnum detrectaſſet, exercitus eum Imperatorem deſignarunt. Qui vt terreret Lacedæmonios, profectus noctu Lacedęmonem ad templum Palladis Chalciæci clypeũ ſuſpendit, cui inſcriptũ fuit, Ariſtomenes de Spartanis Deæ dicauit. Lacedęmoniis redditum fuit oraculum, vt conſiliarium Athenienſem acciperent. Athenas itaque mittunt, qui oraculum nuntiarent, & virum peterent. Athenienſes verò cùm nollent, nec res Lacedæmoniorum creſcere, neque Deo refragari, Tyrtæum Ludimagiſtrum, qui & ingenio minimè valere putabatur, & altero pede erat claudus, Spartam mittunt. Profectus eò Tyrtæus magiſtratibus & militibus elegiaca & anapæſtica recitauit carmina, quibus eorum animos ad bellicam laudem excitabat. Itur in bellum. Anaxander Spartanorum rex erat. Ariſtome

ſtomenem Legionarij ex Meſſeniis octoginta ſelecti comitabantur. Qui contra Anaxandrum & principes Lacedęmoniorũ imperterrito animo irruentes, vulneráque excipientes audacia & tempore Anaxandri milites fugabant. Hos vt inſequerentur, aliis Meſſeniorum præcepit Ariſtomenes. Ipſe autem facto in alios impetu, qui maximè reſiſtebãt, iiſdémque vi repulſis, ad alios rurſus eſt conuerſus. Cùm hos quoque abſque mora pepuliſſet, alacrius iam in eos irrupit, qui adhuc reſiſtebant: donec totam Laconũ aciem perturbauit. Cùm verò non ſine turpitudine fugerent, & vim ſuſtinere non poſſent, horribiliùs eos, quàm pro vnius hominis furore inſequebatur. Ibi ne pyrum ſylueſtrem in campo enatam curſu prę:erueheretur Ariſtomenes, pro hibuit vates Theoclus. Ad hanc enim Caſtorem & Pollucem dixit ſubſediſſe. Ariſtomenes autem cùm effrænatè ferretur, pyrum præterlapſus ſcutum amiſit. Quod dum quærit, multi animus Lacedæmoniorum fuga ſalutem quæſierũt. Poſt acceptam cladem cùm eſſet abiectus Laconibus, neque iam amplius arma ſumere ſtatuiſſent, Tyrtæus, recitatis elegis, perſuaſit eis, vt arma non abiicerent, ſed bella capeſſerent. Ariſtomeni autem Andamiam reuerſo coronas mulieres & fruges iniecerunt, canticum huiuſmodi concinentes,

In medium campum Stenyclerion, & iuga montis
Spartanos ſequitur fortis Ariſtomenes.

Ariſtomenes poſt hæc Delphos eſt profectus: cúmque ex Bœotia rediret, in templo Trophonij, re

nij,reuelante Pythia,inuenit scutum, quo accepto, maiora continuò est aggressus.Nanque ob seruato vespertino tempore in oppidum Pharis Spartanorũ peruenit. Indéq; occisis, qui repugnabant,prædam ingentem abegit. In itinere autem cùm Lacedæmoniorum quidam grauioris armaturæ milites & rex Anaxander irruerent,in fugam eos vertit,& Anaxandrum est insequutus. Sed iaculo in coxendice grauiter vulneratus, receptui cecinit:non tamẽ prædam sibi,quam abegerat,extorqueri est passus. Postquam è vulnere conualuit, cùm vellet in Spartam irrumpere,Helenæ prodigiis & Dioscurorum noctu est prohibitus. Virgines deinde quæ in honorem Dianæ in Caryis saltabãt, per insidias cepit, quarum patres opibus & autoritate valebant. Perductis his in Messeniæ vicum quẽdam, noctem illam quieuit, & militibus & manipularibus virginum custodiam demandauit.Ibi petulantes adolescentes ad violãdas virgines impellebantur, vrgebántque propositum, vel renuẽte Aristomene,tanquam Spartanis viris solùm inferrent iniuriam. Sed adeò res processit,vt cogeretur Aristomenes quosdam eorũ interficere. Deinde virgines illæsas magna pecunia redẽptas dimisit. Est in Laconica Ægila, vbi templum Cereris est:ibi festum celebrari à mulieribus cùm sciret Aristomenes, illuc cum militibus irruit.Sed cùm mulieres non sine numinis auxilio ad defensionem proueherentur, multos Messeniorum & gladiis,quibus victimas secabant,vulnerant,& verubus, quibus assãbãt, verib.

transf

transfigunt. Aristomenē autem facibus percussum, viuū capiūt. Vt autem vinculis elaberetur, Archidamia fuit in causa, Cereris sacrifica, quæ eum dimisit illa nocte, nō largitionibus corrupta, sed eius amore correpta. Excusauit autē fugam, tanquā perustis Aristomenes vinculis eua serit. Tertio belli anno cùm præliū esset cōmittendum ad fossam magnā, & Arcades ex omnibus simul oppidis Aristomeni misissent auxilia, Aristocratē Arcadum regem, & illo bello ducem pecunia Lacedæmonij corruperunt. Aristocrates accepta pecunia Arcadas celauit primò quid esset facturus. Cùm verò ad manus iam essent vēturi, eos perterrefecit, tāquā & angustiis forent cōprehensi, & si vincantur, recedendi copiam nullā sint habituri. Sacrificia insuper inauspicata fuisse asserit. Quemlibet igitur iussit, sibi fuga consulere, cùm primùm ipse signū daret. Cùm verò intulissent se iam hostibus Lacedæmonij, & contrà niterētur Messenij, sub initium pugnæ Aristocrates subduxit Arcades. Itaque sinistrū cornu, & medium agmen destitutū est prę sidio. Aristocrates flagitiū flagitio addidit. Fugit enim per mediā aciem Messeniorum. Quare Messeniis cadebāt animi, & Arcadū trāscursu sunt perturbati. Et quidā eos, vt manerēt, suppliciter orabant: quidam conuitiis aduersus eos tanquam proditores & iniuria sunt vsi. Lacedæmonij destitutos auxiliis Messenios facilè circundant, superant, fundunt. Ex Messeniorum vulgo multi ceciderunt: ex principibus etiam non pauci. Aristomenes qui multa in illa pugna

cum

cum laude pugnauerat, sed frustra propter paucitatem, collegit palantes Messenios, quibus persuasit, vt mediterranea oppida desererent, & in Iram montem commigrarent. Hunc itaq; in locum cùm se contulissent, obsidione eos Lacedæmonij cinxerunt, quibus per vndecim annos restiterunt Messenij. Nec solùm restiterunt: sed incursiones multas in agros Lacones exercuerunt, iumenta comportando, messesque Laconicas comburendo. Captiuos insuper sub hasta vendebant. Fecerunt & irruptionem in oppidum Amyclas noctu, cepitque illas Aristomenes, & diripuit, antequam Spartani suppetias possent ferre. Deinde cùm totam regionem deuastaret, obuiã factus est Lacedæmoniorum manipulis, & duobus regibus, commissóq; prælio vulnera inter pugnandum tum alia accepit, tum caput eius lapide est ictum, adeò vt tenebræ oculis offunderétur. Prostrato eo Lacones frequentes accurunt, viuumque capiunt. Ceperunt item ex eius militibus circiter quinquaginta. Hos omnes Lacedæmonij in Cæadam (barathri id nomen erat, quò Lacedæmonij nocentes præcipitabant) abiiciendos censuerunt. Cæteri Messenij deiecti in Cæadam continuò perierunt. Aristomenem autem tum quoque vt antea deorum aliquis conseruauit. Aiunt etenim Aquilam volatu se submisisse aliisque illum sustinuisse, donec ad finem barathri perueniret illæsus. Hîc iam Aristomenes forti & imperterrito animo mortem expectabat. Sciebat enim fatale hominibus esse, vt morerétur. Obuolutus

erat pallio. Tertio autem die pòst, cùm strepitum sentiret, facie detecta, vulpem cadauera corrodentem aspexit. Tacitus siuit illam ad se accedere. Eam vt accesit, cepit. Et altera manu chlamydem mordendam bestiæ obiiciebat, ne læderetur. Fugere volentẽ sequebatur per tenebras apprehensa cauda: cúmque in loca transitu difficilia esset peruentum, à bestia est auulsus. Tandem & cauernam quandam deprehendit, & per eam luminis splendorem vidit. tunc vulpem dimisit, cauernámque latiorem manibus reddidit, domúmque in Iram montem incolumis euasit. Extemplò Lacedæmoniis est per transfugas nunciatũ viuere Aristomenem. Huic rumori non minùs fidei est ~~adhibitum~~ habitum, quàm si mortuus suis viribus reuixisse diceretur. Dum hæc aguntur, Corinthij Lacedæmoniis mittũt exercitum ad expugnandam Iram. Cuius rei cùm Aristomenes esset factus certior per exploratores, nocte sopôra securos & palantes, nec excubias agẽtes Corinthios trucidat cum Ducibus, spoliaq; diripuit. Quæ res effecit, vt Spartani crederent Aristomenem viuere. Lacedæmonij post hæc quadraginta dierum inducias cum Iræ incolis pepigerunt: & ipsi quidem domum reuersi festum celebrarunt. Cretenses autem sagittarij per Messeniam passim vagabantur. Aristomeni igitur ab Ira propter inducias longiùs profecto, & securè vagãti, septem sagittarij insidias struxerunt. Captum autem loris, quæ in pharetris habebant, constringunt. Duo itaque Spartam proficiscuntur, Aristomenem

captum

captum nunciaturi. Reliqui agellum Messeniæ vicum petunt. Habitabat ibi quædam puella cum matre, patre orbata. Hæc nocte præterita per quietem viderat leonem vinctum, & vnguibus destitutum à lupis in agrum earũ esse perductum. Ipsa verò vinclis leoné exoluebat, vnguésque restituebat: & sic lupi dispersi à leone sunt visi. Tunc autem adducto à Cretensibus Aristomene, intellexit virgo, re vera sibi offerri, quod noctu antea apparuisset, & quis esset, matrem interrogauit. Vt rem percepit, Cretensibus vinum infudit liberiùs. Qui cùm fuissent inebriati, pugionem ab eo abstulit, qui maximè somno erat oppressus: & sic Aristomenis vincula resecuit virgo. Aristomenes autẽ arrepto gladio Cretenses interfecit. Hanc postea virginẽ duxit vxorem Gorgus Aristomenis filius. Hoc enim modo præmia persoluit Aristomenes puellæ pro seruata vita. Vndecimo autẽ obsidionis anno fatale iam erat tum Iram capi, tum Messenios sedibus eiici. Habebat enim Aristomenis huiusmodi oraculum,

Cùm Neda curuiuagas ex te caper hauserit undas,
Non ego Missenam tuear: quia fata propinquant.

Neda fluuius est, cuius fontes sunt in Arcadia, Messeniámque ab Elæis disterminat. Timebant itaque Aristomenes, & vates Theoclus (quibus datum fuerat oraculum) ne capri ex Neda biberent. Sed cùm vates Theoclus iuxta Nedæ ripas ambularet, conspexit caprificũ, quæ summis foliis radebat aquas: hanc Græci Olynthum nominant, Messenij Tragum, id est, ca-

prum. Vnde vates coniecit id voluisse Deum significare, instaréque iam fatum Messeniis. Id significauit Aristomeni. Reliquos Messenios id celauit. Habebant nescio quid in occulto Messenij, quod si euanescerent, futurum erat ex oraculo, vt tota Messena submergeretur: sin verò id conseruaretur, fore, vt regione aliquando Messenij recuperarent. Id cùm certò sciret Aristomenes, oracula noctu asportauit, & in monte Ithoma defodit, vbi maxima erat solitudo: Iouémque & reliquos Deos, qui Messeniam vsque ad illa tempora seruauerant, adhibuit custodes. Post hæc nocte quadam procellosa custodes deseruerunt præsidia. Id cùm per pastore quendam intelligerent Lacedæmonij, eadem nocte per tenebras inuadunt Messeniorũ arce. Quod cùm percepisset Aristomenes, venit cum Gorgo filio, Theoclo vate, Manticlo, Theocli filio, & aliis. Noctu quidem nihil memoria dignum ab vtrisque est gestũ. Orta autem luce, cùm inuicem se aspicere possent, Aristomenes Messeniis oraculum propalauit. Qui in extremã desperationẽ adducti in Lacedæmonios, quo quisque potuit modo, impetum fecerunt. Messeniæ item mulieres correptas tegulas & saxa aliáque in Lacedæmonios iaculabantur: sed imbrium & fulgurum violentia oculos Messeniorum obcæcabat. Quæ omnia Lacedæmoniorum animos erexerunt. Messenij tamen contra fatalem necessitatem totis viribus agebant. Tres itaque dies contra Lacedæmonios steterũt, & totidem noctes. Prodiit itaque vates Theoclus, & Aristomenem

ſtomenem ſic eſt alloquutus: Quid fruſtra labo ras? Capi Meſſenam prorſus nunc fatale eſt. Vidiſti caprificum, Apollo prædixit, mihi commu nem cum patria mortem Deus intentat. Tu te ipſum, reliquóſque Meſſenios ſerua. Hæc cùm dixiſſet, in hoſtes irruit, quos ſic eſt alloquutus, Atqui non perpetuò læti Meſſeniorum opibus fruemini. Poſt hæc irruptione in hoſtes facta, multos occidit, & ipſe interiit. Meſſenios à pugna auocauit Ariſtomenes, quibus præcepit, vt ſe ſequerentur, ſi quem ipſe tranſitum præberet. Congregatis igitur vxoribus & liberis in extrema parte poſuit filium Gorgum, & Manticlum vatis filium. Ipſe in principio ad hoſtes conuer ſus capitis nutu ac motu haſtæ ſignificauit ſe tranſitum petere. Lacedæmonij ex Hecati vatis conſilio aditum patefecerunt, ne rabioſi homines, & ad extremam deſperationem perducti ſupra modum ferocirent. Meſſenios abeuntes ſuſceperunt Arcades allatis veſtimentis & cibis. Terrā inſuper cum eis ſunt partiti. Poſt aliquot deinde dies cùm & Meſſenij & Arcades expeditionem occultam duce Ariſtomene, in Lacedæmonios paraſſent, Ariſtocrates (quem ſuprà diximus pecunia Lacedæmoniorum corruptū) hoc conſilium Lacedæmoniis patefecit. Hoc cùm Arcades intelligerent (nūquam enim neque Arcades, neque Meſſenij proditorem putarent Ariſtocratem) lapidibus obruerunt, inſepultúmque dimiſerunt. Rurſus Ariſtomenes cum quinquaginta Meſſeniis Iram montem inuaſit, multos ibi Lacedæmoniorum trucidauit,

illorúmq; triumphum vertit in luctũ. Reuersus in Arcadiã filium Gorgum & Manticlum vatis filium cum exercitibus dimisit, terras & sedes quæsitum. Gorgus in Siciliam peruenit, & ~~Zanclam~~ vrbem occupatam Messenem nominauit. Manticlus insulam Sardoã cepit, habitauítque. Aristomenes Delphos est profectus: quid sit ei responsum, non dicitur. Cum filia postea in insulam Rhodum se contulit. Deinde Sardis ad Ardyn Gigæ filium. Cumq; ad regẽ Aphraortẽ animo destinasset iter, morbo correptus obiit. Neq; enim debebãt Lacedæmonij vlla iam clade posthæc ab Aristomene affici. Mortuo Aristomeni Damagetus ac Rhodij monumentum ædificarunt illustre, & honores ab eo tempore decreuerunt. Aristomenẽ item contendunt Thebanis in Leuctrico prælio auxilium tulisse post mortẽ: & in causa eum potissimũ fuisse, vt cladẽ acciperẽt Lacedæmonij. Hoc breuiter ex Pausania. Quibus addimus festiuũ Marulli epigrãma.

Zanclam

Mors Aristomenis.

Viderat armatas uni dare terga cohortes,
Iuppiter & Martem credidit esse suum.
Mox ut Aristomenis notis procul agnitus armis,
Effulsit uolucris auxiliaris apex:
Macte ait, ô iuuenis, si te mea bella tulissent,
Non alia cælum tunc equisset ope.

Cruitus lib. 13. cap. 7.

Dignum est relatu quod Plinius lib. natur. hist. vndecimo, de Aristomene scriptum reliquit. Hirto corde, inquit, gigni quosdam homines proditur, neq; alios fortioris esse industriæ, sicut Aristomenem Messenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios. Ipse conuulneratus & captus semel

Plinij locus de Aristomene.

semel per cauernam latomiarũ euasit angustos vulpium aditus sequutus. Iterum captus sopitis custodibus somno, ad ignẽ aduolutus lora cum corpore exusit. Tertiò capto Lacedæmonij pectus dissecuere causa videndi, hirsutúmq; cor repertum est. Hæc Plin. Vide Plut. in vita Romuli, & Val. Max. in fine 1. libri, cùm agit de Lynceo. Sed in omnib. codicibus inoleuit mendum. Legendum est enim ibi pro Athenienses, Lacedæmonij. Quod clarius est, quàm longiori indigeat probatione. Vide etiã Cælium lib 17. c. 9. In sepulchro sunt hæ literæ, D. M. Aristomenis, quod est, Diis Manibus Aristomenis.

Hirsutum cor Aristomenis.

Ανέχε καὶ ἀπέχε.

Sustine & abstine.

EMBLEMA XXXIIII.

Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est,
Et nimium felix sæpe timenda fuit.
Sustine (Epictetus dicebat) & abstine. oportet
Multa pati, illicitis absque tenere manus.
Sic ducis imperium uinctus fert poplite taurus
In dextro: sic se continet à grauidis.

Taurus quid significet.

SVmptum est emblema ex Oro Apolline in Libel. de literis Hieroglyphicis, vbi sic ait de tauro, Hominem instabilis temperantiæ significare volentes, taurum pingunt genu dextrum ligatum: sic enim non coit. Assumitur autem taurus semper ad temperantiam significandam: quippe qui post conceptum, fœminã non adeat. Hæc ille. Vide adagium, sustine, & abstine.

Plin. lib. 8. cap. 45.

Et toleranda &c. Allusit ad carmẽ Virg. 5. Ænei.

Quidquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

Epictetus dicebat. Epictetus Philosophus fuit insignis seruus, & claudus, cuius extat Enchiridion philosophicis præceptis eisdémq; saluberrimis refertũ. Quod Politianus Latinitate donauit. Duos Epicteti de se versus citat Aulus Gellius lib. 2. cap. 18. quos is sic Latinos fecit,

Aulus gellius de Epicteto.

Seruus Epictetus fueram, qui corpore mancus,
Pauperie pressus, charus eram superis.

Duo vitia omnium grauissima

Idem Gellius de eodem lib. 17. cap. 19. Solitus (inquit) erat dicere, duo esse vitia multò omniũ grauissima ac teterrima: intolerãtiam & incontinentiam: cùm aut iniurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus neq; ferimus: aut à quibus rebus voluptatibúsq; nos tenere debemus, non tenemus. Itaq; inquit, Si quis hæc duo verba cordi habeat, cáq; sibi imperãdo, atq; obseruãdo curet,

is erit

is erit pleraque impeccabilis, vitamq; viuet tranquilliſsimam. Verba duo hæc dicebat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου. patere & abſtine. Hæc ille.

In adulari neſcientem.

EMBLEMA XXXV.

Scire cupis dominos toties cur Theſſalis ora
Mutet, & ut uarios quærat habere duces?
Neſcit adulari, cuiquámue obtrudere palpum,
Regia quem morem principis omnis habet.
Sed ueluti ingenuus ſonipes, dorſo excutit omnem,
Qui moderari ipſum neſciat Hippocomon:
Nec ſæuire tamen domino fas. ultio ſola eſt,
Dura ferum ut iubeat ferre lupata magis.

EX Plutarcho de diſcrimine adulatoris & amici, vt ſtatim ſubiiciam. Extant apud Ti-

tum Liuium, Decad. 4. lib. 9. orationes, quibus mutuis conuitiis se lacerant Philippus Thessalorum rex, & ipsi Thessali coram Legatis, quos Senatus ad disceptandas controuersias miserat. Verba Liuij apponã ex oratione Thessalorum, Nequicquam & illum victum, & se liberatos esse, vt equum tenacem non parentem, frænis asperioribus castigandũ esse. Philippus sic claudit suam orationem, Insolenter & immodicè abuti Thessalos indulgentia populi Romani, velut ex diutina siti nimis auidè meram haurientes libertatem. Itaque seruorum modo præter spem repentè manumissorum licentiam vocis & linguæ experiri, & iactare sese insectatione & conuitiis dominorum. Subdit paulò pòst Liuius in oratione Maronitarum: Itaque dominari assentatores regios, his solis loqui & in Senatu & in concionibus licere: eos omnes honores & capere ipsos, & dare aliis: optimũ quenque, quibus libertatis, quibus legum cura sit, aut exulare pulsos patria, aut inhonoratos, & deterioribus obnoxios silere. Plutarchi verba sunt: Pulchrè igitur Carneades, qui diuitum & regum filios nihil rectiùs discere, quàm equitare affirmabat. Præceptor enim illis inter literarum exercitationes palpatur: illis in palæstra se submittunt Antagonistæ, vincíque sinunt. Attamen equus qui, sitne princeps an priuatus, dies an pauper sessor ignorat, dorso excutit indoctum moderatorem. Hæc Plutarchus. Equus verò libertatis est insigne.

Carneadis pulchrum dictum.

Nescias hippocomon. Alciatus in annotationibus

bus in lib.12.C.in l.non patimur ypocomos, vbi legendum Hippocomos, id est, stabularios, qui equos curant. ἵππος enim equũ significat, κομέω nutrio, curo. Existimo autem fuisse munus publicum eorum qui in id agebantur, vt de prouincialibus acceptos causa publici cursus equos cura sua alerent. Hæc ille.

Obdurandum aduersus vrgentia.

EMBLEMA XXXVI.

Philostrati Eicone Paludes

Palmæ pressæ o sursum curuantu Xenophõ Pędia

Nititur in pondus palma, & consurgit in arcum,
Quò magis & premitur, hòc mage tollit onus.
Fert & odoratas bellaria dulcia glandes,
Queis mensas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige, mentis
Qui constantis erit, præmia digna feret.

EX

EX Aulo Gellio in Noctibus Atticis, cuius hæc sunt verba, Perhercule rem mirandam Aristoteles in octauo Problematon, & Plutarchus in 8. Sympos. dixit. Si supra palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tã grauiter vrgeas, oneréque, non deorsum palma cedit, nec intra flectitur: sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur recuruatúrque. Propterea (inquit Plutarchus) in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ: quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibúsque non cedat. Hactenus Gellius. Quę verba nusquam viderat, qui in hoc emblemate interpretãdo, magno conatu magnas nugas dicebat. Cùm autorum testimonia, quæ videre cõtigerat, huc referre pararem, venit in mentem prouerbij, Palmam ferre. Quod si legeris, nihil erit amplius, quod desideres. Vide Philostrati Icones lib. 1. in Paludibus. Vide Orũ Apollinem lib. 1. Causam fornicationis palmæ reddit Plutarchus in Libello de causis naturalibus, problemate 32. his verbis, Cur inter omnes arbores sola palma contra impositum onus assurgit? vtrùm quòd ignea, & spirabilis facultas, qua maximè pollet, cùm tentatur & irritatur, sese exercens magis, & magis erigit? An quoniam pondus ramo subitò vrgens, aërem omnem, qui in his est, oppressum cedere retro cogat, qui deinde resumptis paulò viribus, aduersus onus acrius rursus instat? An molles & teneræ virgæ impetum non sustinentes, cùm onus quieuit, paulatim se erigunt, & speciem, quasi contra

Palma aduersus pondus resurgit.

Palma cur renititur oneri.

tra illud assurgant, præbent?

I *puer & reptans &c.* Hæc omnia eò tendunt, vt pueri laboris admoneantur, qui postea dulcissimos fructus solet elargiri. Nescio an ad palmæ naturam alluserit Solomon in Canticis cap. 7. cùm inquit, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Certè nullus interpretum eorum, quos viderim, quid literalis sensus significet, indicat. Phornutus in lib. de natura Deorum, cap. de Musis, loquens de palma, Arbor hæc, inquit, difficulter scanditur, fructúsque producit dulcissimos: vt non immeritò etiam propter hasce causas, ea coronentur Musæ.

Solomonis locus obscure explicatur.

Omnia mea mecum porto.

EMBLEMA XXXVII.

Humus

Hunnus inops Scythicique miserrimus accola Ponti,
Vsus perpetuo liuida membra gelu.
Qui Cereris non nouit opes, nec dona Lyæi,
Et pretiosa tamen stragula semper habet:
Nam murinæ illum perstringunt undique pelles,
Lumina sola patent, cætera operta agit.
Sic furem haud metuit, sic uentos temnit & imbres,
Tutus apúdque uiros, tutus apúdque deos.

Biantis apophthegma.

SVmptum ex celebri illo Biantis apophthegmate, qui enumeratur inter septem sapiétes, cuius (vt inquit Cicero in Paradoxis) cùm patriam Prienem cepisset hostis, cæteríque ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: cùm esset admonitus à quodam, vt idem ipse faceret. Ego verò (inquit) facio. nam omnia mea mecum porto. Hæc Cicero. Hoc tam insigne dictum, vt nobis in pictura ostenderet Alciatus, depingit Hunnum pellibus coopertum, nihílque pretiosi gestantem: vnde fit, vt & frigora contemnat, & latrones non pertimescat.

Cantabit enim uacuus coram latrone uiator, vt inquit Iuuenalis. Hunni porrò sunt in Scythia Europæa, iidem cum Sarmatis, de quibus Mela libro 2. Sarmatæ, inquit, auri & argenti maximarum pestium ignari: vice rerum cõmercia exercent, atque ob sæuitiam hyemis admodum assiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant: totum braccati corpus, & nisi, qua vident, etiam ora vestiti. Quidius 3. de Tristi.

Hũni qui.

Quidius.

Pellibus & sutis arcent mala frigora braccis,

Oráq;

Oráq; de toto corpore ſola patent.

Idem. 5. de Triſt.

Quos ut non timeas, poſſis odiſſe, uidendo,
Pellibus & longa corpora tecta coma.

Vide Valerium Maximum lib. 7. cap. 2. & Alciatum lib. 6. Parergon cap. 26.

Concordiæ Symbolum.

EMBLEMA XXXVIII.



Cornicum mira inter ſe concordia uitæ eſt,
Mutua ſtátq; illis intemerata fides.
Hinc uolucres ~~hoc~~ ſceptra gerũt, quòd ſcilicet omnes has
Conſenſu populi ſtántq;, cadúntq; duces.
Quem ſi de medio tollas, diſcordia præceps
Aduolat, & ſecum regia fata trahit.

Deſum

vide Ios. Scalig. in Tibul. pag. 137

DEsumptum ex lib.3.de animalibus Æliani Græci scriptoris citante Politiano cap.67. Miscella.in hæc verba,Cornices inter se fidissimæ sunt:& cùm societatem coierint,maximo se opere diligunt.Neque id genus animalia videat quispiam licenter misceri,& temerè. Quin hoc quoque dictitant,qui res istiusmodi callent, altera extincta, comparem viduam degere. Cæterùm id quoque audio,veteres in nuptiis post Hymenæum, cornicem inuocare, signúmque id concordiæ dare iis consuesse, qui liberûm quęrendorum gratia conuenissent.Tum qui sedes auium & volatus obseruant, inauspicatum esse captantibus auguria dicunt, vnius tantùm cornicis obsequium. Hæc Ælianus. Idem ferè Orus Apollo in Hieroglyphicis sic, Martem & Venerem scribentes,aut nuptias, geminas cornices pingunt, marem, & fœminam, quoniam hoc animal duo oua parit: ex quibus marem & fœminam generari oportet, iugati mares cum fœminis alteri cornici non admiscentur.Itidem neque fœmina alteri mari: verùm dissociati soli degunt. Ideo vnicæ cornici occurrentes augurantur futurum, vt viduali vita sibi sit viuẽdum. Sic ille.Vide adagium,Cornicum oculos configere.Cuius explanationem non admittit noster Alciatus lib.7.Parerg.cap.17.quem vide. Ouidius 1. Fastor.nonnihil agit de concordia ibi,

Cornicum fidißima societas.

Alciatus non admittit explanationem.

Candida te niueo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Et secum regia fata trahit. Alludit ad illa famigerata verba,quæ posuit Salustius in Iugurtha,

Concor

Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabũtur. Quod & euãgelicæ literæ testantur. Secundus versiculus claudicat: quare quidam reposuerunt,

Mutua státq; illis intemerata fides.

Concordia.

EMBLEMA XXXIX.

In bellum ciuile duces cùm Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra suis:
Mos fuit in partes turmis coëuntibus easdem
Coniunctas dextras mutua dona dare.
Fœderis hæc species, id habet concordia signum,
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.

SVmpsisse Alciatũ hoc emblema ex Cornelio Tacito, vel inde apparet, quod ipsemet Alciatus in scholiis, quæ in Tacitum edidit, annotauit, ídque in lib. 2. dextras fidei symbolum præferre, adducítque hunc locum ex lib. 18. Centurionémque Sisennam dextras, cócordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad Prętorianos ferẽtem, variis artibus aggressus est. Est & alius locus in Tacito, quo idem significatur. Inquit enim li. 17. Miserat ciuitas vetere instituto dona legionibus, dextras hospitij insigne. Posse hoc emblema & lucidari ex Cornelio Tacito autor mihi fuit amicus summus meus Alphõsus Sanctius Ballesta Talabricensis, cuius ingenium & literas, quas græcas cum latinis feliciter coniunxit, nouissima probauerit, quisquis candidos eius mores, vitæque summam integritatem fuerit expertus. Cuius eò libentius mihi grata occurrit memoria, quòd de concordia agimus, quæ mihi cum eo summa intercedit, vt non tantùm manus, sed & corda vel in magna locorum distantia habeamus coniũcta. Emblematis igitur hic est sensus, Cùm belli ciuilis temporibus totus orbis in duas diuisus esset partes, mos fuit, vt quicunque dux vel populus in alteram partem vergeret, offerret, & simul acciperet dextras. Intelligo autem dextras coniunctas auro vel argento elaboratas vel depictas: hoc enim videtur sentire Tacitus tribus illis in locis. Vnde constat malè depictũ esse emblema viuorum hominum manus coniungens.

Alphõsus Sanctius Ballesta.

Malè depictum emblema.

Romani à Marte orti.

Martia terra. Romanos à Marte traxisse originem

ginem tritum & peruulgatum est. Lege Titum Liuium in principio totius operis.

Mos fuit in partes. Sic ordino, Mos fuit dari dextras coniunctas mutua dona, turmis coeuntibus in easdem partes, id est, cùm turmæ eiusdem factionis coirent in vnam eandémq; partem, vt bellum inferrent alteri. Hæc ideo lõgiusculè sum prosequutus: quia video à plerisque magni nominis viris aliter, sed perperam, meo quidem iudicio, passim explanari.

Coeuntibus eadem. Synæresis est figura, quæ fit, quando duæ vocales in vnicam contrahuntur syllabam.

Coniunctas dextras. Dextra fidei dicata est. Virgilius 6. Æneidos,

Dextra quid significet.

—Nec ueriti dominorum fallere dextras.

Plinius lib. 11. cap. 45. Ineſt & aliis partibus quædã religio: sicut dextra oſculis auersa appetitur, in fide porrigitur. Ouidius 6. Metamorph.

Vt pignus fidei dextras utraſq; popoſcit,
Inter ſeq; datas iunxit.

Cicero ad Atticum, Vbi sunt illæ densæ dextræ? Idem in Philippum: Dextræ quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt, & scelere violatæ. Dextrã in fide porrigi ideo ait Varro, quòd omnis veterum autoritas dextræ manus virtute constaret. Autor est Plutarchus Flamines rem diuinam manu ad digitos inuoluta facere cõsuesse, symbolicè significantes, fidem tutandam esse, ac eius sedem in dextris esse sacratam. Quæ Cælius Rhodig. de dextris disputat lib. 22. cap. 4. ridicula planè sunt.

Flamines qualiter sacra faciebant.

Concordia vnde dicta.

Id *habet concordia signum.* Concordia dicta est quasi cordium coniunctio. Quæ coniunctio quia reipsa nequit fieri, vt scilicet corda ipsa amicorum coniungantur, id fit per dextrarum apprehensionem: dextræ enim parti potior cordis vis incumbit, & ipsa dextra manus est cordis potissima ministra.

Concordia insuperabilis.

EMBLEMA XL.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta simul pietas mutua, & unus amor:
Inuicti humanis ut uiribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

EX vltimo Iustini Historici lib. vbi hæc verba leguntur, In alia parte Hispaniæ, & quæ ex

ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac pabuli tanta lætitia est, vt nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuêre, vt Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipsum non triplicis naturæ (vt fabula proditur) fuisse ferũt: sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, vt vno animo omnes regi viderentur. Nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cùm armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetiisse. Sic ille. Geryon porrò (vt ad fabulas conuertamur) filius fuit Chrysaoris, qui fuit Medusæ filius, vt testatur Hesiodus in Theogonia, in hãc sententiam,

Hesiodus.

Edidit at Chrysaor sibi Geryonea trifaucem,
Herculis ante suos illum uis inclyta tauros
Perdidit, atq; animam claua deponere iussit.

Silius Italicus lib. 13.

Silius Italicus.

Qualis Atlantiaco memoratur littore quondam
Monstrum Geryones immane tricorporis iræ,
Cui tres in pugna dextræ uaria arma gerebant.
Vna ignes sæuos, ast altera ponè sagittas
Fundebat, ualidam fundebat tertia cornum:
Atq; uno diuersa dabat tria uulnera uisu.

Talis depingitur Herilus apud Virgilium,

Herilus apud Virgilium.

Et regem hac Herilum dextra sub Tartara missi,
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat, cui tum tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.

Vide Plinium lib. 4. cap. 2. & Pomponiũ Melam

lib.3.cap.6.Ouidius 9.Metamorph.

— Nec me pastoris Iberi
Forma triplex mouit.

Isocrates. Huic armenta Hercules abduxit, ab Euristheo iussus, vt est apud Isocratē in Encomio Helenę.

Vnum nihil, duos plurimùm posse.

EMBLEMA XLI.

Laërtæ genitum, genitum quoque Tydeos unà,
Hac cera expreßit Zenalis apta manus.
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cùm duo coniuncti ueniunt, victoria certa est:
Solum mens hominem, dextráue deßituit.

Ex

EX lib.10.Homericę Iliad.hoc argumentum fuit desumptum. Sed ne longum faciam, vide adagium apud Erasmum, Duobus pariter euntibus. Verba porrò Homerica sic vertit ille,

At mihi si quis alius ueniat comes, ille futurus
Solamen, fueritq; simul fiducia maior,
Si duo coniuncti ueniant. Dein hic prior illo,
Si quid opus facto, uidet. Atqui solus & unus
Quanuis perspiciat: tamen est mens segnior illi, &
Consilium tenue.

Vide præterea adagiũ, Vnus vir nullus vir. Pręter citata ab Erasmo loca, illud ab Aristo. dictum in lib. de moribus octauo ferè in prin. adiicio, Σύν τε δύ' ἐρχομένῳ, καὶ γὰρ νοῆσαι, καὶ πράξαι δυνατώτεροι. hoc est, Pariter autem si duo iter faciant, & maiora mente concipere, & plura conficere poterunt. Attigit & locum Homeri Claudianus, cùm sic cecinit in Sexto Consulatu Honorij,

Nunc mihi Tydiden attollant carmina uatum,
Quòd iuncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibúsq; simul, religatáq; somno
Thracia, sopiti penetrauerit agmina Rhæsi,
Graiáq; retulerit captas ad castra iugales.

Et Ouidius in Oratione Vlyssis;

Deniq; de Danais quis te laudátue petitue?
At sua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, & socio semper confidit Vlysse.
Est aliquid de tot Graiorum millibus unum
A Diomede legi, nec me sors ire iubebat.

Laërtæ genitum Tydeos. Antonomasia est, vt annotauit Plutarchus in vita Homeri: significat

enim Vlyſſem,& Diomedem. Laërtes pater fuit Vlyſsis, vt liquet ex Ouidio in eadem Oratione,

Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,
Iuppiter huic.

Tydeus. Tydeus filius Oenei regis Ætoliæ pater Diomedis, fuit magnus bellator, paruus tamen corpore. De quo dictum fuit illud peruulgatum,

Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.

De quo ſatis multa Statius, præcipuè lib. 3. The.

Solùm mens hominum. Ordo eſt, Mens, id eſt, illa potentia, qua præſtat ſapiens, deſtituit ſolum hominem.

Firmiſsima conuelli non poſſe.

EMBLEMA XLII.

Oceanus

Oceanus quamuis fluctus pater excitet omnes,
Danubiúmq; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæsar
Dum Carlus populis bellica signa dabit.
Sic sacræ quercus firmis radicibus astant,
Sicca licet uenti concutiant folia.

SVmptũ ex lib. 1. Epigram. Græcorũ titulo, εἰς ἀνδρείαν. Epigramma Græcũ est Crinagoræ:

Οὐδ' ἢν ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμῦραν ἐγείρῃ,
Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ:
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον ἐλάψει σθένος, ἄχρι κεμίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλίη.
Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπελα ῥίζαις
Εστᾶσιν φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι.

Sic vertit Ioannes Sleidanus,

Oceanus moueat licet omnes undiq; fluctus,
Et potet Rhenum Theutona terra suum:
Non cadet imperium Romæ, quo tempore Cæsar
Præerit, ac solus publica facta reget.
Sacra Ioui quercus nam si radicibus hæret,
Et tamen aridulas huic rapit aura comas.

Vsus est Virgilius hac similitudine lib. 4. Æneidos, quæ Æneę constantiam ostenderet: quam ab Homero sumpsit, teste Macrobio lib. 5. ca. 6.

Ac uelut annosam ualido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc,
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram, concusso stipite frondes.
Ipsa hæret scopulis, & quantum uertice ad auras
Aetherias, tantum radice in tartara tendit.

Vide 2. Georg. Esculus in primis qui quãtũ vertice auras, etc

Vide adagiũ, Incus maxima nõ metuit strepitus.

Oceanus vnde dictus.

Oceanus quamuis pater. Dictus Oceanus à ve-

locitate. ὠκὺς enim citum & velocem significat. Quod videtur innuere Mela Pomponius in principio 3. cùm inquit, Tanta vi semper immissum, vt vasta etiam flumina retroagat, & aut terrestria deprehēdat animalia, aut marina destituat.

Oceanus pater. Dicitur autem pater ex Thaletis Milesij opinione, qui omnia ex aquis generari existimauit. Plutarchus in vita Homeri, adducítque illud Homericum,

Ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Vnde Virgilius 4. Georgicôn,

Oceanúmq; patrem rerum, Nymphásq; sorores.

Danubius & Ister idem. *Danubiúmq; omnem.* Danubius & Ister idē est, teste Pomponio Mela lib. 2. cuius verba sunt, Apertis in Germania fontibus, alio quàm desinit, nomine exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius est: deinde aliter appellantibus accolis Ister fit, acceptísque aliquot amnibus ingens iam, & eorum, qui in nostrum mare decidunt, tantùm Nilo minor, totidem, quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus, effluit. Hæc ille. Exonerat autem in pontum Euxinum, solus in Europa ad Orientem cursum perpetuũ dirigens. Vide Plinium lib. 4. cap. 12.

Hyperbole in Turcam. *Barbare Turca bibas.* Hæc verba magnam innuunt hyperbolen: idem enim sonant, ac si dixisset, O barbare Turca etiam si tot hominum millia congregares, quot dicitur olim Xerxes Persarum rex, à cuius copiis flumina ingentia exsiccata tradit Herodotus, nihil quicquā proficeres, si aduersus inuictum Cæsarem arma moueres:

ueres: imò iam omnibus notũ est, qualiter aliquando salutem fuga quæsieris, idque præfractis pontibus, ne à Cæsarianis capereris. Sed hæc nõ sunt nostri instituti, & Caroli Cæsaris inuictissimi triũphi & parta gloria, magna desiderãt volumina. Vide Pantalæonis Prosopographiã.

Quercus sacra Ioui.

Sic sacræ quercus. Sacræ, Ioui scilicet: nã Græca verba sic habent, ὅτω καὶ ἱερὰ ζηνὸς δρῦες. Hoc est: sic & Ioui sacræ quercus. Causam, cur Ioui sit sacrata hæc arbor, idem Alciatus refert in fine libri huius sic,

Alciatus.

Grata Ioui est quercus, qui nos seruátq; , souétq;.
Seruanti ciuem querna corona datur.
Glande aluit ueteres, sola nunc proficit umbra:
Sic quoq; sic arbos officiosa Iouis.

Spes proxima.

EMBLEMA XLIII.

Innumeris agitur respublica nostra procellis,
Et spes uenturæ sola salutis adest:
Non secus ac nauis medio circùm æquore, uenti
Quam rapiunt, salsis iámq; fatiscit aquis.
Quòd si Helenæ aduenient lucentia sydera fratres,
Amissos animos spes bona restituit.

MVlti sunt vel poëtarum vel historicorum loci, vnde potuit Alciatus hoc sumpsisse epigramma. Apponam igitur potiora: vt diligés Lector hac de re facilè sententiam ferre possit.

Theocritus. Theocritus eidylio 27. multa de Castoribus canit.

Pindarus. Pindarus decima Nemeæorũ ode, satis multa de Castore & Polluce. Vide Homerum & eius interpretes lib. Iliados 3. in illo versu,

Κάστορα θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα.

Horatius primo Carminum,

Dicam & Alciden, puerósq; Lædæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit.
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt uenti, fugiúntq; nubes,
Et minax (sic dij uoluêre) ponto,
Vnda recumbit.

Plinius Naturalis historiæ li. 2. cap. 37. Vide (inquit) nocturnis militum vigiliis inhærere pilis, pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium, aliísque nauium partibus, seu vocali quodam sono insistunt, vt volucres sedem ex sede mutantes. Graues cùm solitariæ venêre, mergétésque nauigia: & si in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem salutares, & prosperi cursus

cursus prænuntiæ: quarum aduentu fugari diram illam, ac minacẽ, appellatámque Helenam ferunt. Et ob id Polluci & Castori id numen asignant, eósque in mari deos inuocant. Homi num quoque capita vespertinis horis magno præsagio circunfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ maiestate abdita. Hæc Plinius. Anneus Seneca, Naturalium Quæstionum lib. 1. sic, Argumentum tempestatis nautæ putant, cùm multæ transuolãt stellæ: quod si signum ventorum est, ibi venti sunt, id est, in aëre, qui medius inter lunam & terram est. In magna tempestate apparent quasi stellæ velo insidentes, adiuuari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine. Causa autẽ melioris spei est, quòd iam apparet frangi tempestatem, & desinere ventos. Sic ille. Solet & hoc nostro tempore id splendoris siue luminis nautis apparere, inter procellas & tempestates: quo viso bene sperare incipiunt nautæ, ídque vel D. Nicolai, vel S. Thermi, siue D. Hermiæ numini tribuunt. Res tamen est naturalis (nautarum pace dixerim) vt maximi nominis Philosophi prodidere. Nam fit hic ignis in infima aëris regione ex fumo pinguiore, qui frigiditate aëris nocturni cogitur atque densatur. Incenditur autem ex concursu duarum cõtrariarum qualitatum, quæ inter se pugnant. Vapor enim calidus est, & aër nocturnus frigidus. Concurrunt autem tantisper, donec hac agitatione vapor incendatur. Figitur autem pilis, aut antennis nauium, propter eius grauitatem, vbi tantisper hæret, donec incen

Pollux & Castor.

Anneus Seneca de maris tempestate.

Pollux & Castor causa melioris spei.

incendij materia fuerit absumpta.

Fatiscere vnde.

Salsis iamq; fatiscit aquis. Seruius in illo Virgilij versu, remisque fatiscunt, sic inquit: Fatiscunt, abundanter aperiuntur: fatim enim abundanter

Fatim, affatim.

dicimus, vnde affatim: id est, affatim hiscunt.

Quod si Helenæ &c. Ita Horatius primo Carminum,

— Sic te diua potens Cypri,
Sic frater Helenæ lucida sidera.

Castor, & Pollux Iouis & Ledæ filij.

Intelligit autem Castorem & Pollucem, qui vt in fabulis est, Iouis & Ledæ fuerunt filij. Iupiter enim in cygni formam versus Ledam compressit: quæ peperit oua, è quorum altero gemini nati sunt Castor & Pollux: ex altero verò

Ortus fabulæ.

Helena. Quæ fabula ex dictione ὠοτοκέω nata est, vt ait Athenæus lib. 2. cap. 7. in Dipnosophistis, qui asserit ὠὸν, id est, ouum, idem apud veteres, quod ὑπερῶον significasse, id est, superiorem thalamum, cœnaculum, vel cubiculum, quale tribuit Homerus Penelopæ primo Odyss. Atque ideo nati ex ouis: quia ex superiore parte domus

Dioscuri.

fuerint nati. Dicuntur autem hi gemini Dioscuri, id est, Iouis filij. Quorum fabulam elegantèr narrat Ouidius, in fine quinti Fastorum, his verbis,

Absulerant raptas Phœben, Phœbesq; sororem
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntq; suæ, & frater & Idas,
Leucippo fieri pactus uterq; gener.
His amor, ut repetant, illis ut reddere nolint,
Suadet, & ex causa pugnat uterq; pari.
Effugere Oebalidæ cursu potuere sequentes:

Sed

Sed uisum celeri uincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus est, apta area pugnæ:
Constiterant illo nomina fida loco.
Pectora traiectus Lynceo Castor ab ense,
Non expectato uulnere pressit humum.
Vltor adest Pollux, & Lyncea perforat hasta,
Qua ceruix humeros continuata coit.
Ibat in hunc Idas, uixq; est Iouis igne repulsus:
Tela tamen dextræ fulmine rapta negant.
Iámq; tibi Pollux cælum sublime patebat:
Cum mea, dixisti, percipe uerba pater.
Quod mihi das uni, cælum partire duobus:
Dimidium toto munere maius erit.
Dixit, & alterna fratrem statione recepit:
Vtile sollicitæ sidus utrunq; rati.

Sidera. Sidus latinum est verbum, ideo scribendum cum i, non per y, vt imperiti scribunt, & considerare & desiderare. Est autē sidus conglobatio multarum stellarum quod aliqui constellationem dicūt, vt Taurus, Orion. Quanuis aliquando sidus pro stella ponatur contra præceptum Macrobij. *Sidus.*

In

In Simulachrum ſpei.

EMBLEMA XLIIII.

Stobæus de Spe ſermone 109

Quæ Dea tam læto ſuſpectans ſydera uultu?
Cuius peniculis reddita imago fuit?
Elpidij fecere manus: ego nomino illa,
Quæ miſeris promptam ſpes bona præſtat opem.
Cur uuidis tibi palla? Quòd omnia me duce uernent,
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod uiuos ſperare decet, præcido ſepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi uolitantibus undiq; noxis,
Aſcræi ut docuit Muſa uerenda ſenis.
Quæ tibi adeſt uolucris? Cornix fidiſſimus oſcen,
Eſt bene cùm nequeat dicere: dicit, Erit.
Qui comites? Bonus euentus, præcépſq; Cupido.
Qui præeunt? Vigilum ſomnia uana uocant.

Quæ

Quæ tibi iuncta aſtat? Scelerum Rhamnuſia uindex,
Scilicet ut ſperes nil niſi quod liceat.

EX multis Authorum locis aptè concinnatum eſt hoc emblema: quapropter ſingula carmina percurramus, vt vnicuique ſuam explanationem adaptemus.

Quæ Dea tam læto ſuſpectans ſidera uultu: Videtur verſiculus exprimere geſtus ſperantium, qui ſemper Cælum intuétur: quoniam omnia bona è ~~Cælo~~ coelo atque à Deo ipſo bonorum omnium datore prouenium.

Elpidij fecere manus. Nullus extitit, quod ſciã, pictor aut ſtatuarius hoc nomine: ſed eleganter fictum eſt à Græco fonte. ſpes enim græcè dicitur ἐλπὶς, vnde Elpidius.

Spei encomia.

Ego *nominor illa* &c. Hæc explicatius dixit Ouidius 1. de Ponto Elegia 7.

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras,
In Diis inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, ut uiuat foſſor quoq; compede uinctus,
Liberáq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut uideat cùm terras undiq; nullas,
Naufragus in mediis brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit:
Nec ſpes huic, uena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem:
Atq; aliquis pendens in cruce uota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo ſua colla ligantes,
Non eſt propoſita paſſa perire nece.

Spei quoque commoda ſcribit eleganter Tibul. lib. 2. Eleg. 7.

Iam mala finiſſem letho: ſed credula uitam

Spes fouet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis, credit aratris
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Spes etiam ualida solatur compede uinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi: sed negat illa,
Hei mihi, ne uincas dura puella deam.

Viridis color spei dicatus.

Cur uiridis tibi palla? Viridis color non immeritò spei semper fuit dedicatus, similitudine ducta à segetibus, quas quando virides videmus, speramus illas ad maturitatem peruéturas. Hæc subindicat Alciatus in illo emblemate de coloribus,

Nos sperare docet uiridis, spes dicitur esse
In uiridi, quoties irrita retro cadit.

Quod uiuos sperare decet. Sic ordino, Præcido sepultis illud, quod decet sperare viuos: vt illud, quod, sit in accusandi casu, non aduerbium. Post mortem enim nulla est spes, quam dum viuimus, nullo pacto amittimus. Theocritus,

Theocritus de spe.

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δ' θάνοντες.

Id est,

In uiuis est spes, sine spe sunt mortui.

Vide adagium, Ægro, dum anima est, spes est. *Cur in dolioli tegmine.* His tribus carminibus tangit fabulã, quam Hesiodus posuit in lib. 1. Ἔργων καὶ ἡμερῶν. Quã quia prolixè ille est prosequutus, satiùs duxi Lectorem illuc remittere, prælibatis tantummodo, quæ huc pertinebant sic,

Viuere dulce fuit quondam: sed tegmen ab urna,
Dum Pandora leuat, totum exiliere per orbem
Curarum infectæ effigies: spes sola remansit

Intus,

Intus, & è labris ima sub parte resedit:
Obstitit impositum nam tegmen abire uolenti.

Erasmus in adagio, Malo accepto stultus sapit, narrat hãc fabulam, sed concisè, & qui videatur innuere Epimetheũ aperuisse pixidem (si pixis vocandum est vas illud, quod omnia mala continebat, & non dolium) cùm ipsa Pandora in domo Epimethei repertum vas aperuit. Certè verba Hesiodi non indicant, vas illud posse Latinè dici pixidem,

Pixis Epimethei.

Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι, πίθου μέγα πῶμα ἀφελοῦσα.

Hoc est, Sed mulier manibus magnum operculum auferẽs &c. Vide Plutarchum in Consolatione ad Apollonium. Moschopulus in Hesiodum Satyros dicit doliũ dedisse Epimetheo, ante Pandoræ aduentum.

Quæ tibi adest uolucris. Duplici de causa cornix simul cum spe coniũgitur. Prima propter ostẽtum illud, quod in morte Domitiani contigit. De quo sic ait Suetonius, Ante paucos, quàm occideretur, mẽses cornix in Capitolio elocuta est, ἔσται πάντα καλῶς. Id est, omnia rectè procedẽt. Nec defuit, qui ostentũ sic interpretaretur,

Cornix cum spei coniungatur. Suetonius de cornice.

Nuper Tarpeio, quæ sedit culmine cornix,
Est bene non potuit dicere, dixit Erit.

Hæc Tranquillus in fine totius operis. Altera est causa, (vt ego coniecto) propter frequentem istius auis clangorẽ, quæ semper ingeminat hoc aduerbiũ, cras, cras: vnde meritò spei symbolũ est cornix, propterea quòd semper qui sperant, animi pendeant in futurum tempus.

Authoris altera ratio.

Qui comites? bonus euentus. Circũfertur libellus

Bartolomei Marliani, qui inscribitur Topographia vrbis Romæ. Ibi igitur lib. 6. cap. 6. hæc verba reperi, Templi boni euentus vestigia quadrata, & oblonga spectãtur, inter Mineruæ & S. Eustathij plateas. Colebatur autẽ euentus, vt omnia prosperè fœlicitérq; euenirent. Quare Varro ad Fundaniam scribẽs, ipsum inuocãuit. Cuius simulachrum erat habitu pauperis, dextra manu pateram, sinistra verò tenens spicam. Praxitelem huius Diui simulachrũ in Capitolio feciſſe testatur Plinius. Hæc ille. Vide etiã Alexandrum ab Alexandro in lib. Dierũ genialium lib. 4. cap. 12. Et Plinium lib. 34. cap. 8.

Varro de euentu.

Emendatur versus.

Qui præeunt? Hæc verba mihi videntur posse melius legi sine interrogatione, & ad superiora referri: vt intelligas bonum euentum, & Cupidinem Spei esse anteambulones, qui etiam vocantur somnia vana vigilum. Sed de hoc liberum esto iudicium. Hoc autem ex Platone sumptum est, qui τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι, hoc est, spes esse vigilantium somnia. Et Quintilianus lib. 6. cap. 3. spes inanes, & tanquam somnia quædam vigilantium.

Diog. Laertij Aristotele

Quæ tibi iuncta astat. De Nemesi Pomponius Lætus sic ait in Romanarum historiarum compendio, Virgo & victrix Nemesis numen fuit, quo qui ex malefactis delinquebãt, puniebãtur. Vnde victores Nemesim non frustra inuocabant. Romani enim semper iusta mouẽre arma. Cæteræ nationes odio, & maleuolẽtia liuoréq;, quòd imperium tantæ vrbis iustitia augeretur, tela in populum Romanum capiebãt. Nemesis, quam

Nemesis quod numẽ fuerit.

quam plerique existimauêre esse vim fortunæ, alij filiam iustitiæ, alij vim quandam esse inter cælestes discurrentem, prima rerum semina, quę fatorum & fortiũ vires temperat atq; emendat, rebus humanis trutinam adhibens è cælóque terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur. Et cùm sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse atque grassari, alata fingitur à veteribus; & eius pedibus supponitur rota, cùm citissimè discurrat. Sed tandem multitudine scelerũ indignata, oculos iam diu à rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cæli vltra terrarum regiones nõn reditura, renascentem vrbem expectat. Rhamnusia est appellata ab Rhãnunte oppido Atticæ regionis, vbi templum & simulachrum habuit, & ab Adrasto, Adrastia. Roma templũ huic Deæ posuit in Capitolio: vt inde suam vrbem posset vlcisci. Hæc ille. Marullus libro 3. Epigram. *Rhãnusia.*

Quænã hæc, tam semper quæ læta est? optima rerum
Spes bona. Quæ lateri iuncta potens Nemesis.
Dux magis an comes est? vindex magis. Vnde duabus
Templa eadem? speres ne nisi quod liceat.

Si plura de spe cupis, adi Stobæũ sermone 109.

In dies meliora.

EMBLEMA XLV.



Rostra nouo mihi setigeri suis obtulit anno,
Hæcq; cliens uentri xenia (dixit) habe.
Progreditur semper, nec retro respicit unquam
Gramina cùm pando proruit ore uorax.
Cura uiris eadem est, ne spes sublapsa retrorsum
Cedat: & ut melius sit, quod & ulterius.

Mos xeniorũ antiquitus.

SOlebant antiqui (id quod ad nostra vsque tempora perdurat) mittere mutuò xenia, nouo incipiẽte anno: vt bene discamus sperare, & à lætitia incipiat annus. Hoc repræsentat porculus, qui non retrograditur, cùm pascitur. Epigramma facile est.

Illicitum

Illicitum non sperandum.

EMBLEMA XLVI.

Spes simul, & Nemesis nostris altaribus adsunt,
Scilicet ut speres non nisi quod liceat.

IN lib. 1. Epigrammatum Græcorum est distichon εἰς ἐλπίδας. ad quod videtur alluſisse Alciatus. Sed diuersa clausula. Nam Græcum distichon irridendo concludit hoc pacto:

Ἐλπίδα καὶ Νέμεσιν Εὔνους ἐπὶ βωμὸν ἔτευξα,
Τὴν μὲν ἵν' ἐλπίζῃς, τὴν δ', ἵνα μηδὲν ἔχῃς.

Sic vertit Politianus,

Spem simul & Nemesim posita dicat Eunus in ara,
Scilicet ut speres omnia, nil habeas.

EMBLEMA XLVII.

Porphyrio domini ſi inceſtet in ædibus uxor,
Deſpondetq; animum, præq; dolore perit.
Abdita in arcanis naturæ eſt cauſa: ſit index
Synceræ hæc uolucris certa pudicitiæ.

Cæl. Rhodig. lib. 4. c. 10. Porphyrionis natura.

EX Athenæo in lib. 9 cap 12. cuius verba ſic tranſtuli: Polemon in quinto eorum, quæ ad Antigonum ſcripſit, Porphyrionem auem refert, in quacunque domo fuerit enutrita, vxorum pudicitiam mirè ſeruare, & eiuſmodi præſenſionem habere in adulteriis: vt ſi tale quid cognouerit, ſtatim domino ſignificet, ſuſpendio vitę finem imponens. Addit prętera hãc auem non priùs cibum ſumere, quàm loco cõmodo reperto, vbi pauliſper deambulet. Poſtea ſe pul-

uere

nere conſpergens lauat. Sic demum cibũ capit. Ariſtoteles autem eam inter ſciſsipedas cõmemorat, cæruleóque eſſe colore, cruribus longis, roſtróque iuxta caput purpureo, magnitudine Galli gallinacei. Eorum etiam, quæ pedibus apprehendit, ſeruat fruſtula. Fodientis more bibit. Quinque digitos habet, inter quos medius eminet. Alexander Myndius in 2 de Volucrũ hiſtoria Libycam eſſe auem dicit, inter Libycos Deos numen habere. Omnia hæc ex Athenæo. Porphyrio (inquit Plinius) ſolus morſu bibit: idem ex proprio genere omnem cibum aqua ſubinde tingens: deinde pede ad roſtrum veluti manu afferens Laudatiſsimi in Comage. Roſtra iis & prælonga crura rubent. Porphyrio Hiſpanè dicitur Calamõ, vt admonet Antonius Nebriſſenſis in Quinquagenis, cap. 35. De hac aue, vide Ælianum & Oppianum. Ioannes Tzetzes Chiliade 9. ſic ait,

Ὁ πορφύρεον ὀρνέον ἄγαν ὑπάρχει σῶφρον,
Ὡς εἰ κὴ μόνην ὄψεις πόρνην εὐθέως θνήσκειν.

Id eſt,

Porphyrio auis ualde eſt temperans,
Vt ſi ſolum meretricem uideat, ſtatim pereat.

Nicolaus Leonicus lib. 3. de varia hiſto. cap. 17. latè proſequitur Porphyrionis naturam. Fit & in Leuitico mentio cap. vndecimo.

PERFIDIA.

In victoriam dolo partam.

EMBLEMA XLVIII.



Aiacis tumulum lachrymis ego perluo Virtus,
Heu misera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc restabat adhuc, ut iudice Græco
Vincerer: & causa stet potiore dolus.

EX lib. 3. Epigram. Græcorum, tit. εἰς ἥρωας, autore Asclepiade,

Ἀσ' ἐγὼ ἀτλάμων ἀρετὰ τῶνδε πάθημαι
Αἴαντος τύμβῳ πειραμένα πλοκάμους,
Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ἕνεκα Ἀχαιοῖς
Ἀσολίφρων ἀπάτα κρεῖσσον ἐμῦ κέκριται.

Vrsinus,

Dilaniata comas uisu miserabilis, heu

Consti

Conſideo ad cineres hîc Telamoniadæ,
Icta dolore graui, mihi quòd fraus callida quondam
Iudicibus Graiis ante locata fuit.

Aliud Epigramma Antipatri eiuſdem ſentẽtiæ,

Σῆμα παρ' Αἰάντειον ὅτι ῥοιτήϊον ἀκτῇ
Θυμοβαρὴς ἀρετὰ μύρομαι ἐζομένα.
Ἀπλόκαμος, πινόεσσα δι' ἀκρίσιν· ὄφρι πελασγῶν
Οὐκ ἀρετὰ νικᾷν ἔλλαχεν, ἀλλὰ δόλος.
Τέυχεα δ' ἂν λέξειεν Ἀχιλλέος, ἄρσενος ἄκμας,
Οὐ σκολιῶν μύθων ἄμμες ἐφιέμεθα.

Ego ſic vertebam,

Aiacis propter Rhœteo in littore buſtum
Aſſideo Virtus: nec leuis ira mea eſt.
Dilaniata comas, lachrymans, quòd mouit Achiuos
Non Virtus, quando uicerit arte dolus.
Arma uel hæc dicant Pelidæ fortis, imane
Quid uolumus uerbum? poſcimus arma uirum.

Cæterùm quoniam in hoc Antipatri epigrammate de Rhœteo facta eſt mentio, déque ſepulchro Aiacis, libuit hoc loco nonnihil de hac re, priuſquam ad alia tranſeo, diſputare, etſi commodiùs id poſſe fieri crederem in illo emblemate, quod de Achillis ſepulchro compoſitum eſt. Cuius initium eſt,

Aeacidæ tumulum Rhœteo in littore cernis. vng. 397

Achillis ſepulchrũ fuit in Sigæo, Aiacis in Rhœteo Idę mõtis promontoriis. Quod ex Cicerone pro Archia, & Mela lib. 1. cap. 18. & Plinio & Strabone liquet. Deceptus igitur Alciatus Solinum ſequutus, qui etiam malè intellectis Plinij verbis Achillem in Rhœteo ſepultum aſſerit.

Achillis ſepulchrũ.

Alciatus deceptus.

Agamemnonem intelligo.

Iudice Græco. Quanuis in bonam & in malam

lam partem si accipiantur hæc verba, in vtroque sensu conqueritur Virtus. Ego tamen in malam partem accipio: quoniam Græci malè audiebant circa fidem & probitatem. Vide Adagia, Græca fide, & Pergræcari.

Græca fides.
Pergræcari.

In fraudulentos. & inuidos.

EMBLEMA XLIX.

Parua lacerta, atris stellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras & caua busta colit,
Inuidiæ prauiq; doli fert symbola pictus.
Heu nimium nuribus cognita zelotypis.
Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,
Sit quibus immersus stellio, uina bibat.
Hinc uindicta frequens decepta pellice uino,
Quam formæ amisso flore relinquit amans.

EX

EX Plinij Naturalis historiæ li. 29. cap. 4. Fit enim inquit, & è stellionibus malum medicamentum. Nam cùm immortuus est vino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit: ob hoc in vnguento necant eum insidiantes pellicum formæ. Idem lib. 30. cap. 10. Operæ pretium est scire, quomodo præripiatur, cùm exuitur membrana hyberna aliàs deuoranti eam, quoniam nullum animal fraudulētius inuidere homini tradunt. Inde stellionem nomen aiunt, in maledictum translatum. Hæc Plinius. Ouid. in lib. Transfor. 5. sic canit de Latona, & stellione:

Stellionis nomen in maledictū translatū.

Dum ~~scribit~~ illa datum: duri puer oris, & audax
Constitit ante Deam, risitq́; auidamq́; uocauit.
Offensa est, neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquidæ mista perfudit diua polenta.
Combibit os maculas: & quæ modò brachia gessit,
Crura gerit, cauda est mutatis addita membris,
Inq́; breuem formam, ne sit uis magna nocendi
Contrahitur, paruaq́; minor mensura lacerta est.
Mirantem, flentemq́;, & tangere monstra parantem
Fugit anum, latebramq́; petit, aptúmque colori
Nomen habet, uariis stellatus corpora guttis.

Ex his vltimis versibus patet, cur dictus sit stellio. Græcè dicitur ἀσκάλαφος: quia sit ἀσκελὲς τῆ ἀφῆς, id est, contactu asper & durus: hinc dictum crimen stellionatus, vbicunque titulus criminis deficit. Vide Alciatum lib. 1. Parergon cap. 46. & lib. 8. cap. 5. Venus apud Apuleium de Asino aureo sic loquitur de suo Cupidine, Quibus modis stellionem istum cohibeam.

Stellio cur sic dictus.

Crimen stellionatus.

Stellatus corpora. Hellenismus est: vt nuda pedem,

dem, hoc est secundum pedē. Græci sæpe omittunt hanc præpositionem κατά, id est secundum.

Nam turpi obtegitur. Ordo est: Nam quisquis vina biberit, quibus sit immersus stellio, obtegitur faciem turpi lentigine. Ex verbis Plinij citatis, & ex ipso emblemate videtur addendum in titulo, & Inuidos.

Titulus emblematis emendatur.

Dolus in suos.

EMBLEMA L.

pag. 515

Altilis allectator anas, & cærula pennis
Adsueta ad dominos ire redire suos:
Congeneres cernens uolitare per aëra turmas,
Garrit, in illarum se recipitq; gregem,
Prætensa incautas donec sub retia ducat.
Obstrepitant captæ; conscia at ipsa silet.

Perfida

Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa aliis, exitiosa suis.

ALciatus lib 9. Parergon cap. vndecimo sic ait. In Milite Plautino vitiosè legitur Palestrio, cùm legendum sit, Paleutrio, nomen veteratori, impostoríque seruo conueniens. Vnde & παλεύτρια, quasi allectatrices aues Aristoteli lib. de historia animalium 9. turtures vel columbæ, quæ aluntur, vt alias alliciant, & aucupes ad congeneres capiēdas adiuuent. Quod & in coturnicibus fieri consueuit, itémque anatibus: de quibus (est enim aucupij genus valde iucundum) nos quandoque sic carmine lusimus,

Locus Plauti emendatus.

Altilis allectator anas, & cærula pennas
Assueta ad dominos ire redire suos:
Congeneres cernens uolitare per aëra turmas,
Garrit, in illarum se recipitq; gregem:
Incautas donec prætensa in retia ducat.
Obstrepitant aliæ: conscia at ipsa flet.
Perfida fraudatrix cognati sanguinis ales,
Officiosa aliis, insidiosa suis.

Hactenus Alciatus. Erasmus in adagio, Sedens columba. Mos est, inquit, aucupibus exoculatam columbam in reti ponere, quæ subsaltans cæteras columbas alliciat. Ea græcis dicitur paleutria, à verbo παλεύειν, quod est, seducere, siue in laqueum illicere. Aristoph. in Auibus de columbis loquens,

καὶ ἐπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας ἐν δικτύῳ.

Id est,

Et

Et cogit paleutriam agere alligatas in reti.

Vide item Adagium, Pulchrè fallit vulpem. Aristot. lib. 9. de historia animalium, cap. 7. sic ait. Palumbum allectricum (quæ domi excæcatæ aluntur) priùs mas, quàm fœmina moritur.

Maledicentia.

EMBLEMA LI.

Archilochi tumulo insculptas de marmore uespas
Esse ferunt, linguæ certa sigilla malæ.

Archilochi maledicentia.

MVlta sunt Græca Epigrammata in Archilochum, & in eius maledicentiam, & Iambos. Sed vnum tantùm apponam ex lib. 3. tit. εἰς ποιήτας.

Σῆμα τόδ' Ἀρχιλόχου παραπόντιον ὅσποτε πικρὴν

Μοῦσαν

Μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρόσσος ἔβαχε χόλῳ,
Αἱμάξας ἑλικῶνα τὴν ἥμερον. οἶδε Λυκάμβης,
Μυρόμενος τρισσῶν ἅμματα θυγατέρων.
Ἠρέμα δὴ παραμείψων ὁδοιπόρε, μήποτε τοῦδε
Κινήσῃς τύμβῳ σφήκας ἐφεζομένους.

Quidam vertit,

Archilochus iacet hoc in littore tectus, amara
Cuius uipereo carmina felle madent.
Sanguine fœdauit Musarum Helicona: Lycambes
Luget natarum turpia lora trium.
Hospes abi tacitè, moueas ne fortè crabrones,
Illius in tumulo quos habitare uides.

Archilochi crebra est mẽtio apud autores. Vide Adagia, Archilochia edicta: & Archilochi patria: & Archilochũ teris: &, Irritare crabrones. Et Alciatum lib. 5. Parergon cap. 18. Valerium Maxi. lib. 6. cap. 3. Ouidium in Ibin, Horat. in arte Poetica, *Archilochus.*

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Et alibi,

Et agentia uerba Lycambem.

In receptatores ſicariorum.

EMBLEMA LII.

ex Fulgentio 6.3. cap. 142.

Latronum furúmque manus tibi ſæua per urbem
It comes: & diris cincta cohors gladiis.
Atq; ita te mentis generoſum prodige cenſes,
Quòd tua complures allicit olla malos.
En nouus Actæon, qui poſtquam cornua ſumpſit,
In prædam canibus ſe dedit ipſe ſuis.

Fabula Actæonis.

HOc totum Epigramma alluſio eſt ad fabulam Actæonis, de qua Ouidius latè lib. 3. Metamorph. Breuiter autem ſic habet fabula, Actæon venator Ariſtæi ex Autonoë filius, Cadmi nepos, cùm ex venatione laſſus ad fontem potaturus accederet, Dianam ibi vidit nudam lauantem ſe. Quod illa ægrè ferens, in faciem

Actæonis

Actæonis aquam inspersit, ille continuò in cer-
uum cõuersus est. Quem cùm canes conspexis-
sent, in eum irruẽtes dilaceratum comederunt.
Nanque ita Saturni legibus cautum fuerat (vt
ait Callimachus in quodã hymno) vt qui Deum
inuitum cernat, ingenti mercede cernat. Quò
respexisse videtur Virgil. in Pharmaceut. cùm
dixit,

Fer cineres Amarylli foras: riuoq; fluenti,
Tránsq; caput iace, ne respexeris.

Vide pulchrum de Tiresia (qui Pallada quoque vidit nudam, & propterea oculis captus est) in Miscella. Politiani cap. 8. Vide Erasm. in prouerb. Ale luporum catulos. Actæonis autem figmentum sic ad historiam reducit Palephatus de fabulis: Actæon Arcadicus genere vir erat venationis amator, qui quidem ob id multos canes alebat, & cum eis in montibus venabatur, bonarum rerum atque facultatis suæ negligens prorsus. Illo autem tempore omnes homines propriis manibus laborabant, operariíque per se erant. Actæoni verò rei domesticæ curam negligenti, quinimò venationi dũtaxat intento facultas omnis & vita defecit. Cùm autem nihil amplius in bonis haberet, in illum homines dicebant, δείλε Ἀκταιῶν, ὃς τοὺς ἰδίων κυνῶν κατεβρώθης. Id est, O miser Actæon, qui à propriis canibus consumptus es. Hæc ille. Conuersus autem fingitur in ceruum haud abs re. Nam sic aptè significatur stultitia. Autor nanque est Aristoteles, omnia animalia, quæ magnum cor habent, timidiora, insanioráque esse. Vnde apud

Tiresias.

Palephatus reducit fabulam ad historiam.

Magnum cor habent timida animantia.

Homerum Achilles vocat Agamemnonem

Οἰνοβαρὲς κυνὸς ὄμματα ἔχων, καρδίην δ' ἐλάφοιο.

Temulente, qui canis oculos habes, cor autem cerui. Vide adagium, Ceruinus vir. Plinius quoque autor est, pauida esse animalia, quibus prægrãde sit cor: quo in numero refert mures, lepores, asinos, ceruos &c.

Latrones vnde dicti.

Latronum furumq;. Latrones olim dicebantur, qui comitabãtur imperatorem, quasi laterones: quia circa latera esse solebant, à verbo Græco λατρεύω, quod est, inseruio. Nunc dicuntur viarum obsessores, qui publicè & per vim furãtur, à latendo dicti, vel quòd à latere adoriantur.

Quòd tua complures &c. Martialis libro 9. Epigramma. 15.

Hunc quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mulos, & fumen, & ostrea, non te:
Tam bene si cœnem, noster amicus eris.

In adu

In adulatores.

EMBLEMA LIII.

Semper hiat, semper tenuem qua uescitur auram,
Reciprocat Chamæleon,
Et mutat faciem, uarios sumitq; colores,
Præter rubrum, uel candidum.
Sic & Adulator populari uescitur aura,
Hiánsq; cuncta deuorat:
Et solùm mores imitatur principis atros,
Albi, & pudici nescius.

PRimus quisq; versus est Hexameter: secundus quisque Iambicus dimeter constans quatuor Iambis, recepto tamen in locis imparibus Spondeo. Sumptum est autem Emblema ex Plutarchi libello de discernendo amico ab

Vnde desumptum emblema.

Chamæleō. adulatore. Verùm (inquit) adulatori prorsus id accidit, quod solet Chamæleonti. Siquidem & ille colorum omnium exprimit similitudinem præterquam albi. Itidem adulator cùm sese similem præstare nequeat, in his quæ digna sunt studio, nihil in turpibus inimitatum relinquit. Plinius lib. 8. cap. 33. Reddit semper quencunq; colorem, quem proximè attingit, præter rubrũ candidúmque. Meminit & Aristoteles Chamæleontis lib. de moribus 1. cap. 10. & Plutarchus in Alcibiade. Vide prouerb. Chamæleonte mutabilior. Ouidius lib. 13. Metamor.

Id quoq; quod uentis animal nutritur & aura,
Protinus assimilat, tetigit quoscunq; colores.

Chamæleonta non edere falsò creditũ est. Falsò creditur Chamæleon nihil edere ac vento nutriri: quia octo mensium, atque interdum integri anni famem tolerat. Nam cùm pulmonibus magnis sit præditus, ventum intrò magno impetu attrahit, eóq; intumescit. Venatur muscas, scarabeos, locustas, formicas & alia insecta, quibus præcipuè vescitur. Chamæleon, nomen est animalis & herbæ mutantis colorem, à χαμάι, id est, humi, & λέων, quasi leo terrestris. Aristotel. 4. de parti. animal. cap. 11. Omnium verò ouiparorum pedestrium tenuissimus Chamæleon est. Præ nimio nãq; metu, multiformis efficitur. Metus enim refrigeratio per inopiam sanguinis calorísque est. Vide eundem de natura animal. lib. 2. cap. 11. per totum.

Ei qui

Ei qui semel sua prodegerit, aliena credi non oportere.

EMBLEMA LIIII.

Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Nescia cur pullos tam male credis auis?
Dira parens Medea suos sæuissima natos
Perdidit, & speras parcat ut illa tuis?

EX quodam Archiæ poëtæ Epigram. libro I. Florilegij, tit. εἰς φιλοξοργίαν, quod sic habet,

Αἶαν ὅλην νήσους τε διπλαμένην σὺ χελιδὼν,
Μηδείης καπνῷ πυκτίδι νοσσοτροφεῖς.
Ἔλπῃ δ' ὀρφαλίχων πίστιν σέυ τήνδε φυλάξειν
Κολχίδα, μηδ' ἰδίων φεισαμένην τεκέων;

Sic vertit Marullus paraphrasticè,

Quid uaga tot terras, urbésq; emensa uolucris,
Colchidos in sæuo nidificas gremio?
Pignoribusq; tuis credis malè sana fidelem,
Ipsa suos partus quæ laniauit atrox?
Ni sœtus exosa tuos Pandione nata
Phasiaca quæris perdere sæuitia.

Huc quoque allusit Politianus,

Medeæ statua est misella hirundo,
In qua nidificas, tuos ne credas
Huic natos, rogo, quæ suos necauit.

Multa in Medeam sunt epigrammata in lib. 4. Epigram. Græco. tit. εἰς ἡρωΐδας. Vnum tamen est eiusdem argumenti, quod vide.

Medea fuit Corinthia.

Dira parens Medea. Medeę patria fuit Corinthus, vt testatur Pindarus, ode 13. Olympi. & interpres Apollonij, non Colchi, vt plerique existimant. Sed iam euicit vsus, vt Medea dicatur Colchis, propterea quòd pater eius Aëta Corinthum linquens, Colchos tenuit, vbi regnauit diu: quò appulit Iason cum Argonautis, vellus aureum reportaturus, qui illam surripiens in patriam adduxit, duósque ex ea filios sustulit. Sed Iason postea coactus est, filiam Creontis regis ducere Medea repudiata, quæ ita ira excanduit, vt duos filios, quos ex Iasone susceperat, in patris conspectu trucidaret, nec priùs à cædibus abstinuit, quàm nouam nuptam cum tota domo concremaret. Tum demum Athenas se contulit, Ægeóque Athenarum regi iam seni nupsit, &c. Hæc breuiter perstrinxi, quia nihil tritius, quàm Medeæ historia. Qui tamen plura cupit, adeat

Medeæ crudelitas.

ntra sentit
lianus lib. 5.
p. vltimo.

Senecam

Senecam in Tragœdia, cui titulus Medea. Et Ouid.lib.Metamorph.7.

Temeritas.

EMBLEMA LV.

Vide Patri C Italij emble. 1.

Patrarcha sone

In præceps rapitur, frustra quoque tendit habenas
Auriga: effræni quem uehit oris equus.
Haud facilè huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

PHilon Iudæus lib.1.de vita Mosis sic ait. In vniuersum dabat operam, vt ad primos impetus animi resisteret, quasi contumacē equum obseruans: nimirum, ne inuito auriga ratione, cursum plus satis accelerantes confunderent, perturbaréntque omnia. Hæ sunt enim bono-

Philon Iudæus de Mose.

rum & malorum origines: bonorum, si ratio teneat imperium: contrariorum, si affectus dedisceant obedientiam.

Furor & rabies.

EMBLEMA LVI.

Ora gerit clypeus rabiosi picta leonis,
Et scriptum in summo margine carmen habet:
Hic hominum est terror, cuius possessor Atrida
Talia magnanimus signa Agamemno tulit.

EX Pausania lib. 5. qui primus ἐλιακῶν, cuius haec sunt verba. Timor Agamemnonis scuto insidet, habens caput leonis cũ hoc carmine.

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν: ὁδ' ἔχων Ἀγαμεμνών.

Id est,

Hic timor est hominum, sed cum gestans Agamemnõ.

Paulò

Paulò aliter Homerus Agamemnonis arma depinxit. illius verba nos sic Latina fecimus, ex lib. 11. Iliad.

Accipit ingentem clypeum, pulchrumq; superbumq;.
Orbibus hunc decies circundabat æreus orbis,
Bisq; decem in gyrum radiabant ultima bullis:
Ast media infixis clauis, atq; ære rigebant.
In medio horribilis surgebat Gorgone sæua:
Vmblicus durus, circum, terrórq;, timórq;.
Desuper huic inerant cælata argentea lora:
Cæruleus queis terga Draco maculosa trahebat.
Ipse triceps ternam tollebat in astra coronam.

Orus Apollo sic inquit, Terrorem significantes, leonis caput pingunt: quoniam hoc fortissimum animal, omnibus aspicientibus timorem incutit. *Leonis caput terrorē significat.*

Cuius possessor Atrida. Atreus Tantali filius fuit, & pater Agamemnonis, & Menelai, qui etiam Atridæ dicuntur. Horatius, *Atreus.*

— Nestor componere lites
Inter Pelidem festinat, & inter Atridem.

Signa Agamemno tulit. Agamēnon filius Atrei, & Æropes, de quo multa Homerus. Nam rex fuit Mycenarum, & rex regum in expeditione Troiana dictus, ab ἄγαν id est, valde, & μέμνω, maneo, duro. quasi qui diu duret in bello: aut qui in operanda virtute sit indefessus. Paulò tamen aliter deriuat Socrates apud Platonem in Cratylo. quanquam ratio etymologiæ eodem tendat. Etymologia verò hæc, ἀγαστὸς καὶ τῷ ἐπιμονήν. *Agamēnon vnde dictus.*

In te

In temerarios.

EMBLEMA LVII.

Aſpicis aurigam currus Phaëthonta paterni,
Igniuomos auſum flectere Solis equos.
Maxima qui poſtquam terris incendia ſparſit:
Eſt temere inſeſſo lapſus ab axe miſer.
Sic pleriq; rotis fortunæ ad ſidera Reges
Euecti, ambitio quos iuuentis agit:
Poſt magnam humani generis cladémq; ſuámq;,
Cunctorum pœnas denig; dant ſcelerum.

Phaëthon.

HAnc de Phaëthonte fabulam latè proſequitur Ouidius ex fine 1. Metamorph. per magnam partem 2. Idcirco ſuperuacaneum duxi tritam fabulam inculcare. Primus verſus huius epigrammatis alludit ad Epitaphium Phaëthontis, quod loco citato ſcribit Ouidius,

Hic

Hic situs est Phaëthon, currus auriga paterni:
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Vtitur exemplo Phaëthontis Horatius lib. 4. Carminum ad Philonidem amicam, qui illam monet, ne altiora se petat, sic,

Terret ambustus Phaëthon auaras
Spes, & exemplum graue præbet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.
Semper ut te digna sequare, & ultra
Quàm licet, sperare, nefas putando
Disparem vites.

Ciceronis locus de fabula Phaëthontis.

Cicero quoque Offi. 3. sic de Phaëthonte meminit. Ac ne illa quidem promissa seruãda sunt, quæ non nisi iis ipsis vtilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio (vt redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optauit, vt in currum patris tolleretur. Sublatus est, atque is antequam constitit, ictu fulminis de flagrauit. Quantò melius fuerat, in hoc promissum patris non esse seruatum? Hæc ille. Plinius Nat. histo. li. 37. cap. 2. Phaëthontis, inquit, fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quẽ Padum vocamus, vt plurimi poëtæ græci dixerunt. Sed paulò inferiùs subdit, Phaëthõtem in Æthiopia Ammonis obiisse Theophrastus asserit &c. Vide Icones Philostrati, tit. Phaëthon, & Plutarchum de Sera numinis vindicta.

In eos,

In eos qui supra vires quicquam audent.

EMBLEMA LVIII.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno
Sub picea, & clauam cæteráq; arma tenet,
Alciden Pygmæa manus prosternere letho
Posse putat, uires non bene docta suas.
Excitus ipse, uelut pulices, sic protcrit hostem,
Et sæui implicitum pelle leonis agit.

Philostrati locus de Pygmæis.

PHilostrati verba subiiciam Latinè, quæ sic se habent: Herculem in Libya dormientem, post Antæum superatum, Pygmæi inuadunt, vt Antæum vlciscerentur: cuius se fratres asserebant, non quòd athletæ, aut illi pares essent, sed quòd terrigenæ, & alioqui fortes. Quibus è

bus è terra exeuntibus (nam veluti formicæ terram habitant) concitatur arena, Non aliena, sed propria, propriisque manibus culta pascuntur. Cùm messis aduenit, securibus dicuntur vti in spicas, eò quòd arbores eas arbitrentur. Sed ô temeritatem, Herculem dormientem se interfecturos asserunt, quem nec vigilantem formidarent. Ipse verò ex palæstra defessus in arena cubat dormiens, exanimisque ante ipsum iacet Antæus. Pygmæorum verò manus Herculem circunsistit: vnáque phalanx siniſtram, duæ dextrã inuadunt. Sagittarij & funditores pedes obsident, ingentes tibias non sine admiratione spectantes. Alij caput oppugnant, inter quos erat rex, húcque machinas omnes impellunt, arcem veluti munitissimam expugnaturi, admouent ignem comæ, oculis sarculos, naribus & ori fores: ne cùm caput captum fuerit, posit Herculeſ respirare. Dum hæc circa dormientem agũtur, ecce hic erigitur, tantúmque ridens adesse discrimẽ, hostes colligit vniuersos ínque pellem Leonis congerit, ad Euristæum (vt coniecto) reportaturus. Hæc ex Philostrato, quæ satis nostrum declarant emblema. De Pygmæis vide Aristot. 8. de nat. ani. cap. 12 & Plinium lib. 7. cap. 2. Homerus autem in principio 3. Iliados meminit huius rei, carmina sic obiter vertebã,

Ac veluti sonitus ingentes æthere ab alto
Ingeminant tristes imbres hyemémq; perosæ,
Lata grues cani repetentes littora Ponti,
Pygmææ bellum genti crudele minantes.

Pomponius Mela lib. 3. cap. 9. loquens de sinu

Arabi

Arabico, Fuere(inquit) interius Pygmæi minutum genus, & quod pro satis frugibus contra grues dimicando defecit. Solinus in Thracia ponit Pygmæos, in vrbe Gerania. vnde fugatos à gruibus ait Plinius lib. 4. cap. 11. Ouid. lib. Metamorph. 6. sic scribit,

Altera Pygmææ factum miserabile matris
Pars habet, hanc Iuno iussit certamine victam
Esse gruem, populúmq; suis indicere bellum.

Vide Iuuenalem Satyra 13.

Cubitus dicitur græcè πυγών, vnde appellati Pygmæos tradit Eustathius. Vide adagia, Pygmæorum acrothinia colosso adaptare, & Communis Mercurius.

Alcidem Pygmæa. Sic ordina, Pygmæa manus putat posse prosternere letho Alcidem, dū dormit, &c. Alcides dictus est Hercules, vel ab auo Alcæo, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, fortitudine.

Alcides vnde dictus.

Pelle leonis agit. Id est, portat, vel adducit ad Euristæum. Vide verba vltima Philostrati citata.

Impossi

Impoſsibile.

EMBLEMA LIX.

Abluis Aethiopem quid fruſtra? ah deſine, noctis
Illuſtrare nigræ nemo poteſt tenebras.

DIſtichon Luciani, quod reperies in lib. 2. Epigrammaton Græcorũ tit. εἰς ἀδύνατον ſic,

Εἰς τί μάτην νίπτεις Αἰθίοπα ἐνδυκέως; ἴσχεο τέχνης,
Οὐ δυνάσαι δυσφερὴν νύκτα καθυλίσαι.

Eraſmus,

Abluis Aethiopem fruſtra, quim deſinis artem?
Haud unquam efficies nox ſit ut atra, dies.

Æſopicus apologus extat de quodam qui emit Æthiopem, ratúſq; illum colorem non natura, ſed præteriti domini negligentia accidiſſe, perpetuis lotionibus, miſerum vſque ad morbum

Apologus Æſopi de Æthiope.

diuexauit. Vide prouerbium, Æthiopem lauas. Et, Æthiops nunquã dealbescit. Natiuũ Æthiopum nigrorem ex sideris vicini vapore putat Plinius accidere. Ouid. 2. Metam. ad fabulam retulit, ex incendióque Phaëthontis accidisse, vt Æthiopes nigrescerent.

Sanguine tum credunt in corpora summa uocato,
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.

Æthiops autem dicitur à verbo Græco αἴθω, ardeo & ὄψ aspectus ꝙ solis vicinitate torreatur

---

Cuculi.

EMBLEMA LX.

Ruricolas, agreste genus, plerique cuculos
Cur uocitent, quænam prodita causa fuit?

Vere

Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore uites
Qui non absoluit, iure notatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui thalamum prodit uxor adulterio.

EX Alciato lib. 7. Parerg. cap. 5. sensus emblematis est, Per cuculum significantur desides agricolæ, deinde illi, quorũ vxores alteri se dedunt. Alciati verba sunt, Ego (inquit) cuculos peculiari conuitio agricolas dictos apud veteres legi, qui negligentes, socordes, tardíque essent: quòd non priùs putatas vites haberent, quàm cuculus canere cœpisset. Horatius,

Magna compellans uoce cuculum.

Græcè κόκκυξ à voce dicitur, vt appareat veteres Græcos ypsilon per v, eo more quo nos Latini facimus, pronunciasse. Recẽtiores Grammatici cuculos dici hos homines putant, à natura auis, quæ in alienũ nidũ, maximè hypolaidis (quam ipsi corucã vocant) oua sua trãsfert. Sed hac ratione non cuculi, sed corucæ dici debuisset: cùm non ipsi in alienũ, sed alij in suũ nidũ congerãt: vnde & adulteriũ dictũ, quasi ad alterius torum. Hæc Alciatus. qui illã recentiorũ opinionẽ non probat. Eius sententiã in fine emblematis aperiam. Latiùs hæc prosequitur Erasmus duobus adagiis Cuculus, &, Hernioſi in campum. ibíq; citat Plinium & Hesiodum, à quibus hæc sumpta sunt, aliósque præterea. Addit insuper: quin arbitror in conuitio cuculi alluſum ad vocẽ cubandi. Quod autem ibi differit de penultima longa, non omnino probo. Nanq; & breuẽ & productam reperire licet. Horatius in Sermo.

Grammaticorum error.

Ceßisset magna compellans uoce cuculum.

Martialis,

Quanuis per multos cuculus cantauerit annos.

Cuculi varia quantitas.

Inuenio autem & quantitatem in hoc nomine variam, cuculus, cuculus, cuculus. Aristoteles li. de natu. ani. 6. cap. 7. sic ait, Pullos cuculi nemo ait se vidisse. parit tamen: verùm non in nido, quem ipse fecerit: sed interdum in nidis minorũ auium, & oua, quæ aliena reperit, edit. Maximè verò nidos palumbum petit: quorum & ipsorũ oua esu absumens sua relinquit. Multa quoque repetit de cuculo lib. 9. cap. 29. per totum. Nicolai Leoniceni circunferuntur problemata naturalium. In quorum 28. sic inquit, Cur cuculus auis in alienis (vt aiunt) semper parit nidis? An quia natura duce animantium nonnulla pro sui custodia, multa callidè & prudẽter facere videntur? Quamobrem rationis nõ omnino expertia esse bruta pleriq; philosophorum contenderunt. Timiditatis igitur suæ conscius cuculus, vtpote qui à minimis quibusque vellicetur auiculis, ita non fore tutã generi suo stirpem ratus, ni fefellerit, nullum facit nidum: sed ad alios deuolat, vbi adulterato fœta nixu pro suo alienum, & subditicium educat cuculum.

Nicolaus Leonicenus de cuculo.

Agricolæ cur vocati cuculi.

Fert oua in nidos alienos. Agricolæ non vocãtur cuculi, propterea quòd cuculi naturã imitẽtur, sed quòd domi habeãt cuculũ, id est adulterum. Sic igitur ordino: Fert cuculus oua in nidos alienos, qualiter ille, id est adulter, cui vxor, scilicet aliena, prodit thalamũ, scilicet mariti, adulterio, id est, adulterando. Vide Plinium lib. 18. cap. 26.

Vespert

Vespertilio.

EMBLEMA LXI.



Aristoph. in Au

Assumpsisse suum uolucri ex Meneide nomen,
Socratici autores Chærophoonta ferunt.
Fusca uiro facies, & stridens uocula, tali
Hunc homine m potuit commaculare nota.

SVmptum ex Suida in dictione χαιρεφῶν. Fuit Chærephō Socratis discipulus, qui propter assiduum in literis laborem, macilentus, pallidúsque fuit, dictúsque ob hoc Vespertilio. Quapropter prouerbium increbruit in macilentos & pallidos propter studiū, Nihil differs à Chęrophonte. De quo vide Erasmū, & Cæliū Rhodig. lib. 7. cap. 22. Hic est ille Chærophon, vt ait Laërtius in Socrate, cui Pythia de Socrate reddidit celebre illud oraculum, ἀνδρῶν ἁπάντων

Chærephon quis.

Σωκράτης σοφώτατος. Mortaliũ vnus Socrates verè ſapit. De veſpertilione vide Pliniũ lib. 10. cap. 61. & lib. 11. cap. 37.

Mineides. Ex *Meneide nomen.* Legendum Mineide per tertiam vocalem. Mineides autẽ Thebanæ ſorores fuerũt, Minei filiæ: quæ quia Bacchi ſacra ſpreuerunt, in veſpertiliones ſunt verſæ, quarum transformationem depingit Ouid. lib. 4

Chærephoonta ferunt. Lege Chærephoonta per αι, non per οι. additum eſt autem ὁ poeticè. Nam dicendum erat Chærephonta. Eſt autem accuſatiuus græcus. Pro hoc emblemate & ſequenti vide Alciatum lib. 9. Parer. cap. 16.

Aliud.

EMBLEMA LXII.

Veſpe

Vespere quæ tantùm uolitat, quæ lumine lusca est,
Quæ cùm alas gestet, cætera muris habet,
Ad res diuersas trahitur, mala nomina primum
Signat: quæ latitant, iudiciúmque timent.
Inde & philosophos, qui dum cœlestia quærunt,
Caligant oculis, falsáque sola uident.
Tandem & uersutos, cùm iàm sectentur utrunq;,
Acquirunt neutra qui sibi parte fidem.

ID est, Vespertilionis nomẽclatura multa significamus. Nam vt diximus præcedenti emblemate, vespertilionẽ vocamus illum, qui vocem, cutem, & colorem propter studia consumpsit. Vespertilio etiam debitorem malæ fidei significat, qui metu creditorũ etiam interdiu latitat, noctu prodit, vt indicat Alciatus de rerũ signif. Quod ab Æsopica fabella tractum est de Vespertilione, Mergo & Rubo. Vide Erasmum in adagio, Vespertilio. Significat præterea vespertilio ineptum philosophũ, qui dum arcana naturæ conatur indagare, nihil assequitur præter meras nugas: quales multos nostro tempore videmus. Quod tractum est ab imbecillitate oculorum vespertilionis, qui Solis iubar non potest aspicere. Postremò illũ designat, qui studet suam fidem in soluendo stabilire, vt sibi credatur pecunia: & vir studiosus & frugi vult haberi, vt faciliùs decipiat. Sed nulla in parte potest fidem facere. Quod ductũ est à natura animalis, quod nec mus planè, nec auis est, vt dicebat Varro citãte Nonio. Factus sum verspertilio, nec in muribus planè, nec in auibus sum. Huc alluſit Politianus in quadam Epistola. Dum nec mures

Vespertilionis varia acceptio.

planè,nec aues ſumus:vtriſque tamen nos probare tẽtamus.Orus Apollo,Hominem (inquit) imbecillem ἢ προπετευόμενον, id eſt leuẽ, & temerarium ſignificare volentes,veſpertilionem pingunt. Hæc enim auis,cùm pennas non habeat,volat tamen.

Mala nomina. Id eſt debitores,vt paſsim inuenias apud autores.

Ira.

EMBLEMA LXIII.

Alcæam ueteres caudam dixere leonis,
Qua ſtimulante iras concipit ille graues.
Lutea cùm ſurgit bilis,crudeſcit & atro
Felle dolor,furias excitat indomitas.

Plinius

PLinius Natur. historiæ lib. 8. cap. 16. Leonũ, inquit, animi index cauda, sicut & equorum aures. Nanque & has notas generosissimo cuique natura tribuit: immota ergo placido, clemens, blandienti, quod rarum est. Crebrior enim iracundia, cuius in principio terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incremẽto flagellantur. Ita enim legendum censet hunc locum doctissimus Ferdinandus Magister Pincianus in suis castigationibus Plinianis. Cælius Rhodig. lib. 13. cap 8. Quoniam verò (inquit) Plinius scribit leonem conuerberando se cauda, stimulandóque in prælium excitari, sciendũ est ex hoc facto dici eam ab eruditissimis Alcæam; ἀπὸ τῆς δι' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι, quòd eius incitamento ad fortitudinem excitetur. Plutarchus in libello de vita Homeri, sic ait, loquẽs de leone, ἐρῇ δὲ πλευρά τε καὶ ἰσχία ἀμφωτέρωθεν μαστίεται. hoc est, Cauda latera, & costas vtrinque flagellat. Est autem versiculus Homericus. Vide Orum Apollinem lib. 1. & 2. Nicolaus Leonicenus in suis quæstionibus naturalibus duas reddit causas, cur leo motet in iracundia caudã. Inquit enim, Cur leones in iracundia terga sua cauda flagellant? An quia leonum animi index est cauda? & reliqua Plinij verba. An quòd iracundia, accenso circa præcordia calore, prouenire dicitur? Calidi autem est mouere cùm omnia, tum ea magis, & crebrius, quæ mobiliora existunt, qualis sanè in animantibus omnibus est cauda. Interpres Apollonij lib. 4. à quo videtur emblema desumptum, varias huius nomi-

Leonum animi index cauda.

Cur leo motet in iracũdia caudã.

nis affert etymologias. Inquit enim, ἀλκαίη λέγεται κυρίως ἡ τοῦ λέοντος οὐρα, ἀπὸ δ' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι Id est, Alcęa propriè dicitur leonis cauda, ab eo, quòd illa se ad fortitudinem excitet. Reliqua apud eundem require. Luca. lib.1.sic,

Alcæa vnde dicta.

Lucanus de caudæ leonis.

Mox ubi se sæuæ stimulauit uerbere caudæ.

Vide Gellum lib.7.cap.29.

In eum qui sibi damnum parat.

EMBLEMA LXIIII.

Capra lupum non sponte meo nunc ubere lacto,
Quòd malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, mea me post ubera pascet.
Improbitas nullo flectitur obsequio.

EX

EX lib. 1. Epigrāma. Græco.tit. εἰς εὐχαριστοῦς καὶ ἀχαριστοῦς. Si græcum epigramma cupis, vide Erasmum in prouerbio, Ale luporum catulos. Erasmi versio Latina hæc est,

Lacto lupum uberibus propriis, nō spōte, sed horsum
Me demens adigit pastor ut id faciam.
In me rursus erit fera, postquam creuerit ex me,
Natura haud unquam uertitur officiis.

Improbitas nullo &c. Consonant hæc verba cū Socratis dicto, κακοὺς ποιῶν εὖ θρέψαι λύκους. hoc est, malis faciens bene, nutrit lupos. Hispanè dicimus, *Cria el cueruo, sacarte ha el ojo.* *Socrates.*

Fatuitas.

EMBLEMA LXV.

Miraris

Miraris noſtro, quòd carmine diceris Otus,
Sit uetus à proauis cùm tibi nomen Otho.
Aurita eſt, ſimiles & habet ceu noctua plumas,
Saltantemq; auceps mancipat aptus auem.
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus Otos,
Hoc tibi conueniens tu quoq; nomen habe.

Oti qui dicantur.

EX Athenæo lib. 9. qui cùm ferè ea quæ ex Ariſtotele citabimus, diſputauerit, ſubdit: Vnde effectum eſt, vt qui facilè decipiuntur, Comici ex re ipſa Otos vocauerint. Vtitur autem in hoc Epigrammate Alciatus quodam ridiculi genere, de quo meminit Quintilianus lib. 6. cap. de riſu, his verbis: Fiunt & detracta & adiecta aſpiratione, & binis coniunctis verbis &c. Iocatur enim Alciatus in quendam Othonem, vocando eum Otum, id eſt, ſtultum ob vocabuli ſimilitudinem. Porrò de Oto ſic ſcribit Ariſtoteles lib. 8. de natu. anima. cap. 12. Otus noctuæ ſimilis eſt, pinnulis circiter aures eminentibus præditus: vnde nomen accepit: quaſi auritũ dicas. Nonnulli vlulam eũ appellant, alij aſionem. Blatero hic eſt, & hallucinator & planipes: ſaltãtes enim imitatur. Capitur intentus in altero aucupe, altero circumeunte, vt noctua. Cælius Rhodig. lib. 5. cap. 29. ab auribus, inquit, quæ græcè ὦτα dicuntur, corriuatur Otus: veluti auritus dicatur, pinnulis circa aures prominentibus. Vlulam nonnulli interpretãtur, alij aſionẽ. Scitum eſt, quod ſcribit Ælius Dionyſius. Auis hæc, inquit, laudata, & ſaltãs capitur, veluti Nycticorax. Vnde Otos itẽ dicimus, qui nullo negotio decipiuntur, aut gloriæ vanitatem affectan

Otus cur ſic dictus.

ctantes, id est, κεκοδόξους. Hactenus Cælius. Plinius lib. 10 cap. 23. Otis bubone minor est, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus. vnde & nomen illi. Quidam Latini Asionem vocant: imitatrix aliàs auis ac parasita, & quodam genere saltatrix. Capitur haud difficulter, vt noctuæ, intenta in aliquo circumeunte alio. Otus hispanè vocatur *mochuelo*. Otis hispanè *çaida*. quanuis interdum hæc nomina confundantur. *Otis quæ.* *Asio.*

Mancipat aptus. Mancipare verbum est Iurisconsultorum: significat, manucapere. *Mãcipare.*

Obliuio paupertatis parens.

EMBLEMA LXVI.

Cùm lupus esuriens mandit ceruarius escam,
Præq; fame captum deuorat hinnuleum,

Respi

Respiciat si fortè aliò, uel lumina uertat,
Præsentem oblitus quem tenet ungue cibum,
Quæritat incertam (tanta est obliuio) prædam.
Qui sua neglexit, stultè aliena petit.

EX Plinio lib. 8. cap. 22. Cuius sunt verba, Sũt (inquit) in eo genere, qui ceruarij vocãtur, qualem è Gallia in Pompeij Magni arena spectatum diximus. Huic quanuis in fame mandenti, si respexit obliuionem cibi surrepere aiũt, digressũmque quærere aliud. Solinus hoc explicatius dixit cap. 8. Coeunt, inquit, lupi toto anno non amplius dies duodecim. Vescuntur in fame terra. At hi, quos ceruarios dicimus, quanuis post longa ieiunia repertas ægrè carnes mandere cœperint, vbi quid casu respiciunt, obliuiscuntur, & immemores præsentis copiæ, eunt quæsitum, quam dereliquerunt satietatem. Meminit & Erasmus in similibus.

Super

Superbia.

EMBLEMA LXVII.

En ſtatuæ ſtatua, & ductum de marmore marmor,
Se conferre deis auſa procax Niobe.
Eſt uitium muliebre ſuperbia, & arguit oris
Duritiem, ac ſenſus, qualis meſt lapidi.

MVlti tum Græcorum, tum Latinorum hãc Niobes fabulam narrant, vt mox ſubiiciemus. Sed dicamus hoc emblema ex Iuuenalis Satyra 6. præcipuè ſumptum, vbi ille hanc fabulam commemorat, vt mulierum ſuperbiam notet, quæ multorum ſæpe malorum cauſa fuit. Sic igitur inducit Iuuenalis Niobes maritum Amphionem clamantem ad Apollinem: *Fabula Niobes.*

Parce precor, Pæan, & tu depone ſagittas.
Nil pueri faciunt, ipſam configite matrem,

Amphi

Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipsúmq; parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente uidetur,
Atq; eadem scropha Niobe fœcundior alba.

Emẽdatur versus Iuuenalis.

Quibus in carminibus (vt hoc quoque obiter dicamus) legendum puto,

Parce precor Pæan, & tu Dea depone sagittas.

Nam Apollo mares, Diana fœmellas interficiebat, vt patet ex Homeri versibus, quos iam apponam. Fabulam autem non aliunde petendam putaui, potius, quàm ex Erasmi Chiliadibus, quæ sic se habet, in adagio Niobes mala. Erat, inquit, Niobe filia Tãtali, vxor Amphionis, quæ filios habebat sex, totidẽ puellas. Eo successu insolens contẽpsit Latonam, quæ non nisi duorũ mater esset, Apollinis ac Dianæ Hãc fabulæ narrant, post occisos liberos (quos permultos habebat) præ dolore in saxum conuersam fuisse, illud innuentes, immodico dolore diriguisse. Id saxum, quod fabulę dedit occasionẽ, in Sypilo Phrygiæ conspici tradit Homeri Scholiastes, lachrymarũ fontes emittens. Ouid. Metam. li. 6. fabulã elegantissimè narrans de saxo sic loquitur,

Flet tamen, & ualidi circundata turbine uenti
In patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis,
Liquitur, & lachrymis etiamnum marmora manant.

Hactenus Erasmus. Cicero 3. Tusculanar. Et Niobe (inquit) fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu silentium. Verba Homeri sic vertit Nicolaus Valla,

Niobe cur fingitur lapidea.

Aureo sex natas arcu cecidisse Dianæ,
Ac totidem Phœbi iuuenilia corpora telo

Infelix

Infelix uidit Niobe:cùm se illa per omnes
Ostentat populos, nec demens cedit honori
Insignis Latona tuo:quia numero fœlix
Natorum.Sed te genitam Titanida Céo
Arguit enixam geminos:qui numina facti
Tam facilè exitio potuerunt tradere plures.
Nona dies illos funesta morte iacentes
Vidit adhuc:nec enim tumulari Iuppiter ipse
Passus, & in lapidem populum conuerterat omnem.
Luce tamen decima,miserantia numina Diuûm
Mandauere solo.Niobe tot funera uidit:
Et potuit tandem lachrymis saturata dolorem
Indulsisse epulis.Sypili nunc monte sub alto
In lapidem uersa aspicitur,stimulisq; gementi
Supplicia expendit superis,ubi numina mille
Nympharum sub tecta colunt Acheloia circum
Littora,ubi toties iuuat indulgere choræis.

Meminit huius fabulę & Q Calaber li.1.de relictis ab Homero. Cuius verba sic latina feci,

In Sypili scopulis,Niobes ubi corpora quondam
In saxum uertere Dei,nunc saxa per uda
Distillant lachrymæ,nebulæ caligine mistæ
Circunstant lapidem,damnosa umbracla colonis.
Hanc faciem ueniens longis stupet aduena ab oris,
Et gemebunda piè miratur lumina petræ,
Fœmineam speciem referentis imagine luctus.

Varietas in numero filiorum Niobes.

Gellius lib.19.cap.6. sic ait: Mira & propè adeò ridicula diuersitas fabulæ apud Græcos poëtas deprehenditur super numero Niobes filiorum. Nam Homerus pueros puellásq; eius senos dicit fuisse.Euripides bis septenos.Sappho bis nouenos,Bacchilides & Pindarus bis denos.Qui-

dã alij ſcriptores tres fuiſſe ſolos dixerũt. Multa
de Niobe Niobe inuenies epigrammata Græca lib. 3. Flori legij tit. εἰς ἀρχαίας τινας. Et li. 4. εἰς ἡρωΐδας, quę omiſi breuitatis gratia. Niobẽ in marmor con-
Pauſanias de Niobe. uerſam etiãnum lachrymas emittere in Sypilo autor eſt Pauſanias in Atticis, qui aliquãdo illuc, vt videret, acceſsiſſe dicit his verbis, Ad the atri verticem ex mediis ſaxis ſpelunca in arcem ſubiit, impoſito tripode, in quo Apollo & Diana ſunt Niobes filios necantes. Niobem ego quoq; vt viderem Sypilum montem cõſcendi. Sed vbi prope acceſſeris, videas ſaxum & rupem præcipitem, nullam prorſus effigiem præferentem, nec mærorem. Quod ſi procul abſcedas, intueri videaris flentem & mæſto vultu mulierem. Hoc
Palephatus qualiter fabulam intelligat. carminibus iam citatis innuit Ouidius. Palephatus in libello, de non credendis fabulis ſic ait, Niobem dum viueret, ſuper filiorum ſepulchrum lapidem factã eſſe memorant. Quicunq; autem ex lapide hominem, rurſumque ex homine lapidem fieri poſſe credit, ſtultus hic quidem planè eſt. Verum autem ſic habet, Niobe, mortuis ſuis liberis, cùm lapideam imaginem ſibi conſtituiſſet, eam ſuprã natorum ſuorum ſepulchrum poſuit. Nóſque ipſi hanc vtiq; qualis reuera eſſet, inſpeximus. Hæc Palephatus. Nos verò dum epigrammata Græca euoluere-mus, ſic diſtichon ex tempore vertimus,

Viuebam. fecêre Dei me marmora: marmor
Sed rurſum iuuit munere Praxitelis.

Oris duritiem. Et *arguit oris duritiem.* & ſuperbia arguit duritiem oris atq; ſenſus, qualis ineſt lapidi. Senſus

eſt

est genitiuus. Huic consonat Terentij illud, os durum, pro impudente.

Impudentia.

EMBLEMA LXVIII.

Vide Zozem in Lycoph. pag. 1

Scylla á latrando dicit. Ios. scalig. Scyllā 308.

De illius parentibus ibid.

Pube tenus mulier, succincta latrantibus infra
Monstrorum catulis, Scylla biformis erat.
Monstra putantur auarities, audacia, raptus.
At Scylla est. nullus cui sit in ore pudor.

SCyllæ fabula notissima est. Refertur ab Ouidio Meta. 14 in prin. & ab Erasmo in prouerb. Charybdim fugiens incidi in Scyllam. Virgilius sic Scyllam depingit,

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem,

Prima hominis facies, & pulchro pectore uirgo
Pube tenus: postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Scylla mythologicè quid.

Quæ carmina mythologicè intelligenda sunt de libidine impudentia, confusione. Scylla enim meretrix est, quæ canibus, lupísq; inguina commiscet. Ita Fulgent lib. 2. Mytholo. & Cælius Rhodig. lib. 14 cap. 3. & Seneca epist. 93. Variæ feruntur Doctorum virorũ sententiæ de Scylla super illis Virgilij carminibus, quæ sunt in Bucolicis,

Quid loquar aut Scyllã Nisi, quam fama sequuta est,
Candida succinctam latratibus inguina monstris,
Dulichias uexasse rates?

Vbi primùm aduertendum voluisse quosdam Virgil. de vtraq; Scylla intellexisse: quapropter sic excudendum curarunt carmen,

Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quã fama sequuta est. &c.

Sed duriusculus est versus, nec credo sic poëtam scriptum reliquisse: sed more poëtico confudisse fabulas: vt vnã pro altera Scyllam acciperet. Nam & ipse in Ciri varias refert opiniones. Quẽ vide. Et Propertius lib. 4. sic loquitur,

Quid mirum in patrios Scyllam sæuisse capillos,
Candidáq; in sæuos inguina uersa canes?

Ouidius in Amoribus,

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rabidos inguinibúsq; canes.

Idem 2. de remed. amo.

Præterita cautus Niseida nauita gaudet.

Alciatus lib. 1. Parer. cap. 6. contendit, Virgilium

τὸ ὡρὲ

τὸ πρέπον seruare voluisse, quę vt plurimùm falsa est. Quod mihi non placet. Succurrit mihi nunc Aristotelis locus in lib. dē moribus 2. circa finem, nusquam quod sciam, ab interpretibus declaratus, qui & si ad nostrum emblema non maximè pertineat, ab Scylla tamen, & Charybdē non abhorret omnino. Quem locū pro viribus explanare tentabimus, lōgè aliter, quàm omnes intelligunt, quos & legere & audire contigerit. Verba igitur Aristo. hæc sunt. Quare omnes, qui mediocritatem inuestigant & exquirunt, primùm ab eo debent, quod magis ei contrarium est, discedere, quemadmodum Calypso monebat;

Aristotelis locus explanatur.

Extra undam & fumum longè compelle carinam.

Hæc Aristo. Quo in loco primò est notandum lapsum Aristotelem memoria, vt sæpe solet, cùm citat Homerum. Nam vt omnes ibi notant Calypso posuit pro Circe. Sed ego pro Calypso reponendum censeo, Vlysses. Nam locus, quem Aristoteles citat est apud Homerum lib. Odyss. 12. Verba autem sunt Vlyssis ad nauclerum suum, iubentis, vt nauem deflectat longè à fumo & vnda, vbi erat Charybdis. Nam de Scylla non ausus est Vlysses verbum facere, ne & socios & nautam terreret multitudine periculorū, vt ipsemet Vlysses paulò inferius testatur. Denique intellige fumum & vndam tantùm pro Charybdi. Monet enim Aristoteles, vt quādo vitium aliquod fugere voluerimus, in contrarium deflectamus. Sic enim medium melius tenuerimus: idq; probat experimento illorum,

Aristotelis lapsus memoria.

qui contortas virgas in rectum dirigunt. Ex his collige frustra scripsisse Erasmum adagiũ illud, extra fumum & vndam. Namque neq; adagium illud est, nec locus explicatur, nec meritò taxatur Argyropylus, qui &si non omnino scopum tetigit, minùs tamẽ aberrauit in sua translatione. Præterea versiculus ille, qui circũfertur incerto autore,

Erasmus frustra putauit, Fuge fumum & vndam esse adagium.

Incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim,

malè intelligitur à nostris. Non enim significatur minus periculum vitans in maius incidere. Sed contrà. Nam Scyllam minus malum esse, quàm Charybdim, notius est, quàm vt egeat admonitione.

Versiculus explicatur.

Philautia.

EMBLEMA LXIX.

Quód

Quòd nimium tua forma tibi Narcisse placebat,
In florem & noti est uersa stuporis olus.
Ingenij est marcor, cladésq; Philautia, doctos
Quæ pessum plures dátq; deditq; uiros:
Qui ueterũ abiecta methodo, noua dogmata quærunt,
Nilq; suas præter tradere phantasias.

NArcisi fabula refertur ab Ouidio. 3. Meta. Emblema autem sumptum est ex ipsa nominis etymologia. Siquidem Narcissus dictus est à Narce, teste Plinio li. 21. cap. 19. Est autem Narce, νάρκη siue νάρκωσις, stupor, torpor, dissolutióque membrorum. Et Narcissus flos, si diutius naso admoueatur, mentis torporem inducit, de quo vide Marcellũ Virgilium in Dioscoridem. De Narcisso vide Icones Philostrati tit. Narcissus. & Statium lib. 7. Thebaidos. *Narcissus vnde dictus* *Narcissus flos.*

De philautia vide quid dicat Arist. lib. moral. 9. cap. 7. & 8. & Erasmus in prouerb. Suum cuiq; pulchrum. & in promerb. φίλαυτοι, φιλαυτία, vt vertit Horatius, est cæcus amor sui. Cuius verba ad Bacchum elegantissima subscribam: *Philautia*

— Sæua tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui,
Attollens uacuum plus nimio gloria uerticem.

Qui ueterum abiecta methodo. Methodus est compendiosa via, seu præceptio: siquidem ὁδὸς viam significat, & μέθοδος viam breuiusculam, & compendiosam, quà incedere vetuit Pythagoras. Vnde abbreuiationes & artium præceptiones hoc vocabulo ab Arist. intelliguntur. Pausanias in Bœoticis, sic ait de Narcisso, In Thespiensium terra locus est, qui Danacum ap- *Methodus.* *Fabula Narcissi.*

pellatur. Ibi Narcisi fons visitur. Et aquam hãc inspexisse Narcissum ferunt, qui non intellexit, suam se vmbram videre, ac seipsum à semetipso amari ignorauit, atque hoc amore iuxta fontem contabuit. Sed id planè insulsum est eò demẽtię quenquam peruenire, vt ex amoris ardore hominem ab hominis vmbra dignoscere nequeat. Verùm de eodem & alia quædã narrantur prioribus minùs nota. Sororem Narcissum gemellã habuisse, tum in aliis rebus specie planè simile, tum eandem: vtrosq; comam habuisse, iisdémq; vestibus fuisse indutos, simul item venatum exiisse: at Narcissum in amorem incidisse sororis. Mortua autem puella fontem adiit, & suam se videre imaginem intellexit. Qua re intellecta, non nihil in amore sensit alleuationis, tanquam non suam vmbram, sed sororis imaginem conspicaretur. Hęc Pausanias, qui & Narcissum herbam, multò ante Narcisi mortem fuisse, testimoniis antiquissimorum probat

Garru

Garrulitas.

EMBLEMA LXX.

Ex Anacreonte

Adag. Daulia cornix.

Labinius oda 12 lib. 4.

Lib. 1. epig. Grae. Εἰὸς ὄρνεις

Quid matutinos Progne mihi garrula somnos
Rumpis? & obstrepera Daulias ore canis?
Dignus Epops Tereus, qui maluit ense putare,
Quàm linguam immodicam stirpitùs eruere.

CVm Luscinia, nõ cum hirundine loquitur autor, quæ (vt quidam tradunt) antequam esset auis, Progne vocabatur, hanc garrulam vocat: quia cantare simul nocte dieque potest, vt inquit ille: ductus præterea veteri prouerbio. Daulia cornix: quod in garrulos & canoros dicitur, & de luscinia intelligitur. Martialis etiam, vt statim subiiciam, garrulam illam vocat, quanuis aliter intelligit transformationem. Plinius quoque garrulum cantum luscinię vocat li. 10.

Progne cur garrula vocata.

cap.29.Vide adagium Luſciniæ deeſt cantio. Fabulam narrat Ouid.6. Metamorph. Ex Ouidio tamen in hoc loco non conſtat, quæ illarum in luſciniam,quæue in hirundinem ſit transformata.At in 2.Faſto.Prognem in hirūdinem transformatam canit,

Fallimur,an uerís prænuntia uenit hirundo,
Et metuit,ne qua uerſa recurrat hyems.
Sæpe tamen Progne nimium properaſſe quereris:
Virque tuo Tereus frigore lætus erit.

Martialis Philomelam in Luſciniam commutatam ait lib.14.Epigram.

Flet Philomela nefas inceſti Tireos:& quæ
Muta puella fuit,garrula fertur auis.

Statius hirundinem videtur innuere his verſibus,

— non ſic Philomela penates
Circuit amplectens,animámque in pignora transfert.

M. Varro de luſcinia. Marcus Varro, Luſciniola (inquit) quòd luctuosè canere exiſtimatur, atque eſſe ex Attica Progne facta auis.Ouidius ad Liuiam de morte Druſi Luſciniam intelligit,cui tribuit filium, & in vmbroſis ſyluis commorari dicit.vnde colligе hanc ante fuiſſe Prognem.

Talis in umbroſis mitis nunc denique ſyluis
Deflet Threicium Daulias ales Itym.

Gabrias etiam Græcus fabulator Itym filium facit Luſciniæ, vnde apparet rectius declaraſſe Probum, quàm Seruium illud Virgilij carmen ex Ecloga 6.

Quas illi Philomela dapes,quæ dona parauit.

Atqui(inquit Seruius)Progne fecit:ſed abutitur nomine,

nomine, aut illi imputat propter quam factum est. Probus autem Prognem in Luscinam dicit transformatam. Vide Cælium Rhod. lib. 29. cap. 26. Ioannes Tzetzes in Chiliadib. Prognem in luscinam, Philomelam in hirundinem mutatam dicit. Alciatus more poëtico confundit nomina: & Prognem pro Philomena posuit.

Daulias ore canit. Daulia vel Daulis regio est Locrorum teste Plinio lib. 4. cap. 3. Fuit sub ditione Terei regis Thracũ. Hinc Daulias. Auem porrò ipsa philomelam lingua carere, pro certo affirmare possum, nisi me oculi fallunt. Nã diebus ab hinc paucis, cùm hæc scriberem, amicus quidam meus mihi commõstrauit philomelam in cauea conclusam, quam cùm inde extraxissemus, pertenue vestigium linguæ vix potuimus reperire: quæ res non paruam mihi præbuit admirationem, tantam inesse huic auiculæ suauiratem cantilenæ, & vocis crispationem, nullam tamen linguam, qua id possit modulari, nisi fortè eam in gutture habet absconditam. Vnde nõ abs re finxerunt poëtæ, Philomelæ præcisam fuisse linguam Vide Aristo. 9. de histo. animal. ca. 15.

Daulias. Lauf. li.

Philomela lingua caret.

Inuidia

Inuidia.

EMBLEMA LXXI.

Squallida uipereas manducans fœmina carnes,
Cuiq; dolent oculi, quæq; suum cor edit.
Quam macies, & pallor habent, spinosaq; gestat
Tela manu. Talis pingitur inuidia.

PVlchrè describit Ouid. 2. Metamorph & inuidiæ domum, & ipsam inuidiam eiúsque effectus sic,

Protinus inuidiæ nigro squallentia tabo
Tecta petit: domus est imis in uallibus huius
Abdita, Sole carens, non ulli peruia uento
Tristis, & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne uacet semper, caligine semper abundet.

& infrà,

— Videt intus edentem

Vip

Viperas carnes uitiorum alimenta suorum
Inuidiam, uisaq; oculos auertit, at illa
Surgit humo pigrè semesarúmq; reliquit
Corpora serpentum, paßúq; incedit inerti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno:
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores:
Nec fruitur somno, uigilantibus excita curis,
Sed uidet ingratos, intabescitque uidendo
Successus hominum, carpitque & carpitur unà,
Supplicium q; suum est.

Et infrà,

— Baculúmque capit, quem spinea totum
Vmcula cingebant, adopértaq; nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia proterit arua,
Exuritque herbas, & summa cacumina carpit,
Afflatúque suo populos, urbésque, domósque
Polluit.

Multa sunt in hanc materiam scripta apud poëtas & oratores. Vide opusculum Verg. de Liuore & Horatium in Epistolas. Cicero 3. Tusculan. inuidiam dixit esse ægritudinem ex alterius rebus secundis. Dicitur porrò inuidia ab in, quod significat aliquando valde: & video. Quia qui inuidentia laborant, semper oculos & animum in eum, cui inuident, habent. *Inuidia quid.*

Vipereas. Vide diuum Basilium in prin. libelli de Inuidia.

Luxuria

EMBLEMA LXXII.

Eruca capripes redimitus tempora Faunus
Immodicæ Veneris symbola certa refert.
Est eruca salax, indéxq; libidinis hircus,
Et Satyri nymphas semper amare solent.

EX Pausania videtur desumptum, cuius verba sunt, ex li. 1. Euphemus Car. narrabat, se cùm in Italiam nauigaret, vi ventorum ad mare extimum excussum, insulásque ibi multas esse, quas vocabant Satyrias: incolas inesse rubicundos, & caudas in imo dorso habere, equinis non multò minores. Hos ad nauigium accurrisse, nullámque vocem edidisse: sed mulieribus naui aduectis manus iniecisse: nautas verò timore correptos, barbaram mulierem in insulam tandem

Insulæ Satyriæ.

dem proiecisse. Eam Satyros non solùm qua parte consuetudo permittat: verùm etiam toto corpore libidinosè violasse. Hæc ille. Quos verò Satyros Græci vocabant, Latini Faunos appellant, qui dij nemorum habiti sunt, & agrorum. Seruius in septimo Æneidos, Faunus (inquit) & Fauna dicti sunt à vaticinando, id est, à fando: vnde & fatuos dicimus incósideratè loquentes. De Fauno cùm de Pane Deo agemus, plura dicemus. Siquidem, vt doctis placet, Pan Inuus, & Faunus pro eodem sumuntur. Eruca, & vermis est & herba calidæ virtutis. De qua hîc Alciatus loquitur. Vocatur ab Ouidio in lib. de Remed. amo. Salax, sic,

Satyrorum libido.

Fauni.

Eruca vermis & herba.

Nec minùs erucas iubeo uitare salaces.

De hac agemus inferius.

Hircus. Græcis τράγος. Caprarum admissarius est, atque mirum in modum zelotypus, & libidinosus. Vnde dixit Apuleius, homo sordidus, & hircina libidine fœtẽs. Et Horat. in Epod.

Hircus libidinosus et zelotypus.

Libidinosus imolatur caper.

Primum distichon sic ordino, Faunus capripes redimitus tempora eruca immodica, refert certa symbola Veneris, id est luxuriæ.

Luxu

Luxurioſorum opes.

EMBLEMA LXXIII.

Rupibus aëreis ſummiq; crepidine ſaxi
Immites fructus ſicus acerba parit,
Quos corui comedũt, quos deuorat improba cornix,
Qui nihil humanæ commoditatis habent.
Sic fatuorum opibus paraſiti, & ſcorta fruuntur:
Et nulla iuſtos utilitate iuuant.

Diogenes Cynicus.

EX Diogenis apophthegmate. Diogenes enim Cynicus apud Laërtiũ, luxurioſos dicebat ſimiles ficubus, quæ per præcipitia naſcũtur: quarum fructus homo non guſtat. Corui autem & vultures comedunt. Idem ferè Gale-

Galenus de ſuo.

nus in ſuaſoria ad artes oratione. Verba Galeni ſic ſe habent, Rectè igitur, inquit, vterque &

Demo

Demosthenes & Diogenes: quorum alter oues aureo vellere operras eos vocat, qui diuites iidémq; rudes sint: alter eosdem fico in præcipitio natæ asimilandos arbitratur. Vt enim eius fructus non homines, sed corui graculíq; depascuntur: sic talium diuitum opes, nihil prosunt bonis ciuibus: sed ab adulatoribus absumi cernuntur. Qui tamen post (si tamen locupletis res omnis consumpta est) huic fortè occurrentes, cùm eius cognitionem dissimulent, sine salutatione prætereunt. Qua de re nec ille inelegans, qui huic locupletum generi similitudinem cum fontibus esse ostendit: quandoquidem hos (cùm fortè humore omni exhausti sint) qui antè ab iisdem aquari solebant, mox abducta veste permingunt. Hæc Galenus. Quæ ad emblematis declarationem satis esse puto. Illud tantùm addam videre mihi melius quadrare pro emblematis tit. fatuorum opes, quàm luxuriosorum opes. Aut pro luxuriosis effusos & prodigos intellige: quare hoc emblema non fuerat hoc loco ponendum.

Emẽdatur titulus emblematis.

Tumulus meretricis.

EMBLEMA LXXIIII.



Quis tumulus? Cuia urna? Ephyrææ eſt Laidos: ah nõ
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma, illam iam carpſerat ætas,
Iam ſpeculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid ſcalptus ſibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprehenſum poſteriore tenet?
Non aliter captos quòd & ipſa teneret amantes,
Vir gregis eſt aries, clune tenetur amans.

EX Pauſania in Corinthia. Cuius verba hæc ſunt, Ante vrbem (Corinthũ dicit) cupreſſorum nemus viret, quod Cranion vocant, in quo eſt Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidis templum, ac Laidis monumentum inſculpta Leæna, quæ prioribus pedibus arietem com

Laidis monumentum.

complectitur. Alterum item in Thessalia est, quod Laidis existimant. In Thessaliam enim accesit Hippostratis amore capta. Antea verò cùm adhuc puella esset, ex Hyccaris, quæ in Sicilia sunt, à Nicia & Athenien sibus captiuam fuisse referunt, Corinthíque diuenditam: forma omnes eius temporis meretrices superasse: atq; in tantam venisse æstimationé apud Corinthios, vt nunc quoque pro Laide contẽdant. Hæc ille. Plura de Laide require apud Stephanum Nigrum, de nimio vitæ luxu, cùm de meretricibus agit. Vide adagium, Non est cuiuslibet Corinthum appellere. De Laide vide Athenæum lib. 13. cap. 20

Plutarch. in vita Niciæ.

Stephanus Niger de nimio vitæ luxu.

Quis tumulus? cuia urna? Vrna propriè significat vas aquarium à verbo vrinare, siue vrinari, quod est in aquam mergi. Sed hîc capitur pro sepulchro: quia cùm corpora mortuorũ cremabãtur, quidquid reliquiarum remanebat, in vrnam coiiciebatur, siue lapideam, siue fictilem, quæ imponebatur sepulchris.

Vrna quid.

Ephyreæ Laidos. Ephyra, seu Ephyre vrbs est in Pelopõneso, quam postea Corinthum appellauere, teste Plinio lib. 4. Nat. histo. cap. 4 Cuius verba sunt: Medio hoc interuallo quod Isthmon appellamus, applicatu colli habitatur colonia Corinthus antea Ephyra dicta. Dicta ab Ephyra Oceani filia. Propertius lib. 2. Eleg. 6.

Ephyreæ.

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes
Ad cuius iacuit Græcia tota fores.

Iam speculum Veneri. Quando aliquis se gerebat strenuè in aliquo munere obeũdo, discedebãtq;

Speculum dicare.

ab eo cum honore, arma vel instrumenta, quibus id peregerat, alicui Deo consecrabat. Sic Entellus apud Maronem,

— *Hic victor cestus, artemq; repono.*

Et Veianus apud Horat.

— *armis*
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

Ausonius Græcũ Platonis Epigrãma sic vertit,

Lais anus Veneri speculum dico, dignum habeat se
Aeterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus: quia cernere talem,
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

Idem inuenies apud Thomam Morum.

Quid scalptus? Scalptus idem est, quod sculptus. Hoc ex Pausania suprà cõmemorauimus.

Vir gregis est aries. Simile quiddam dixit Diogenes Cynicus apud Laërtiũ, qui videns Olympionicem quendam oculos in scortum subinde reflectentem, Ecce (inquit) vt aries Martius à puella vulgari obtorto collo vinctus abducitur.

In ama

In amatores meretricum.

EMBLEMA LXXV.

Villoſæ indutus piſcator tegmina capræ,
Addidit ut capiti cornua bina ſuo,
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore Sargum,
In laqueos ~~ſimiles~~ ſimi quem gregis ardor agit.
Capra refert ſcortum, ſimilis fit Sargus amanti,
Qui miſer obſcœno captus amore perit.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

SArgus piſcis quidam eſt Cantharo piſci ſimilis, bis anno pariens, Vere & Autumno. Hic (vt refert Ælianus lib. 11. cap. 19) irrationali quodam amore proſequitur capras. Et ſi earum in littore paſcentium vmbra in mari viſa fuerit, adnatat libenter, lætúſque exilit, & attingere eas miro quodam modo geſtit, cùm *Sargus piſcis.*

tamen non admodum ſit natura ad ſaliendum habilis. De Sargo plura dicemus alibi. Pulchrè deſcribit Oppianus amorem Sargi in capras lib. 4. Vide etiam Volaterranum lib. 25. Sargus & amor illius in capras quærendus apud Gaudentium Merulam lib. 3. Memorab. cap. 33.

Oppianus & Volaterranus, de Sargo.

Capra refert ſcortum. quia capra libidinoſa admodum eſt, vt ait Plutarchus in Quæſtionibus Romanis prope finem. Cuius hæc ſunt verba, Quid eſt, quòd cane & capella ſacerdotem adeò abſtinere voluerunt, vt non modò attingere, ſed ne appellare quidem liceret? An quòd capram quaſi luxurioſam atque olidã abhorrerent? An quòd tanquam morbidã timerẽt? Simum autẽ gregem pro capris accipe, vt Poeta 10. Ecloga,

Sacerdotes Romani cur abſtinerent capra & cane.

Dum tenera attundent ſimæ uirgulta capellæ.

Qui miſer obſcœno. De hoc nomine obſcęnus, quod ad ſcribendi rationem attinet, pulchrè annotauit Lucius Andreas Reſendius Luſitanus, vir pariter & græcis & latinis literis imbutus in ſuo Vincentio. Oſci (inquit) populi fuêre Italiæ, de quibus Æneidos 7. Oſcorumque manus. Hi notati ſunt à veteribus de ſpurcarum libidinum frequentiori vſu. Vnde verba impudentia & ſpurca autore Feſto, Verrius tradit oſcena appellari. Ergo in prima ſyllaba b ſcribendum non eſt, nec diphthõgus in penultima. Quin etiã ſi à Scena deriuetur (vt Varroni placet, qui ſanè etymologias coactiores facit) abſq; diphthongo ſcribi oportet: quoniã in ſcena quæ Græcè σκήνη dicitur nulla eſt. Memini plura de hac Baptiſtã Piũ in Lucretiũ eſſe cõmẽtatum.

Obſcœnus quid. L. Andr. Reſendius Luſitanus. Oſci.

Baptiſta Pius, Lucret. comment.

Cauend

Cauendum à meretricibus.

EMBLEMA LXXVI.

Vide lib. 1. epig. Grac. Ἐις πόρνα

Sole ſatæ Circes tam magna potentia fertur,
Verterit ut multos in noua monſtra uiros.
Teſtis equûm domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci poſtquàm uina bibere ſues.
Indicat illuſtri meretricem nomine Circe,
Et rationem animi perdere, quiſquis amat.

MOrale figmentum huius emblematis ſumptum eſt ex Plutarcho in libello quem de vita Homeri compoſuit: qui libellus quòd ſciã, nondum eſt donatus Latinitate: quamuis Politianus raptim atque ſuppreſſo autore omnem ſuam præfationem in Homerum tranſcripſerit. Plutarchi verba ſic ſe habẽt, Καὶ τὸ μεταβάλλειν

Libellus Plutarchi nõdum latinitate donatus.

ἢ τοὺς ἑταίρους τοῦ Ὀδυσσέως εἰσσύας, καὶ τοιαῦτα ζῶα τῶν αἰνίπτεται, ὅτι τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων αἱ ψυχαὶ μεταλλάτουσιν εἰς εἴδη ἀσωμάτων θηριωδῶν ἐμπεσοῦσαι εἰς τὴν τοῦ παντὸς ἐγκύκλιον περιφορὰν ἣν κίρκην προσαγορεύει· καὶ κατὰ τὸ εἰκὸς ἡλίου παῖδα ὑποτίθεται οἰκοῦσαν ἐν τῇ Αἰαίῃ νήσῳ. ταύτην δὲ ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, καὶ ὀδύρεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τοῖς θανάτοις κέκληκεν. Hoc est, Et illa transformatio sociorum Vlyssis in sues, & similia animalia, ænigmaticè innuit, ~~quòd~~ amentium hominum animas transmutari in speciem corporum ferinæ naturæ, cadẽtes in circularem hallucinationẽ vniuersi, quam Circem appellat Homerus. Et meritò Solis filiam illam facit in Aiæa insula commorantem, & hanc à lamentatione & luctu hominum sic appellauit, id est ab αἰ, αἰ. Circe, vt inquit Hesiodus in Theogonia, filia fuit Solis ex Perside. Hæc venefica fuit, & multarum herbarum vires adiuuenit. Nupsit Sarmatarum regi, quem veneno sustulit, regnóque crudeliter vsa, ab incolis pulsa est. Indéque in Italiam perueniens non longè à Caieta Campaniæ oppido in monte Circeio consedit. Vide Virg. lib. 7. Aeneid.

Trãsmutatio sociorũ Vlyss. quid significet.

Circe Solis filiam.

Picus.

Testis equũ domitor Picus. Picus vt ait Ouidius 14. Metamor. filius fuit Saturni, & rex in Latio, qui cùm valde amaret suam vxorem canẽtem, nunquam illum Circe in suum amorem pellicere blanditiis potuit in venatione visum, quæ ab eo despici molestè ferens, in Picum auem illum commutauit.

Scylla.

Tum Scylla biformis. Idẽ Ouid. eodem lib. circa prin

principium refert Glaucum Deum marinum à Scylla Phorci filia spretũ, Circes auxilium imploraſſe, Circémque eiuſdem Glauci amore correptam, illi Scyllæ odium conatam inducere. Quod cum minùs aſſequeretur, lacum in quo ſe Scylla lauare conſueuerat, infecit venenis: quibus pubetenus in varia monſtra conuerſa Scylla cùm ipſi diſpliceret, ſeq; ipſam fugeret, in fretum Siculum deſiluit, ibíque in ſaxũ conuerſa eſt, cuius ſuperior pars virginis figuram refert: inferior in canes & lupos, & huiuſmodi animalia conuerſa eſt. Carmina Virgilij de hac re alibi citauimus.

Atq; Ithaci ſues. Vlyſsis ſocios innuit, qui Ithacæ rex fuit. De Vlyſsis autem ſociis in ſues conuerſis idem Ouid. eod. lib. Quæ omnia ſumpſit ex Homeri Odyſſ. lib. 10. Sed hæc trita ſunt, nec in his immorari amplius decet. *Vlyſſes rex Ithacæ.*

Indicat illuſtrem. Hoc Epitheton declarat cur Solis filia dicta fuerit Circe: quia illuſtris & famigerata. Nam hoc ſentit Plutarchus in verbis citatis. Extat etiam in hanc ſententiam Epigramma Græcum lib. 1. Florilegij tit. ἐις πόρνας. *Circe dicta illuſtris.*

Amuletum Veneris.

EMBLEMA LXXVII.

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonim
Lactucæ foliis condidit exanimem,
Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit,
Quantum eruca salax uix stimulare potest.

Athenæus lib. 2. ca. 32.

EX Athenæo lib. Dipnosophistarum 2. circa finem, cuius sunt verba, Καλλίμαχος φησὶν ὅτι ἡ ἀφροδίτη τὴν ἄδωνιν ἐν θριδακίνῃ κρύψειεν, ἀλληγορῶντων τῶν ποιητῶν, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσι πρὸς Ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενος θρίδαξι. Hoc est, Callimachus ait Venerem inter lactucas Adonim condidisse, allegoricè innuentibus poëtis, eos ad venerea imbecilles esse, qui lactucis assiduè vescantur.

lactuca los. alig. in moretū ag. 431.

scantur. Idem Athenæus citat hæc carmina Eubuli poëtæ,

Μὴ περιτίθει μοὶ θριδακίνας, ὦ γύναι
Ἐπὶ τὰὼ τραπέζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ:
Ἐν τῷ λαχάνῳ τούτῳ δ', ὡς ὁ λόγος ποτὲ,
Τὸν Ἀδώνιν ἀποθάνοντα θρέψατο Κύπρις
Δύς ἐστι νεκύων ἔρεμμα. Hoc est,

Ne appone nobis lactucas, ô mulier,
Meam ante mensam, uel tete coargue:
Nanq; hac in herba, ut uetus sermo prædicat,
Venus Adonim condidit examinem.
Est itaq;, ne erres, mortuorum hic cibus.

Hactenus ex Athenæo. Cælius item Rhod. lib. 27. cap vlt. in fine sic ait, Quod ad Lactucas attinet, celebres sunt apud Athenæũ Aristoxeni thridacinæ, id est, lactucæ, quibus in hortis sole occiduo œnomeli infundebat, manè ostentans virentes se habere placentas sibi à terra submissas. In lactuca denique occultatũ à Venere Adonim cecinit Callimachus. Quod allegoricè interpretatus Athenæus illûc referẽdum putat, quòd in Venerem hebetiores fiant lactucis vescentes assiduè, tanquam mortuorum sit cibus, vt scribit Eubulus. Hæc & plura Cælius. Plinius lib. 19. cap. 8. de generibus lactucæ loquens sic inquit, Quidámque Eunuchion: quoniã hæc maximè refragetur Veneri. Est quidẽ natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratæ: stomacho fastidium auferunt, cibíque appetentiam faciunt &c. Fabulam autem Adonidis narrat Ouidius lib. 10. Metamorph. in hanc fermè sententiam, Adonis filius fuit Cyniræ regis Cyprio rum

Cælius Rhod. refert locum Athenæi de lactucis.

Eunuchion

Fabula Adonidis.

rum ex propria filia Myrrha, adeò pulchritudine excellens, vt eius amore Venus caperetur. Cúmque maximè deditus esset venationi, aliquando aprum excipere ausus, ab eo fuit interemptus. Quod cùm Venus sciuisset, in florem purpureum illum commutauit. Addunt autem Græci fabulæ huic Martem riualem, quia inuideret Adonidi, sese in aprum transformasse, & sub illius specie Adonim interemisse. Morale huius fabulæ vide apud Macrobium Satur. 2. cap. 21.

Aruum genitale. Hinc *genitali aruo.* Honestè dixit, pro pudendis. Sunt autem Vergiliana verba ex 3. Georgi.

Hoc facunt nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

Eruca. *Quantum eruca salax.* De eruca satis Plinius li. 20. cap. 13. in princip. sed apertius eius naturam declarat lib. 19. cap. 8. his verbis, Eruca præcipuè frigorum contemptrix, diuersæ est, quàm lactuca naturæ, cõcitatrix Veneris. Idcirco iungitur illi ferè in cibis, vt nimio frigori par feruor immistus temperamentum æquet. Sic Virgil. in Moreto,

Et *Venerem reuocans eruca morantem.*

Eruca Priapo sacra. Columella in horto. Inuio

Et quæ frugifero iuritur vicina Priapo
Excitat vt Veneri tardos eruca maritos.

Inuiolabiles telo Cupidinis.

EMBLEMA LXXVIII.



Zozes Chial. 7 hist. 380

Ne dirus te uincat amor, neu fœmina mentem
Diripiat magicis artibus ulla tuam:
Bacchica auis præsto tibi motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Ore crucem & cauda, & geminis ut complicet alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris signo Pegasæus Iason
Phasiacis læsi non potuisse dolis.

Pagasæus

SVmptum ex Pindaro & eius interpretibus, sed oscitanter, vt mihi videtur, qui quatuor errores in hoc epigrammate adnotauerim. Primus est in effectu: secundus in nomine Motacilla: tertius in pictura: quartus in historia. Verba Pindari ex Oda 4. Pythiorum, hæc sunt,

Quatuor errores in hoc epigrammate. Pindarus.

Πόντι

al. πότνια Πότνιαδ' ὀξυτάτων βελέων
Ποικίλαν Ἴυγγα τετρακνάμον
Ολυμπόθεν ἐν ἀλύτῳ ζεύξασα κύκλῳ,
Μαινάδα ὄρνιν Κυπρογένεια φέρεν
Πρῶτον ἀνθρώποισι. λιτάς τ' ἐπαοιδὰς
Εδιδάσκησεν σοφὸν Αἰσονίδαν.
Ὄφρα Μηδείας τοκέων ἀφέλοιτ' αἰδῶ. id est,
Veneranda uerò Cyprogenia telorũ acutorũ domina,
Picturatam Iyngem Bacchi auem ex Olympo attulit
Hominibus primùm: ut indissolubili circulo quadri=
radiam
Iungens, carmina præterea magica sapientem docuit
Aesonidem, ut Medeæ erga parentes reuerentiam
Et pudorem adimeret.

Iynga quid Quo loco admonent interpretes Pindari, Iyngem auiculam esse maculosis plumis, oblongo collo, lingua admodum protensa, frequenter sese vertentem, ceruicem subinde volutantem: quam sibi veneficæ accommodam ad amatoria incantamenta putent Vnde accipientes eam rotæ cuipiam alligant, ac sua canentes carmina circumuoluunt Addunt insuper Scholia Venerem Iasoni dedisse hanc auiculam applicatam rhombo pedibus, & alis crucem complicãtem: vt Medeæ erga parentes suos ipse Iason auferret pudorem, & illam ad suum auxilium instimularet. Vides igitur picturam perperam constare. Nomen præterea latinum non conuenit Iyngi.

Motacilla. Nam Motacilla, vt statim dicam, alia est. Iyngem vocat Gaza in Aristotele Turbinem & Torquillam: sed non desunt, qui illum in hac parte reprehendant. Sed de hoc nomine, quomodo reddendum

a pr. Pius Anno
at. poster. ca. 3

dendum sit latinè, magna est controuersia: quin & græcis vix accedo, qui ἴυγγα καὶ σείσυραν, καὶ σεισοπυγὶν pro eodem numerant, vt Suidas, & cõmentaria Theocriti. Est etiam alius locus Pindari super eadem re, quem citat Erasmus simul cum his quæ adducunt interpretes. Quapropter consultius fecero, si Erasmi verbis omnia referam. In adagio igitur, Iynge trahor, sic ait, Qui vehementi, & impotenti desiderio trahuntur ad aliquid, Iynge trahi dicũtur. Ita Pindarus in Nemeis hymno 4. ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ, id est, Iynge trahor animo. Interpres addit huiusmodi fabulam. Iyngem (aiunt) fuisse filiam Echûs, alij Pythûs, quæ cùm amatoriis venenis incitasset in amore Iûs, à Iunone irata versa est in auem, qua mulieres vti consueuerunt in amatoriis veneficiis, quemadmodum indicat Theocritus in Pharmaceutria,

Γῦγγ ἕλκε τὸ τήνου ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Per te Iynx meus ille domum ut quæso trahatur.

Quidam Iyngem vertunt Motacillã, quòd caudam assiduè moueat. Hæc Erasmus. Ex quibus satis apparet hanc auiculam non fuisse olim accommodam ad depellendos amores, sed ad inducendos potius. Id quod satis declarat versiculus Theocriti, toties in Pharmaceutria repetitus. Intercalaris enim est. Et verba commentatorum Pindari: tũ præterea ipsa fabella. Siquidem Iynx pellexit Iouem in Iûs amorẽ: non autem amuletum fuit, ne Iupiter ab amore liberaretur. Agit etiam de hoc Zezes Chilia. 11. & Suidas, & Lycophronis interpres. De Iynge etiam hist. 180

Arist

Arist.lib.2.De natura anima.ca.12. his verbis,vt auiculæ,quam Iyngem vocant. Hæc paulò maior,quàm fringilla est, colore vario. Habet sibi propriam digitorum quam modò dixi, dispositionem,& linguam serpentibus similem:quippe quam in longitudinẽ mensura quatuor digitorum porrigat, rursúmque contrahat intra rostrum.Collum etiã circumagit,in aduersum reliquo quiescẽte corpore,modo serpentũ:vngues ei grandes & similes,vt monedulis exeunt:voce autem strident.Hactenus Aristo.Appellatur etiã Latinè hæc auis Verticilla Hispanè *Torçecuello*. Motacilla verò longè diuersa est auis ab hac. Græci σειποπυγὶν, aut σείστραν vocant. Hispani *Pezpita*, vel *aguzaniue*. Hac vtebantur antiqui aduersus incantationes,vt quidam scribunt. De qua tamen non intellexisse Alciatum argumento sunt verba Pindari:vnde ille omnia sumpsisse videtur, & duo illa carmina vltima huius Epigrammatis.

Verticilla.

Motacilla.

Mena-

Bacchica auis præsto. Μενάδα ὄρνιν dixit Pindarus, hoc est, insanientem,à μάινω, quod est furiosè moueor,aut insanio, quemadmodum Mænades Bacchi Sacerdotes, & ipse Bacchus dicitur Ἴυγγίνης vt ait Hesichius.

Mænades.

Quadrira-dia.

Quam quadriradiam. hoc est,vt quatuor radios constituat, voluit exprimere Græcum verbum τετράκναμον.κνήμη, radius est rotæ.

Ore cruce & cauda. Hoc allegoricè interpretantur aliqui, innuentes,si velis ab amoris seruitio liberari,opus esse,vt illũ amoré diuidas.Id quod præcipit Ouid.2.de Remed.amo. his verbis,

Hortor

Hortor & ut pariter binas habeatis amicas:
Fortior est, plures, si quis habere potest.
Secta bipartito cùm mens discurrit utroq;,
Alterius uires subtrahit alter amor.

Hoc pulchra similitudine ob oculos ponit Plutarchus in libel. de amicitia in multos diffusa. Inquit enim: Verùm quemadmodum fluuij in multos diducti riuos, lentiorem habent cursum, ita vehemens amor in multos dispersus haud dubiè marcescit.

Tale amuletum. Ἀλεξιφάρμακον omne genus remedij aduersus cuncta mala medicamenta: præsertim contra veneficia, dictũ ab ἀ & molio, vt aiunt quidam. *Amuletum.*

Pegaseus Iason. Iason filius Æsonis fuit Thessaliæ regis, qui in Colchos expeditionẽ parauit ad vellus aureum expugnandum. Quam rem latè prosequitur Ouid. lib. 7. Meta. & Orph. in Argonauticis. Et Pindarus 4. Pythiorum ode. Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, & alij. Iason autẽ à sanando dicitur, vt videtur innuere Pindarus loco citato: ἴασις namque sanitas est: & quia Chirõ, qui à primis annis Iasonẽ instituit, magnus fuit in arte medendi: ideò ab ea arte ἰάσωνα quasi sanatorem nominauit. *Iason vnde dictus.*

Pegasæus. Pegasæ, in numero multitudinis, vrbs est, Thessaliæ, quam sinus Pegasæus ample citur, teste Pomponio Mela lib. 2. Quo in loco corruptè legi Pagasam pro Pagasas, doctè anno tauit Ferdinandus Pincianus accerimi iudicij vir in suis castigationibus in Pompo. *Pegasa. Pagasa*

Phasides. Phasis fluuius est Colchorum: vnde *Phasit, hinc Phasiani.*

Phasiani fuere denominati. Phasiacis dolis, hoc est Medeæ, quæ Phasiaca fuit, vt nonnullorum est opinio: nam Pindarus Corinthi natam fuisse dicit Oda 13. Olympio. Quidam dicunt sumpsisse hæc Alciatum ex quodã Paulo geometra Florẽtino, qui eadẽ trãstulerit, ex quodã Alberti Magni libello. Sed omnia sunt meræ nugæ.

Lasciuia.

EMBLEMA LXXIX.

Delicias & molliciem mus creditur albus
Arguere, at ratio non sat aperta mihi est.
An quòd ei natura salax, & multa libido est?
Ornat Romanas an quia pelle nurus?
Sarmaticum murem uocitant plerique Zibellum,
Et celebris suaui est unguine muscus Arabs.

Quoni

QVoniã breuiter declarat Erasmus adagiũ Mus albus, omnia illius verba transcribã: Mus albus (inquit) apud Suidã μῦς κακὸς, id est, Mus malus. Apud Diogenianum in hominem lasciuũ, & libidinis immodicæ dicebatur. Nam mures domestici salacissimi sunt: præsertim albi. Ælianus miram esse murium salacitatem authorum testimoniis docet lib. 12. cap. 10. Atq; inter multa illud addit, Epicratem in fabula quapiam, cùm mulierem significare vellet prodigiosæ libidinis, μυωτίαν appellasse, quasi dixeris murinam citatque prouerbium, μῦς λευκὸς ex Philemonis comœdia. Vnde receptũ videtur vt inter amatoria blandimenta, quemadmodum passerculi, columbæ & id genus aliorum itidem & muris cognomentum vsurpetur. Martialis,

μῦς κακὸς, in hominem lasciuum.

Ælianus.

μῦς λευκὸς, ex Philemone.

Nam cùm me murem, cùm me tua lumina dicis.

Hactenus Erasmus. Idem ferè Politianus Miscellaneorum cap. 96. Cæl. Rhodig. lib. 24. cap. 25. Ælian. de animal. histo. lib. 12. cap. 10.

Mus albus. à nostris dicitur, vt arbitror, *Armino.*
Mus Sarmaticus. La Marta.
Mus Zibellinus. Marta Zibellina.
Muscus Arabs. Almisque.

Aduersus naturam peccantes.

EMBLEMA LXXX.

Turpe quidem factu, sed & est res improba dictu,
Excipiat si quis choenice uentris onus.
Mensuram, legisq; modum hoc excedere ~~facinus~~ est,
Quale sit moesto pollui adulterio.

sanctæ

EX Plutarcho de educatione puerorũ σιτίον (inquit Plutarchus) εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν. ἐπισημαίνει γὰρ, ὅτι εἰς πονηρὰν ψυχὴν ἀστεῖον λόγον ἐμβάλλειν οὐ προσῆκεν. Ὁ μὲν γὰρ λόγος τροφὴ διανοίας ἐστὶ: τοῦτον δὲ ἀκάθαρτον ἡ πονηρία ποιεῖ τῶν ἀνθρώπων. Id est, Cibos in scaphio non ponendos. Significat autem, in animum nequam vrbanos sermones immitti non oportere. Sermo enim, intelligentiæ cibus est, quem impurum hominum nequitia reddit. Vide adagium, Cibum in matellam ne immittas. Emblematis titulus satis declarat carmina. Quare non est, quod hîc amplius immoremur.

Excipiat si quis. Imitatio est Mart. ad Bassam:

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

Chœnix. *Chœnice uentris.* Chœnix est demensũ & cibus diurnus, de quo statim dicemus.

Desidiam

Desidia.

EMBLEMA LXXXI

Desidet in modio Esseus, speculatur & astra
Subtus & accensam contegit igne facem.
Segnities specie recti velata cuculo,
Non se, non alios vtilitate iuuat.

De Essæis siue Essenis agit Iosephus in Antiquitatib. & Philo Iudæus. Eusebius de præparat. Euãg. lib. 9. cap. 1. Cæl. Rodig. & Solinus.

Subtus et accẽsam] Nihil inuidiosũ magis, quam lumen suũ nolle vicinis communicare, contra illud Ennianũ: Homo, qui

Desidiam abiiciendam.

EMBLEMA LXXXI.

Quisquis iners abeat. Nam in chœnice figere sedem,
Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.
Surge igitur, duróq; manus adsuesce labori,
Det tibi dimensos crastina ut hora cibos.

Symbolum Pythagoræ.

PYthagoras Samius inter alia rectè viuendi pręcepta hoc præcipuè commendabat, μὴ ἐπὶ χοίνικα καθίσειν. Id est, Ne chœnici insideas. Quod Plutarchus in libello de educatione pueror. ita exponit, φεύγειν ἀργίαν, καὶ προνόειν ὅπως τὴν ἀναγκαίαν παρασκευάσωμεν τροφὴν. Id est, fugere otium & prospicere, quemadmodum necessarium paremus cibum. Diogenes Laërtius in vita Pythagoræ ait, in chœnice non seden-

dum: id est, ex æquo futuri habendam curam. Chœnix enim diurna esca est. Huius Pythagorici symboli diuersæ feruntur expositiones: sed hanc Plutarchi sequutus est hîc Alciatus: & lib. etiã 1. Parergõ c. 17. vide plura in adagio Chœnici ne insideas. & Cibũ in matellã ne immittas.

Samij dogmata. Pythagoram dicit, qui Samius fuit, de quo iam diximus alibi. Pithagoræ symbola, oraculorũ instar priscis fuerunt celebrata. De his Plutarchus, & Erasmus in Chiliad.

In facilè à virtute descisscentes.

EMBLEMA LXXXII.



Parua

Parua uelut limax ſpreto Remora impete uenti,
Remorúmq; ratem ſiſtere ſola poteſt.
Sic quoſdam ingenio, & uirtute ad ſydera uectos,
Detinet in medio tramite cauſa leuis.
Anxia lis ueluti eſt: uel qui meretricius ardor
Egregiis iuuenes ſeuocat à ſtudiis.

PVlchra ſimilitudine declarat, quàm ſint leues cauſæ, quæ à recta virtutis via nos auertant: cùm ne grauiſsimis quidem cauſis nobis eſſet cedendum. De Echeneide, quæ alio nomine vocatur Remora, à remorando diximus alibi. Vide adagium, Feſtina lentè. Duo primi verſiculi ſumpti ſunt ex Plinio lib. 32. cap. 1. Vbi Plinius ait eam Remoram à latinis vocari, limaci magnæ ſimilem eſſe. Nauigia (ruant licet venti & procellæ ſæuiant) ſiſtere. Deniq; multa ſcitu digna commemorat, quæ hîc appoſuiſſem, niſi ille longiùs progrederetur. Sic ergo contextum ordino: (quandoquidem multos fallit, inter quos etiam, qui docti nomen ſibi vendicant) Parua remora velut limax, id eſt, quæ adeò parua eſt, vt limaci magnæ poſsit comparari, ſpreto impete venti & remorum, ſola poteſt ſiſtere ratem. Itaque illa verba, velut limax, per parentheſin reſpondeant ad verbũ parua. Vide D. Baſilium in Examero. homil. 7. Vnde cætera ſumpta ſunt. Lucanum in 6. & Volaterranum 25. Philologiæ.

Echeneis.

Contextus ordo.

Ignaui.

EMBLEMA LXXXIII.

Ignani Ardeolam ~~stellatum~~ effingere ſerui
Et ſtudia, & mores fabula priſca fuit.
Quę famulum Aſteriam uolucris ſumpſiſſe figuram
Eſt commenta: fides ſit penes hiſtoricos.
Degener hic ucluti qui ceuet in aëre falco eſt,
Dictus ab antiquis uatibus Ardelio.

SVmptum eſt emblema ex Ariſt. lib. de hiſto. animal. 9. cap. 18. Cuius hæc ſunt verba, Sed ſtellaris ὄκνος, id eſt, piger cognominatus in fabula eſt: vt olim è ſeruo in auem tranſierit, atq; (vt cognomen ſonat) iners ocioſaque eſt: talis Ardeolarum vita eſt. Idem eodem libro capite primo Ardeolarum tria ſunt genera. Pella, Alba, ſtellaris

ſtellaris piger cognominatus. Quæ verba trāſtulit Plinius lib.10.cap.60. Inquiens, Ardeolarum tria genera, Leucon, Aſterias, Pellos. *Vide Aeliani de animalibus lib.5. 36. Stellaris*

Ignaut ardeolam ſtellarem. Ordo eſt: Fabula priſca fuit, id eſt, antiqui fabulati ſunt, Ardeolam ſtellarem, id eſt, auem illam Aſteriam vocatam à fulgore aſtrorum, effingere ſerui ignaui & ſtudia & mores. Tarda enim eſt auis, Hiſpanè Garçota. *garcota*

Degener hic. Hic ſcilicet ſeruus eſt, veluti falco degener, qui ceuet in aëre. Falconem degenerem vocat auem illam, quæ in turribus nidificat: quam pueri ſæpe alunt pro accipitre ad aucupandos paſſerculos. Tinnunculus Latinè dicitur, Hiſpanè Cernicalo: qui aliquando durat in aëre pendens leuiter commotis alis, nec dextra nec læua, antè, aut retrò, infrà vel ſuprà mouetur, quod hîc vocat Alciatus ceuere. *Falco degener.* *Ceuere quid. Ardelio.*

Dictus ab antiquis. Quid ſit Ardelio nemo meliùs docet Martiale, his verbis,

Declamas bellè, cauſas agis, Attale, bellè,
Hiſtorias bellas, carmina bella facis.
Componis bellè mimos, epigrammata bellè,
Bellus Grammaticus, bellus es aſtrologus.
Et bellè cantas, & ſaltas, Attale, bellè,
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cùm facias, facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio.

Idem Martialis alibi, deridens ſenem Afrum ſic ait:

Condita cùm tibi iam ſexageſima meſſis,
Et facies multo ſplendeat alba pilo:

Decurris tota uagus urbe, nec ulla cathedra est,
Quò non manè feras irrequietus, aue.
Et sine te nulli fas est prodire Tribuno,
Non caret officio Consul uterq; tuo.
Et sacro decies repetis palatia cliuo
Saturiósq; modos, Partheniósq; sonas.
Hoc faciant sanè iuuenes, deformius, Afri,
Omnino nihil est, ardelione sene.

Pausanias de ocno. Tetigit nonnihil Pausanias in Phocicis, Augures (inquit) & auem ocnon appellant, quæ inter ardeolas & maxima est, & pulcherrima.

Auaritia.

EMBLEMA LXXXIIII.

Fulgentio lib.

Heu miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.

Nomine

Nomine mutato de te id dicetur auare,
Qui, quasi non habeas, non frueris quod habes.

SVmptum ex primo Sermonum Horatij Satyra 1. Quo in loco multis verbis carpit auaros Horat. tandémque Tantali fabula narrata similes esse auaros Tantalo dicit,

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Tantalus Iouis ex Plote filius fuit, qui Deos cùm aliquando conuiuio suscepisset, vt eorum diuinitatem experiretur, Pelopem filium membratim discerptum, coctúmque appositum comedendum: illi verò cùm exhorruissent cibũ, non solùm abstinuêre: sed collectis in vnum membris, puerum in formam pristinam reduxere: Tantalum autem ad inferos detrusum perpetua fame torquendum censuere. Quod canit Homerus lib. 11. Odyss. Cuius verba sic latina feci, *Tantali fabula.*

Homerus de Tantalo.

Tantalus hîc aderat duros sine fine dolores
Corde ferens, mento, & contingens usque paludem,
Et sitiens, nullas poterat comprehendere lymphas:
Nam quoties haustus liquidarum optabat aquarum,
Hæ toties fugiunt, & se tellure recondunt,
Nigráq; sub pedibus (Dij siccant) terra manebat.
Atq; caput supra pendebant Punica mala,
Pomáq; cum pyris, splendentes arbore fructus,
Et dulces ficus fœtúsq; uirentis oliuæ,
Quas miser esuriens, si uellet carpere, uentus
In sublime ferens nebulis condebat & umbris.

Alij

Alij dicunt hoc tormenti genus illi inditum esse, quòd cùm esset conuiua Deorum, cælestia secreta mortalibus reuelauerit. Ouidius 2. Amor Eleg. 2.

Ouidius de Tantalo.

Aspicis in dicibus nexas per colla catenas
Squallidus orba fide pectora carcer habet.
Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Idem 2. de arte,

Eximia est uirtus præstare silentia rebus:
At contrà grauis est culpa, tacenda loqui.
Quàm bene quod frustra captatis arbore pomis
Tantalus in media garrulus aret aqua.

Vide Pindarum 1. Olympior. ode. & Adagia, Tantali pœna. Tantali lapis: vbi alias causas ex Athenæo & aliis de pœna Tantali reperies. Dicitur autem quasi παλάντατος, id est, infelicissimus. Plat. in Cratylo.

ntalus vnde.

In aua

qui quasi non habeat] alluſit ad mimū Publiani: Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

In auaros.

EMBLEMA LXXXV.

Septitius populos inter ditißimus omnes,
Arua ſenex nullus quo magis ampla tenet.
Defraudans geniúmq; ſuum, menſáſq; paratas,
Nil præter betas, duráq; rapa uorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
An ne aſino? Sic eſt: inſtar hic eius habet.
Namq; aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat:
Seq; rubo, aut dura carice pauper alit.

EST inter epigrammata Græca quodam incerti autoris tit. εἰς φειδώλεως. lib. 2. quod tale eſt,

πολλὰς μυριάδας ἀφίζει Ἀρτεμίδωρος,

Καὶ

Καὶ μηδὲν δαπανῶν, ζῇ βίον ἡμιόνων,
Πολλάκις αἱ χρυσᾶ τιμαλφέα φόρτον ἔχουσαι
Πολλὸν ὑπὲρ νώτου, χόρτον ἔδουσι μόνον.

Id est,

Viuens ut muli dum sumptus præcauet omnes,
Supputat innumeras Artemidorus opes.
Auri sæpe gerunt ingentia pondera dorso
Muli, sed siccum non nisi gramen edunt.

Simile quiddam Plutarch. de cupiditate diuitiarum, de asino balneatoris. Septitius nomen fictum est ab Alciato, qui senex effingitur: eò quòd auaritia senes præcipuè solet inuadere: quia deserit eos calor deficiente sanguine.

Defraudare genium. Defraudans geniúmque. Suum defraudans genium dixit Terent. in Phormi.

Obsonium. Inopem quem copia reddit. Inopem me copia fecit, dixit Ouid. In Meta. 3. Obsonium est quidquid vltra panem & vinum in cibum adiicitur.

In auli

In aulicos.

EMBLEMA LXXXVI.



Vana Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Χρυσᾶς πέδας, inquit Erasmus in adagio aureæ compedes, prouerbiali metaphora, dicitur seruitus splendida, & amabilis, qualis est ferè aulicorum vita. Diogenes in epistola quadam scriptum reliquit, Aristippum in aula regia aureis teneri compedibus, ne posset auolare. Seneca in Dialogo quodam affectus & rationis, Stulti est, inquit, compedes suas, quanuis aureas, amare. Loquitur de vxore formosa. Horatius item de vxore formosa, Χρυσᾶς πέδας.

— *tenétq; grata compede uinctum.*

Hacte

Hactenus Erasmus.

Circunferuntur nimiùm veri versiculi incerto autore de ministris in aulis principum senescentibus,

In senescentes in aula principum.

Regum sollicita quicunq; senescit in aula,
Aut furit, aut ultro concupit esse miser.

In sordidos.

EMBLEMA LXXXVII.

Quæ rostro (clystere uelut) sibi proluit aluum
Ibis, Niliacis cognita luctoribus,
Transit opprobrij in nomen: quo Publius hostem
Naso suum appellat, Battiadéq; suum.

Ibis.

PLinius lib. 8. cap. 27 De Ibide sic ait, Simile quiddam & volucris in eadem Ægypto monstrauit, quæ vocatur Ibis, rostri aduncitate per

per eam partem se abluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est. Hæc Plinius. Vide Aristo. li.9.de histo.ani. ca.27.& lib.3.de gener. anim.cap.6.& Ciceroné 2.de natur.Deor. Ammianum lib.22.histo.Pompo. Melam li.3. ca.9. Solinum cap.45. Plutarchum de Industria ani. Herodotus autem in Euterpe, Ibidis formã sic describit, Nigra, inquit, tota vehemẽter est, cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco, eadẽ qua crex magnitudine. Et hæc quidẽ species est nigrarũ, quæ cum serpentibus pugnant. ~~At earũ quę pedes humanis similes habent~~ (nam bifariæ Ibides sunt) gracile caput ac totũ collũ, pennæ candidæ, pręter caput ceruicémq; & extrema alarũ, & natiũ, quæ omnia sunt vehemẽter nigra, crura & facies alteri cõsentanea. Colitur ab Aegyptiis: quia serpẽtes alatos ex Arabia in Aegyptũ vere ineunte cõmigrãtes interficit.

Ibidis forma.

Bifariæ Ibides.

Clystere uelut. Clyster græca vox est à verbo κλύζειν, quod est abluere. Dicitur etiã Clysteriũ. est enim instrumentum, quo aluus ægrotantium solet purgari, seu lauari.

Clyster vnde.

Niliacis cognita. De Nilo vide multa apud Põponium Melam lib.1.cap.9.

Transtit op. in nomen. Videtur Alciatus velle facere nouũ adagiũ, & meritò. Nam Ibides possumus vocare sordidos, propter auis naturã: quã doquidem sic vocauit Ouidius hostem suum, in quem sicripsit Ibim: & Callimachus carmen maledicũ scripsit in Apolloniũ, qui Argonautas celebrauit, quem tecto nomine appellat Ibim, vt ait Suidas.

Suidas de Ibide.

Callimachus quis.

Battiadésq; suum. Calimachum intelligit poe-

tam elegiacum Cyrenenſem, qui Battiadæs dicitur, aut quia originem traxit à Batto rege Cyrenenſium, qui alio nomine dicitur Ariſtæus: aut quia Cyrenenſes omnes à Batto gaudebant denominari ſicut Cecropidæ à Cecrope. Nam Battus, vt ait Pindarus, in Pythiis oda 4. rex fuit inclytus & probus: quamq; fuerit charus Cyrenæis, aperit Ariſtophanes in Pluto. Vide prou. Batti Silphion. Ouid. lib. 4. amo. eleg. 15. ſic laudat Callimachum,

Battus rex

Battiades toto ſemper cantabitur orbe.

& rurſum in Ibin:

Nunc quo Battiades inimicum deuouet ibin,
Hoc ego deuoueo, téq; tuóſq; modò.

Suidas Callimachũ Batti filiũ & Meſatmę facit.

In diuites publico malo.

EMBLEMA LXXXVIII.

Anguillas quisquis captat, si limpida uerrat
Flumina, si illimes ausit adire lacus,
Cassus erit, ludétque operam: multùm excitet ergo
Si cretæ, & uitreas palmula turbet aquas,
Diues erit. Sic ils res publica turbida lucro est,
Qui pace, arctati legibus, esuriunt.

EX Aristophane in equitibus. Sed quia hoc argumẽtum plenè tractat Erasmus in prouerb. Anguillas captare. ad alia transeo. Aristo. lib. 8. de nat. animal. cap. 2. Anguillæ (inquit) paucæ quædam certísque locis vescuntur limo, atque eduliis si quis apponat. Sed plurimę dulci humore viuunt: ídque qui viuariis anguillariis dant operam, obseruant: vt quàm maximè pura syncerâque sit aqua, fluens semper, & effluens per ripas, vbi viuaria extruuntur. Nam nisi aqua sit clara, breui strangulatæ intereunt. branchias enim habent exiguas. Hinc turbare aquas soliti sunt, qui eas piscantur. Hactenus Arist.

Aristophanes.

Anguillarũ natura.

In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur.

EMBLEMA LXXXIX.

Delphino insidens uada cærula sulcat Arion,
Hócq; aures mulcet, frænat & ora sono.
Quàm sit auari hominis, nõ tam mens dira ferarũ est:
Quique uiris rapimur, piscibus eripimur.

Bianori epigram. IMitatus est Alciatus Epigramma Bianori ex 4. lib. Florilegij tit. ις κιθαρώδους, quod tale est,

Ἔστησεν Περίανδρος Ἀρίονος εἰκόνα ταύτην,
Καὶ τὴν ἀπολλυμένῳ σύνδρομα νηξάμενον
Εἰνάλιον δελφίνα. λέγει δ' ὁπ' Ἀρίονι μῦθος,
Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

Nos ferè ad verbum sic vertimus,
Constituit Periander Arionis Icona talem,

Vt peri

Vt peritum hominem piſce uehi uideas.
Delphin piſcis erat. quid Arionis indicat icon?
Nos piſces ſeruant, interimunt homines.

Eiuſdem ſententiæ extat aliud epigramma Bianori lib. 1. Florilegij tit. 13. Porrò Arionis fabula, ſeu hiſtoria notiſsima eſt, & refertur latiſsimè & eleganter ab Aulo Gellio lib. 16. ca. 19. & à C. Iulio Higino. in poetico aſtronomico, cùm loquitur de Delphino: & à Plinio lib. natur. hiſtor. 9. cap. 8. Plutarcho in conuiuio ſeptem ſapientum: & ab Herodoto in Clione, vnde omnes illam ſumpſerunt. Sed cur non apponamus Ouidij carmina ex 2. Faſtorum ipſa venuſtate venuſtiora?

Arionis hiſtoria.

Quod mare non nouit, quæ neſcit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe ſequens agnam lupus eſt à uoce retentus:
Sæpe auidum fugiens reſtitit agna lupum.
Sæpe canes leporéſq; umbra iacuere ſub una:
Et ſtetit in ſaxo proxima cerua leæ
Et ſine lite loquax, cum Palladis alite cornix
Sedit, & accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia ſæpe tuis fertur uocalis Arion,
Tanquam fraternis obſtupuiſſe modis.
Nomen Arionium Siculas impleuerat urbes:
Captáq; erat lyricis Auſonis ora ſonis.
Inde domum repetens puppim conſcendit Arion,
Atq; ita quæſitas arte ferebat opes.
Forſitan infelix uentos, undáſq; timebas:
At tibi naue tua tutius æquor erat.
*Nanq; gubernator diſtricto conſtitit * enſe,*

* al. conſtitit.

Cæteraq; armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege nauita puppim:
Non sunt hæc digitis arma tenenda tuis.
Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit,
Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
Dant ueniam rident q; moram: capit ille coronam,
Quæ posset crines Phœbe decere tuos.
Induit & Tyrio distinctam murice pallam.:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos
Flebilibus numeris, ueluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas:
Spargitur impulsa cærula puppis aqua.
Inde (fide maius) tergo Delphina recuruo,
Se memorant oneri supposuisse nouo.
Ille sedet citharamq; tenet, pretiumq; uehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dij pia facta uident: astris delphina recepit
Iuppiter, & stellas iussit habere nouem.

Extat venustum & elegans tetrastichon Philippi lib. 1. Epigrammaton Græcorum, quod breuitatis gratia omisi, vbi Philomela gloriatur se vectam esse delphino. Quo facto colligit fabulam de Arione non fuisse vanam nec fictitiam. Eius Epigrammatis sensum sic conatus sum vertere. Nam lepôrem vix quisquam assequatur græcæ compositionis, nedum ego.

Præpetibus pennis uento bacchante ferebar
Per mare Bistonio, qui mihi sæuus erat.
Sed me dulcisonam suscepit ædona curuo:
Pontiuagus delphin corpore, piscis auem.

Quæ

Quæ fido tranans ſpatioſum in remige Pontum,
Mulcebam uariis corda marina ſonis.
Delphini muſæ (naulo ſine) ſæpe tulerunt:
Nam neq; Arionis fabula falſa fuit.

Hóreq; aures mulcet. Alibi ſcriptum reperi ex eodem Alciato,

Et citharæ mulcet, frænat & ora ſono.

Delphinum muſicum ideo ſignum dici, Arati interpres ſcribit: quia nouem ſit ſtellis inſignitus: qui eſt Muſarum numerus.

Delphinus cur dicatur muſicum ſignum.

Gula.

EMBLEMA XC.

Curculione gruis tumida uir pingitur aluo,
Qui Laron, aut manibus geſtat Onocrotalum.

Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,
Et gula quos celebres delicioſa facit.

ARiſto. 3. Moral. cap. 10. ad Nicomachum ſic ait, Itaque Philoxenus quidam Erixius, cùm epularum voluptate duceretur, collum ſibi dari gruis longius optabat, quòd ex tactu caperet voluptatem.

Philoxenus

Qui larum. Larus auis eſt auida, & vorax. Larū ſignificauit Virgilius in illis carminibus, qui ſunt in 4. Æneidos,

Larus auis quæ.

Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit: hinc toto præceps ſe corpore ad undas
Miſit aui ſimilis, quæ circum, littora circum
Piſcoſos ſcopulos humilis uolat æquora iuxta.

Quæ carmina vt inquit Petrus Nannius ab Homero ſumpta ſunt, quod primus ipſe animaduertit. Homerica ſic vertit ille,

Pet. Nannius, de laro.

Pieria inſcenſa ſe miſit ab æthere in undas:
Deinde laro ſimilis uolitat iuxta æquora ſumma,
Qui maris indomiti ſinuoſa ad littora ſæpe
Captando piſces aſpergine tingitur undæ.

Poſtea ſubdit, Valde miror, cur Virgilius nomē auis omiſerit: & in genere, quàm in ſpecie verſari maluerit: cùm non ſine cauſa Homerus larum ex omnibus piſcatricibus auibus exemerit, cui Mercurium in volando aſsimilem vellet. Eſt enim larus Mercurio dicatus, qui à loquacitate nomen inuenit: λαρος enim quaſi λαλος dictus. Denique hanc cauſam reddit: Larus latinè ab aliis dicitur Fulica, in quibus eſt Beatus Auguſtinus. Ab aliis Gauea, in quibus Gaza. Ab

Larus Mercurio dicatus.

aliis

aliis Herodios, Ciconia, Ibis. Quare Virgilius, ne litem faceret, nomen auis omisit. Hæc ille. Aliam causam affert Seruius in illo loco, quæ non displicet. Incongruum enim erat Heroico carmini, si Mergum diceret. Sic alibi per periphrasim ciconiam dixit,

Candida uenit auis longis inuisa volubris.

Hæc ille. De Laro multa sunt apud Erasmum prouerbia.

Gestet onocrotalum. Antonius Nebriss. multæ doctrinæ vir, nostræ laus Hispanię, in suis Quinquagenis testatur se vidisse duos onocrotalos: alterum mortuum in foro Bononiensi: alterum volantem ad Anæ fluminis ripam, qui æquiparabat mole sua agnum anniculum. Ascribam aliqua illius verba. Ingluuies, inquit, in onocrotalo mirum in modum est ampla: quippe quæ amphoræ mensuram, aut non multo minus capiat. De qua Marti.

Anto. Nebriss. de onocrot.

Onocrotali ingluuies.

Turpe Rauennatis guttur onocrotali.

Nam turpe guttur, pro magna ingluuie posuit. Est porrò ingluuies, vt definit Aristoteles, cutis in amplum sinuata: qua primùm cibus ingestus continetur incoctus &c. Hãc onocrotalus aqua explet, atque ore aperto piscículis se obiectat, quos cùm sensit deprehensos intra ingluuiem, aquam per oris spiramenta euomit: atque ita præda vescitur. Croton Bononienses vocant. Interpretatur asinus crepitans: quoniam ὄνος est asinus, κροτάω, crepito: nomen impositum est à voce, quam auis illa edit, quam mihi audire nõ licuit. Hæc ille. Plinius autem lib. 10. cap. 47.

Olorum similitudinem Onocrotali habent, nec distare existimantur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius vteri genus. Hæc omnia inexplebile animal congerit, mira vt sit capacitas. Mox perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in veram aluum ruminantis modo refert, Gallia hos septemtrionalis proxima Oceano mittit.

Gallia fert onocrotalos.

Dionysius rex.

Talis forma fuit Dionysij. Dionysius Clearchi, qui primus Heracliæ regnauit, filius, & ipse patriæ imperans ob nimias delitias, nimiásque crapulationes, adeò pinguis effectus est, vt præ pinguedine vix spiraret, & penè suffocaretur. Quare statuerunt medici, vt acus oblõgæ ac tenuissimæ fierent, quæ tunc lateribus ac ventri adigerentur, cùm profundissimo somno teneretur: tunc enim excitabatur cùm viuam carnem acus attingebant. Ius dicebat corpore arca ita condito: vt præter caput, penitus nihil extaret. Quinque & quinquaginta annos vixit, cùm tres & triginta imperasset. Hæc Stephanus Niger, in libel. de nimio luxu. Athenæus lib. 1. cap. 3.

M. Apicius.

Et *talis Apici.* pro Apicij, per apocopem figuram poëtis vsitatissimam. Mar. Apicius, (quem Plinius vocat nepotum omnium altissimum gurgitem: & alibi ad omne luxus ingenium solertem) nobilis fuit Romanus, valde gulosus, qui amplissimum vectigal comessationibus hausit: tandem famem metuens veneno vitam finiuit. In quem sic lusit Martialis lib. 5. Epigram.

Dederas Apici bis trecenties uentri:
Sed adhuc supererat centies tibi laxum:
Hoc tu grauatus, ne famem & sitim ferres,

Summa

Summa ueneno potione duxisti.

Nil est Apici tibi gulosius factum.

Apicius libros de gula scripsit.

Libros de gula conscripsit, vt autor est Suidas. Vide si plura cupis Senecam, De consolatione ad Albinam matrem. Et Lucianum in Nigrino.

Et gula quos celebres. Multos huius generis si cupis legere, consule Stephanum Nigrum de Nimio vitæ luxu. Vide adagium Gallonius.

Stephan. Niger.

Ocni effigies. De his qui meretricibus donant, quod in bonos vsus verti debeat.

EMBLEMA XCI.

Impiger haud cessat funem contexere sparto,
Humidáq; artifici iungere fila manu.
Sed quantum multis uix torquet strenuus horis,

Protinus

Protinus ignaui uentris aſella uorat.
Fœmina iners animal facili congeſta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inq; ſuum.

EX Pauſania in Phocicis. Poſt hos (inquit) vir quidam ſedens conſpicitur. Inſcriptio Ocnum eſſe teſtatur. Funiculum autem nectit: aſtat aſina, quæ quidquid eſt nexum deuorat. Ocnum hunc hominem fuiſſe laborioſum memorãt: ſed vxorem habuiſſe ſumptuoſam, à qua quidquid is laboribus collegerat, non ita multò pòſt fuiſſe dilapidatum. Hæc propter Ocni vxorem obſcurè tradidiſſe Polygnotum putant. Scio item ab Ionibus dici, ſi quem laboribus intentum conſpicerent, ex quibus nil ipſe commodi caperet, Hic vir Ocni funiculum contexit. Hactenus Pauſanias. Vide adagium, Contorquet piger funiculum. Et Politia. Miſcel. cap. 81. et Paulo Leopardo Miſcell. lib. 1x. cap.

Ocnus.

Ocni funiculus.

Mundus quid.

Mundum prodigit. Mundus eſt ornatus muliebris: græcè dicitur κόσμος: vnde mundus dictus eſt hic, quod alio nomine cælum appellare libuit. Nam vt inquit Plinius lib. 2. cap. 4. quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellauerunt, eum nos à perfecta abſolutaque elegantia, mundum.

Fœmina iners animal. Heſiodus in Theogonia mulieres fucis aſsimilat, qui apum labores conſumunt, cuius ſententia eſt,

Quale fauis examen apum dulciq; liquore
Cernimus infames haud rarò paſcere fucos,
Per thyma manè uolant, & picta per arua tepenti
Sole uagæ, ceráſq; legunt, & dulcia mella.

Prædo

Prædo latet, curuóq; uorax sub uimine uiuit,
Inq; sua abdit edax alienos exta labores.
Talis in humanis prius ab Ioue fœmina rebus,
Est data, flagitijs hominem, quæ lædat iniquis.

Vide Iuuenalis carmina in hoc, satyra 6. *Prodigæ non sentit &c.*

In Parasitos.

EMBLEMA XCII.

Quos tibi donamus, fluuiales accipe cancros,
Munera conueniunt moribus ista tuis.
His oculi uigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximáq; aluus adest.
Sic tibi propensus stat pingui abdomine uenter,
Pernicesq; pedes, spiculáq; apta pedi.
Cùm uagus in triuiis, mensæq; sedilibus erras,
Inq; alios mordax scommata falsa iacis.

EX

EX Plutarcho in lib. de discrimine adulatoris & amici. Cuius verba sunt, Ego verò noui quendam, qui vxorem suam eiecerit, vt amicus item suam repudiaret. Deprehensus est autem clanculum ad illam commeare: vel ad se se accersere: id quod etiam ab amici vxore animaduersum est. Vsqueadeò non nouerat adulatoris ingenium, qui credidit hos versus Iambicos magis cóuenire cancro, quàm assentatori:

Est uenter omne corpus, undiq; obtuens
Oculus, suisq; bestia reptat dentibus.

Nam huiusmodi quidem est imago parasiti & amicorum, qui patellam sequuntur, & ad prandia præsto sunt, quemadmodum inquit Eupolis. Hęc Plutarchus. De adulatoribus festiua inuenies epigrammata lib. 1. Floril. tit. περὶ κόλακος.

Cancri. Vide adagium Polypi. De cancris lege Plinium lib. 9. cap. 31. vbi leges aliquos cancros hippos vocari tantę velocitatis, vt consequi non sit. Vnde apertior erit comparatio ad parasitum, cui tribuit Alciatus pernices pedes.

His oculis &c. Sic ordino: his. f. cancris oculi vigiles sunt, & plurimus ordo chelarum armatus forfice. vbi libentius legerem forcipe, vt lego in Plinio, qui sic ait de cancris, Præterea bina brachia, denticulatis forcipibus. Sed noi magni refert, quomodo legas.

Lib. 9. c. 31.

Chelæ. *Chelarum armatus.* Chelæ dicuntur scorpionũ & cancrorum brachia: est etiam signum cæleste, ~~anterior~~ prior, scilicet pars Scorpij. Vnde Virg. 1. Georg.

Qua locus Erigonem inter chelásq; sequentes.

Abdo

Abdomine uenter. Abdomen propriè significat pinguedinem, quæ spinæ, vbi renes sunt, adhæret: dictum vt quidam volunt, quòd abditum sit. Translatè ponitur pro vitio ventris: vnde Cicero pro Sestio dixit, insaturabile abdomen. *Abdomẽ quid.*

Scommata. σκώμματα, cauillum, sales, dicterium à verbo σκώπτω, cauillor, dicteria iacio. *Scommata.*

Paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere.

EMBLEMA XCIII.

In modicis nihil est quod quis lucretur: & unum
Arbustum geminos non alit Erythacos.

ALIVD.

In tenui spes nulla lucri est: unóq; resident
Arbusto geminæ non bene Ficedulæ.

Sum

SVmptum ex prouerbio Græco Zenodoti μία λόχνη δύο τρέφει δύο ἐριθάκας. Vide Erasmũ in Adagio, Vnicũ arbustum haud alit duos Erithacos. Et in adagio, Vna domus non alit duos canes.

Erithacus. Est autem Erithacus auis quædam solitaria, vt eodem in saltu non temerè, nisi vnam inuenias. Hanc Theodorus Gaza, nunc Syluiam, nunc Rubeculam interpretatur in Aristotele. Hanc sententiam diuerso sensu protulit Lucanus lib. 1. & fortasse multò melius sic,

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Quò etiam respexit Alexander Magnus cùm *non* dixit mundum ~~con~~ capere duos Soles. Cicer. 1. Offi. Quod enim est apud Ennium, Nulla sancta societas, neque fides regni est. Id latius patet. Nam quidquid eiusmodi est, in quo nõ possint plures excellere, in eo fit plerunque tanta contentio, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem.

Capti

Ælianus lib. xi. de varia hist. Ethocles Lacademonius dicebat: Duos Lysandros Spartam ferre non posse. Et Archestratus Athenienſis dicebat: Duos Alcibiades in ciuitate Athenienſium tolerari non posse. Adeo, tametsi diuersi et contrarij, tamen erant intolerabiles.

Captiuus ob gulam.

EMBLEMA XCIIII.

Regnatórq; penus, mensæq; arrosor herilis
Ostrea mus summis uidit hiulca labris.
Queis tenerã apponẽs barbã falsa ossa momordit:
Ast ea clauserunt tacta repentè domum,
Deprensum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obscurum qui dederat tumulum.

SVmptum ex Antiphili Epigrammate lib. 1. Florileg. tit. εις ζωα, quod tale est,

Παμφάγος ἑρπιστὴς κατὰ δώματα λυχνοβόρος μῦς,
Ὄστρεον ἀθρήσας χείλεσι πεπταμένον,
Πώγωνος διεροῖο νόθην ὠδάξατο σάρκα,
Αὐτίκα δ' ὀστρακόεις ἐπλατάγησε δόμος.

Ἁρμόσθη δ' ὀδύναισιν ὅδε ἐν κλείθροισιν ἀφύκτοις
Ληφθεὶς, αὐτοφόνον τύμβον ἐπεσπάσατο.

Non indiger versione: quandoquidem ipse Alciatus expressit penè ad verbũ. Vide Adagium, Mus piscem gustans.

In garrulum & gulosum.

EMBLEMA XCV.

Voce boat torua, prælargo est gutture, rostrum
Instar habet nasi multiforisq; tubæ,
Deformem rabulam, addictum uentriq́;, gulæq́;
Signabit, uolucer cùm truo pictus erit.

Alcatraz

FOrtè hic est, qui passim inuenitur apud Indos Mexicanos, dicitúrque Alcatraz, anseris magnitudine piscibus victitans, rostro duarum spitha

ſpithamarum, cuius tantùm inferiorem partem mouet. Habet ingluuiem à roſtro ad pectus, in qua piſcium decem libras ingerit, & aquæ vrnam. Reddit facilè quæ ingurgitauit. Quidam autem præ grauedine cecidit, & captus eſt: deglutierat enim paruulum puerum Æthiopem.

Doctorum agnomina.

EMBLEMA XCVI.

Moris uetuſti eſt, aliqua profeſſoribus
Superadiici cognomina.
Faciles apertóſq; explicans tantùm locos,
Canon uocatur Curtius.
Reuoluitur qui eodem, & iteráq; uimis
Mæander, ut Pariſius.
~~ſocurus~~ & confuſius, ut Picus fuit, qui obſcurius

Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis multa amputans, ut Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui uel columnas uoce rumpit, Parpalus,
Dictus truo est scholasticis.
Contrà est uocatus, tenuis esset Albius
Quòd uoce, uespertilio.
At ultimas mutilans colobotes syllabas,
Hirundo Crassus dicitur.
Qui surdus aliis, solus ipse uult loqui,
Vt sturnus in prouerbio est.
Hic blesus, ille raucus, iste garriens.
Hic sibilat ceu uipera.
Tumultuatur ille rictu, & naribus.
Huic lingua terebellam facit.
Singultit alius, atque tussit hæsitans.
Conspuit alius ut psecas.
Quàm multa rebus uitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt nomina.

HOc emblema non alicunde fuit desumptum: sed tantùm Academiarum ostendit morẽ, in quibus semper professoribus adduntur cognomina ex vitiis præcipuè desumpta. Nec in promptu est dicere quos hîc notauerit Alciatus: tecto enim nomine quosdam pungit. In quinto vers. lege, & iterat qui nimis. vers. 17. Qui surdis aliis. Vide adagia Mæandri labyrinthus, Psecas, aut ~~sec~~. Est autẽ Mæander sinuosus fluuius: quod nomen plerunque pro obliquitate sumitur. Psecas stillicidium significat, guttam, aut stillam. vos

Vis

Vis naturæ.

EMBLEMA XCVII.

Pana colunt gentes, (naturam hoc dicere rerum est)
Semicaprúmq; hominem, semiuirúmque Deum.
Est uir pube tenus, quòd nobis insita uirtus,
Corde oriens, celsa uerticis arce sedet.
Hinc caper est, quia nos natura in secla propagat
Concubitu: ut uolucres, squamea, bruta, feras.
Quod commune aliis animantibus, est caper index
Luxuriæ, Veneris signáq; aperta gerit.
Cordi alij sophian, alij tribuere cerebro.
Infertora, modus, nec ratio ulla tenet.

PVlchrum epigramma, & eruditionis atque varietatis plenum: in quo rerum natura depingitur in figura Panos, quem colebat antiquitas, quasi naturæ Deum, quod & ipsum

Quid antiquitas de Deo Pane fabulata sit

indicat nomen: Πᾶν etenim omne significat. Sed audiamus iam antiquitatem quid de hoc Deo dicat, vt aliquid lucis nostro afferamus emblemati. Phornutus siue Cornutus in lib. de natura Deorum, cap. de Pane, Talem, inquit, & Pana esse non dubito. Siquidem & ipse cum hoc vniuerso idem est. Inferior pars huius Dei hispida est, & hircũ refert, ad designandã asperitatem terræ. Superior autem pars similis est homini, propterea quòd æther teneat totius mundi principatum. Hoc autem rationabilem designat partem. Lasciuũ & libidinosum eum fingunt, propter multas seminum causas & commistiones, quæ ex ipsis fiunt. In locis desertis eum morari tradunt, vt eius vnitatẽ ostendant. Mundus enim est vnus & vnigenitus. Nymphas persequitur: siquidem gaudet exhalationibus, quæ ex humido prodeunt, sine quibus impossibile est, vt mũdus appareat. Indutus esse dicitur nebride, aut pelle pardi, tum propter pulchram rerum omnium varietatem, tum etiam propter colores, qui in mundo cernũtur. συρτὸν eum appellãt, siue quòd à ventis omnibus perfletur, ἀπὸ τῦ συρίττειν id est, à flando: siue quòd ad saltandi ritum sit minùs aptus: & more rusticorum, qui politiorem musam non degustarunt, subsultet: ἀπὸ τῦ σκιρτᾶν, id est, à saltãdo. Quòd autem plerunque in montibus & speluncis versatur, factum est, vt coronam è pino arbore sortiretur. Hæc enim arbor montani quippiam & magnificum habet. Fingitur cornutus & bifidos habere pedes. Fuerit fortasse

hic

hic & Priapus, cuius vi omnia in lucē prorumpunt. Hæc & alia plura Phornutus. Homerus autem in hymno Panos eum Mercurij filium facit, vocatúmque Pana dicit à Baccho, quòd oblectarit omnium deorum animos. Orpheus in hymnis latiùs Panem Deum celebrat. Hymni principium tale est, *Orphei hymnus*

Πάνα καλῶ κρατερὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πὺρ ἀθάνατον. τῷ γὰρ μέλη ἐστὶ Ἰάπανος.

Id est,

Panem inuoco fortem, mundi uniuersum,
Cælum, mare, terram, omnium regem,
Et ignem immortalē. Hæ enim uiolæ curæ sunt Pani.

Silius Italicus sic describit Panem lib. 3. *Silius Italicus de Pane.*

Pan Ioue missus erat seruari tecta uolente
Troia pendenti similis Pan semper, & uno
Vix illa inscribens terræ uestigia cornu:
Dextera lasciuit cæsa Tegeatide capra,
Verbera læta mouens festa per compita cauda,
Cingit acuta comas, & opaca tempora Pinus,
Ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.
Sant aures summóq; cadit barba hispida mento.
Pastorale Deo baculum, pellisq; sinistrum
Vdat grata latus teneræ de corpore damæ.

Sed quæcunque hactenus de Pane dicta sunt, explanatius scripsit Seruius in Bucol. Virg. Pan, inquit Deus est rusticus in naturæ similitudinem formatus. Vnde dicitur Pan, id est, omne. Habet etiam cornua ad similitudinem radiorum soli, & lunæ cornuū. Rubet eius facies ad ætheris imitationem. In pectore nebridā habet *Seruius in Virg.*

ſtellatam, vt ſtellas imitetur. Pars inferior hiſpida, propter arbores & feras. Caprinos habet pedes, vt oſtendat terræ ſoliditatẽ. Fiſtulam habet ſeptem calamorum, propter harmoniam ex ſeptẽ ſonis. Pedum habet, propter annũ, quem in ſe recurrere fingunt Poëtæ; cum amore Deo luctatum eſſe, & ab eo victum: quia omnia vincit amor. Ex his autem Seruij verbis admoneor elegantiſsimi Epigrãmatis de Amoris & Panis lucta, quod hûc apponendum duxi: quandoquidem nec abhorret multùm à materia, nec eſt iniucundum auditu.

Stroza pater.

Pan & amor quondam certare uolentes,
Deponunt calamos ille uel ille ſacros.
Hic onus alarum, uilloſæ nebridos ille:
Proiicit hic arcus, proiicit ille pedum.
Tunc liquido exutos artus perfundit oliuo:
Cecropiæq; modum ſeruat uterq; Pales.
Conſeruêre manus totis conatibus ambo:
Robore Pan fidens, dexteritate puer.
Aſpera pugna fuit, primiſq; aſſultibus anceps:
Nunc Pana aiebant uincere, nunc puerum.
At demum elato prenſauit cornua ſaltu,
Panáq;, qui uincit omnia, uicit Amor.

Porphyrius

Sed iam addamus aliquid de Pane, quod peritioris literaturæ auidos nõnihil delectare poſſit. Porphyrius in lib. de reſponſ. Panem famulum Dionyſij facit, & in numero bonorũ Deorũ collocat: nihilominꝰ narrat agricolis quibuſdã apparuiſſe, quos repẽtè mortuos confirmat, interrogatũq; Apollinẽ de nece nouẽ agricolarũ in quodam Branchidarum agro, ſic reſpondiſſe,

Apollinis ſponſum.

Toruum

Torum Dionysij famulus Pan auriq; cornis,
Per nemora obscura gradiens, monteſq; per altos,
Pinum una (atque alia resonans syringa tenebat)
Geſtabat manu: multos is corpore uasto
Proſtrauit, mortiq; uiros dedit horridus ille.

Sed magna dignum eſt admiratione quod Plutarchus refert in eo lib. quem compoſuit de Tacentibus oraculis, qui liber nondum latinitate donatus eſt. Ne tamen græcis centonibus obſtrepam, eius verba, quantum potero, exprimere conabor, quæ ſic ſe habent: De morte autem huiuſmodi Dæmonum, hæc ab homine nec imprudente nec futili nobis ſunt tradita. Epitherſes præceptor Grammaticæ fuit Æmiliani Rhetoris (quem & vos aliquando diſſerentē audiiſtis) pater. Nauigaturus hic in Italiam, nauim conſcendit, mercimoniis, mercatoribúſque multis plenam, qui ſe audiiſſe dicebat (cum ſub noctē circa Echinadas inſulas ventus poſuiſſet, nauíſque prope Paxas conſtitiſſet) vigilantibus plurimis, multis etiam à cœna bibentibus, repentè cuiuſdam vocem auditam è Paxis, Thamum nomine inclamantem, ita vt omnes teneret admiratio. Erat verò Thamus Ægyptius vir eiuſdēm que nauis gubernator, non tamen omnibus, qui aderant, nomine cognitus. Bis itaque vocatum ſiluiſſe, tertiò reſpondiſſe. Aſt illum (quiſquis erat) altiore voce clamaſſe, Cùm peruēneris ad Palodes, hæc verba nunciabis, πὰν ὁ μέγας τέθνηκε. Hoc eſt, Pan magnus interiit. His auditis Epitherſes dicebat obſtupuiſſe cunctos, conſultaſséque inter ſe peragendáne, an negligenda

Hiſtoria notanda.

essent, quę audiissent: censuisse Thamum (si aspirarent venti) silentio pręternauigandum, sin autem deficerent, vbi eo locorum venissent, manifestanda quæ audierant. Cùm tandem ad Palodes venerunt, & nauis, neque vētis, neque vndis posset impelli, è prora obuersum in terram Thamum, pronunciasse iussa, hoc est, ὁ μέγας πᾶν τέθνηκε. Id est, Magnus Pan obiit. Hæc vixdum perfecta verba vlulatu magno, nec vnius modi, sed quasi multorum gementium excepta sunt. Quæ res (quoniam multis præsentibus acciderat) celeriter Romā est allata. Thamus ipse à Tiberio Cæsare accersitus. Consuluit deinde Tiberius Philosophos, quemnam Panem illum arbitrarentur. Qui responderunt, ex Mercurio & Penelope natum esse credi oportere. Hactenus sunt verba Plutarchi. Eusebius verò refert hæc & similia accidisse, quo tempore sub Tiberio Cæsare Christus Deus ac Dominus noster passus est, qui omne dæmonum genus è vita expulit. Quanquam quid vetat hanc vocem intelligi posse de Christo Seruatore nostro, qui verus est Pan, id est, Omne, ac totius naturæ dominus & conseruator? Sunt qui asserant illam vocem auditam è Paxis illa nocte, quę post passionem Dominicam sequuta est anno Imperij Tiberij, 18. Sed hæc hactenus.

Eusebius de Pane.

Illa vox intelligi potest de Christo.

de Pet. Crinitū l. 14. cap. 4

Cordi alij sophiam. Cicero, 1. Tuscula. Quæst. Alij (inquit) in corde: alij in cerebro dixerunt animi sedem esse & locum. Homerus & Hesiodus in corde videntur posuisse intelligentiam: idque significari volunt sapiētiores per illa verba pas

Ciceronis de sede animi opin.

ba passim apud hos poëtas repetita, σὺ δὲ ἐν φρεσὶ βάλλεο σῇσιν. Hoc est, vt dixit Maro, Tu condita mente teneto. Sunt enim phrenes septum transuersum siue præcordia. Vnde pro mente aut animo sumuntur. Plutarchus tamen lib. 1. de Placitis Philosophorum, testimonio Platonis, in capite mentem collocat. Plutarchi verba sunt, Propterea (inquit Plato) mens, quæ in homine augustissima pars est, in capite constituta est. Herodotus in Euterpe loquens de Ægyptiorum moribus, Panos (inquit) simulachrum & pictores pingunt, & statuarij scalpunt, quem admodum Græci caprina facie, hircinisque cruribus, haudquaquam existimantes eum esse talē, sed similem cæteris diis. Qua tamen eum causa talem describant, non est mihi relatu iucundum. Vide Plutarchum lib. 4. de placit. philosoph. ca. 5. Vide Alex. Aphro. in 7. μετὰ τὰ φύσικα. Vide Lucret. lib. 3.

Phrenes.

Are

Ars Naturam adiuuat.

EMBLEMA XCVIII.

Vt sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes:
Artibus hic, uariis casibus illa præest.
Aduersus uim Fortunæ est ars facta: sed artis
Cùm fortuna mala est, sæpe requirit opem.
Discе bonas artes igitur studiosa iuuentus,
Quæ certa secum commoda sortis habent.

Fortunæ figura.

SVmptum ex Galeno in orat. suasoria ad artes in prin. operum, qui de fortuna loquens sic ait, Cuius indicare nequitiam cùm veteres constituissent, in fœmineam speciem exprimere non contenti (quanquam hoc satis aptũ erat amentiæ signum) gubernaculum etiam manibus habendum dederunt, basin pedibus globosam

ſam ſubiecerunt, eam denique orbatam oculis effinxerunt: vt ſcilicet per has figurandi rationes, fortunæ inconſtantiam expreſſam oſtenderent. Et paulò inferius, Mercurium verò tanquam rationis dominum & artium omniũ authorem: aſpice rurſus, vt alia, quàm fortunam effigie decorarũt. Nam iuuenis eſt formoſus, nec eiuſmodi, vt fucatum quicquam in eo aut comptum deprehendas: ſed in cuius forma animi virtutes protinus eluceant. Eſt enim hilari vultu, acribus oculis, baſi innititur: ſic vndique figuratæ, vt quadrantal, ſeu teſſeram referat, qua maximè figura res ipſa ſtabilis ac immobilis redditur &c.

Vt fortuna pilæ. De fortuna pleni ſunt Philoſophorum & poëtarum libri. Addam tamen Pacuuij carmina, quæ citantur in 2. Rheto. ad Herennium, *Pacuuij carmẽ de fort.*

Fortunam inſanam eſſe & cæcam,
Et brutam perhibent philoſophi,
Saxoq; inſtare globoſo prædicant uolubili.
Ideo quò ſaxũ impulerit eò cadere fortunam autumãt.
Cæcam ob eam rem iterant: quia nil cernat, quò ſeſe applicet.
Inſanã autẽ aiunt: quia atrox, incerta, inſtabilisq; ſit.
Brutã: quia dignũ atq; indignũ nequeat internoſcere.

Vide Lactant. diuinar. inſtit. 3. & Auguſt. de Ciuit. Dei 2. 4. & 7.

Cubo ſic inſ. Hermes. ἑρμῆς Mercurius dicitur, eò quòd ſit deorum interpres: ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, quod eſt interpretari. *Hermes vnde.*

Aduerſus uim fortunæ &c. Vide Ariſtot. 6. Ethi.

ad Ni

ad Nicomachum, cap. 4. vbi citat Agathonis versic.

Τέχνη τύχην ἤσπερξε, καὶ τύχη τέχνην.

Id est,

Fortuna chara est arti, ars quoque fortunæ.

Vide præter loca citata Cælium Rhodiginum libro 22. capite nono in fine. Et eundem libro vigesimooctauo, capite 12. Et Didymum super Odyss. 23.

Conciliatur emblematio dicto Agathonis.

Aduersus &c. Hoc videtur dissentire cum illo Agathonis, Fortuna chara est arti &c. Sed non ita est: quod vt intelligatur, similitudine quadam demonstratur. Arboribus fructu, & pomis luxuriantibus solent substitui quædam furcæ, ne rami ingenti onere pressi ruinam faciant. Sic aduersus vim fortunæ ars est facta: & fortuna requirit artis opem.

Vide Plutarchum in libello de fortuna.

In iuue

In iuuentam.

EMBLEMA XCIX.



Natus uterque Iouis, tener atque imberbis uterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Saluete, æterna simul & florete iuuenta,
Numine sit uestro quæ diuturna mihi.
Tu uino curas, tu uictu dilue morbos,
Vt lento accedat sera senecta pede.

EX Callimacho, vt refert interpres Lycophronis pag. 42. Colebatur enim Delphis Dionysius cum Apolline. Precatur longam iuuentæ viriditatem à Diis, qui nunquam consenescunt, Apolline atque Baccho, qui semper floréte iuuenta pinguntur. De Baccho iã multa diximus. Epigrãma clarũ est, nec indiget luce.

In

In quatuor tempora anni.

EMBLEMA C.



Aduenisse hyemem fringilla renuntiat ales.
Ad nos uere nouo garrula hirundo redit.
Indicat æstatem sese expectare cuculus.
Autumno est tantum cernere ficedulas.

EX vulgari obseruatione sumptum. Solemus enim per quatuor auicularum genera, quatuor anni tempora designare. Fringilla enim, quæ græcè σπίζα, Hispanè *aguzanieue*, hyemem significat. Hirundo vere nouo incipiente aduentat. Vnde prouerbium, Vna hirundo non facit ver. Ouid. 2. Fasto.

Fringilla à frigore dicta. Arist. 8. ca. 3. hist. anim.

Nouarũdo

Fallimur? an ueris prænuntia uenit hirundo?

Cuculus æstatis prænuntius.

Cuculus æstatem prænuntiat, de quo iam dix

mus

mus. Ficedulæ autẽ ab edendis ficis dictæ, Autumno non solùm crebræ sunt, sed etiam molestæ. Martialis,

Cùm me ficus alat, cùm pascar dulcibus uuis,
Cur potiùs nomen non dedit uua mihi?

Scyphus Nestoris.

EMBLEMA CI.

Nestoreum geminis cratera hunc accipe fundis,
Quod grauis argenti massa profudit opus.
Clauiculi ex auro: stant circum quatuor ansæ:
Vnamquanq; super fulua columba sedet,
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor.
Mæonidæ doceas quid sibi musa uelit?

Est cœlum scyphus ipse: color argenteus illi est:
Aurea sunt cœli sydera clauiculi.
Pleiadas esse putant, quas dixerit ille columbas,
~~Vmbicili~~ gemini magna minórq; fera est.
Hæc Nestor longo sapiens intelligit usu:
Bella gerunt fortes, callidus astra tenet.

Vmblici

Poculum Nestoreũ.

POculi Nestorei descriptio ex Homero sumpta est. Quid poculi compositio significet ex Athenæo Dipnosop. 10. cap. 12. Homeri carmina sic se habent,

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς ὁ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιὸς
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον οὔαταδ' αὐτοῦ
Τέσσαρ' ἔσαν. δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον
Χρύσειαι νεμέθοντο, δύω δ' ὑποπυθμένες ἦσαν.
Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
Πλεῖον ἐόν. Νέστορ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.

Sic ego vertebam,

Et pulchram iuxta phialam, quam duxerat aureis
Transfixam clauis longæuus: quatuor ansæ
Huic inerant: geminæ circum unamquamq; columbæ
Ex auro ardebant: geminis erat abdita fundis.
Hanc si plena foret, magno conamine quisquam
A mensa: Nestor uerò facilè ipse leuabat.

Verba Athenæi de poc. Nest.

Verba porrò Athenæi ad hunc ferè modum se habent, Nestoris poculum quatuor aures, vt Homerus testatur, habebat: quod ita Poëta descripsit, vt cæli faciem repræsentaret. Argentum enim quo tantum poculum conflatum erat, cęli colorem indicat: claui aurei, stellas: Peliades quæ circum aures erant, Pleiades referebant (Peliadas siquidem sæpe Poetæ, pro, Pleiadas posuerũt) vt Simonides & Pindarus testantur,

Simonides de pleiadib.

per

per transmutationem literæ. Et quando Homerus πελειάδας, id est, columbas, inducit Ioui ferentes Ambrosiam, de Pleiadibus, non de columbis est intelligendum Hæc breuiter ex longissima Athenæi disputatione, quem vide. *Ouidius 4. Fastor.*

Stant circum &c. Quatuor, inquit Alciatus, ansas, seu aures habebat poculum, & quatuor columbas: sed Athæneus sex ponit columbas, quæ, vt inquit Ouidius, septem dici, sex tamen esse solent. Vide igitur num Alciatus fuerit memoria lapsus. Meminit & Martialis huius poculi & columbarum lib. 8. Epigr. in Eutum: *Alciati lapsus.*

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Police de Pylio trita columba nitet.

Longæuus tollere Nestor. De Nestore eiúsque ætate satis diximus in Emblemate, De Baccho.

Mæonidæ doceas. Cur Homerus dicatur Mæonides, diximus in Ganymede.

Est cælum Scyphus. Scyphos, Athenæo Authore, duplicem habet declinationem ὁ σκύφος, τοῦ σκύφου, &, τὸ σκύφος, τοῦ σκύφου. Dicitúrque, vt ipse putat, Scyphos quasi Scythos: quia Scythæ præter modum inebrientur. Vide de hoc nonnihil & apud Erasmum in Adagio Episcythizare. Est porrò scyphus vas ligneũ rotundum, lac serúmve capiens: Herculi dicatus, vt Cantharus Baccho. *Scyphos.*

Magna minórq; fera est. Hemistichion Ouidianum ex lib. 4. Trist. Eleg. 3. sic,

Magna minórq; feræ: quarum regis altera Graias:
Altera Sydonias (utraq; sicca) rates.

Polum Arcticum intelligit, vbi est Vrsa maior,

& Vrſa minor. Quarum fabulã vide apud Ouidium Metamorp. 2.

Vrſa maior & minor.

Hæc Neſtor longo &c. Hæc ad aſtrologiam retulit noſter Alciatus. Eraſmus verò ad aſsiduitatem, quẽ vide in prouerbio, Stilla aſsidua ſaxum excauat. Vter melius ſenſerit, non eſt meũ iudicare. Vtramq; ſententiã elicies ex Athenęo.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

EMBLEMA CII.

Caucaſia æternum pendens in rupe Prometheus
Diripitur ſacri præpetis vnguе iecur.
Et nollet feciſſe hominem, figulóſq; peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.

Rodunt

Roduntur uariis prudentum pectora curis,
Qui cœli affectant scire, deumq; uices.

PRomethei fabulam narrat Hesiodus latè in Theogonia: tangit in Georg. Sed illam latiùs prosequitur Iulius Higinus in Poëtico Astronomico, ca. de sagitta. Prometheus (inquit) qui propter excellentiam ingenij miram, homines finxisse existimatur, dicitur à Ioue impetrasse vt partem hostiæ in ignem coniicerent: partem in suo consumerent victu. Idq; postea consuetudo firmauit. Quod cùm facilè à Deo, non vt ab auaro homine impetrasset, ipse Prometheus immolat tauros duos. Quorum primùm iocinora cùm in aram posuisset, reliquam carnem ex vtroque tauro in vnum compositam corio bubulo texit: ossa autem, quæ circa reliqua fuerunt, pelle contecta in medio collocauit: & Ioui fecit potestatem, vt quam vellet eorum sumeret partem: Iupiter autem, etsi non pro diuina fecit cogitatione, neque vt Deum licebat, omnia quæ debuit, ante prouidere. Sed (quoniã credere instituimus historiis) deceptus à Prometheo, vtrunque putans esse taurum, delegit ossa, pro sua dimidia parte. Itaq; postea in solẽnibus & religiosis sacrificiis, carne hostiarum consumpta, reliquias, quæ pars fuit eorum, eodem igni comburunt. Sed vt ad propositum reuertamur, Iupiter cùm factum resciisset, animo permoto, mortalibus eripuit ignẽ. Prometheus autem consuetus insidiari, sua opera ereptum

Iul. Higinus de Prometh.

Iupiter deceptus à Prometheo.

mortalibus ignem restituere cogitabat. Itaque cæteris remotis venit ad Iouis ignem: quo diminuto & in ferulam coniecto lætus, vt volare, non currere videretur, ferulam iactans, ne spiritus intercluſus, vaporis extingueret in angustia lumen. Itaque homines adhuc plerunque qui lætitiæ nuntij fiunt, celerrimè veniunt. Præterea in certatione ludorum curſoribus, inſtituerunt ex Promethei conſuetudine, vt currerent lampadem iactantes. Pro quo Iupiter facto mortalibus parem gratiam referens, mulierem tradidit his, quam à Vulcano factam Deorum voluntate omni munere donauit. Itaque Pandora eſt appellata. Prometheum autem in mõte Scythię, nomine Caucaſo, ferrea cathena vinxit: quem alligatum ad triginta millia annorum Æſchilus Tragœdiarum ſctiptor ait. Præterea admiſit ei aquilam, quæ aſsiduè noctu renaſcentia iocinora exeſſet. Vide Lucia. in Prometh. ſiue Caucaſo. Et in Deorum dialog. ſub perſonis Iouis & Promethei. Et in opuſculo de ſacrificiis, & in Amoribus. Quæ omnia ideo facta eſſe aſſerit Ariſtides lib 2. contra Platonem: quia Prometheus Rhetoricem communicauit mortalibus. Qua de re vide plura apud Eraſmũ in Adagio, communis Mercurius. Plutarchus in libello de fortuna: Prometheus (inquit) furtim è cælo nobis afferens ignẽ, id eſt, rationem: omnia iſta ſuppeditat. Et paulò inferiùs, Fabella de Promethei igne alio atque alio viritim omnibus diuiſo, ſub inuolucro indicat partes prudentię

Vide adagium, lãpada tradere.

Pandora.

Ariſtides lib. 2. contra Plato.

dentiæ,in orbem particulis exiguis esse dispersas,deinde se recepisse in ordinem.Seruius Grãmat. in Sileno Verg. aliam allegoriam huius fabulæ affert, & quæ magis fortasse quadret nostro huic emblemati. Prometheum Assyriis Astrologiam indicasse,quam in monte Caucaso diutina obseruatione deprehenderat. Aquilam esse sollicitudinem , quæ illius cor vexaret & corroderet.Per Mercurium debere intelligi prudentiam , deprehendisse rationem fulminum Prometheum,hominibúsque indicasse.Denique ne longior sim, vide ipsum Seruiũ in illo versu,

Vide Budæum de ræt. studij.

Caucaseáſq; refert uolucres,furtúmq; Promethei.

Plinius lib.7.cap. 56. ait Prometheum asseruare ignem in ferula, primum docuisse.

Caucasta æternùm. Sic Politianus in Nutritia,

Nondum Caucasta pendens in rupe Prometheus.

& Martialis,

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,
Assiduam nimio pectore pauit auem.

Æternùm aduerbium est:pro,perpetuò,Sed dignum videtur inquisitione,quamobrem dixerit, æternùm:quandoquidem postea solutus est Prometheus, vt ex Luciano & Higino constat locis citatis?Duplicem assigno responsionem. Aut,æternum,capitur pro lõgissimo temporis spatio, siquidem vt diximus , ad triginta millia annorum iacuit religatus, aut nunquam re vera fuit solutus. Nanque ne Iouis iusiurandum irritum caderet,ex duabus rebus,hoc est ferro & lapide quibus Prometheus fuerat alligatus , digitum

illius Iupiter vinciri iussit. Qua consuetudine homines vsi, quo satisfacere Prometheo viderentur, anulos lapide & ferro conclusos habere cœperunt. Qua de re meminit Plinius in Proœmio lib. 36. his verbis, Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum hæc admiratio exarserit, diximus quadantenus in mentione auri anulorúmque. Fabulæ primordium à rupe Caucasea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali: primúmque saxi fragmentum inclusum ferro ac digito circundatum hoc fuisse anulum, & hoc gemmam.

Vnde primus anulorum vsus.

Plinius de anulorum & gem. ori.

Diripitur sacri præpetis. Diripitur iecur, Gręca loquutio frequentissima poetis, in qua deest Græcis κῦ, id est, secundum, vt nuda pedem, fractus membra Ouidius,

— partes quascunq; sedendo
Flectitur.

Diripitur &c. Periphrasis est aquilæ, quæ, vt alibi diximus Ioui sacra est. Hanc autem aquilam (inquit Higinus) nonnulli ex Typhone, & Echidna natam: alij ex terra & Tartaro, complures Vulcani factam manibus demonstrant: animámque ei ab Ioue traditam dicunt.

Et nollet fecisse hominem. Prometheus enim hominẽ fecit, vt ait Ouidius primo lib. Metam.

Natus homo est siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductáq; nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina cæli.
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Ab igne

Ab igne. Solis intellige vt plerique fabulantur, quanuis supra dixerimus ignem illum fuisse Iouis.

Roduntur uariis. Ex his duobus versiculis eruēdus fuerat titulus. Siquidem totius emblematis hic est cardo. Inscribe igitur pro titulo, si placet, *Qui addit scientiam, addit dolorem*, vt legimus in sacris literis. Hæc duo carmina videntur alludere ad illud Pythagoricum dogma, Cor ne edito. hoc est, animam doloribus, angoribúsque non excruciandam, vt explanat Diogenes Laërtius in vita Pythag. Cui cōsonat Alexan. Aphro. in Problema. sententia. Similiter (inquit) Prometheus cùm sapiēs esset, sidereæque aquilæ causam perueſtigaret, naturámque eius ac situm: cúmque discendi cupiditate veluti exederetur, tum demum quieuit, cùm ei Hercules dubitationem omnem sua sapientia soluit. *Titulus reponitur.*

Roduntur uariis prudentum. Bene dixit, prudentum: nam reliquos non similis macerat cura: & prudentes refert Prometheus. Nam προμήθεια, prudentiam, prouidentiámve significat, & προμηθέυομαι prospicio, prouideo. Vnde Adag. προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα, id est, Prometheus post res confectas. de homine qui semper serò sapit: qualis fuit Epimetheus huius frater. Addamus nunc corollarij vice, quæstus Promethei apud Æschilum, vt Cicero vertit 2. Tuscullan. Quæstio. *Promethe. refert prudentes.*

Titanum soboles, socia nostri sanguinis
Generata cælo, aspicite religatum asperis

Æschili versus de Prometh. quæst.

Vinctúmq; saxis: nauem ut horrisono freto
Noctem pauentes timidi adnectunt nautæ.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iouisq; numen Mulcibri asciuit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inferens
Perrupit artus: qua miser solertia
Transuerberatus castrum hoc furiarum incolo.
Iam tertio me quoq; funesto die
Tristia uolatu aduncis lacerans unguibus,
Iouis Satelles pastu dilaniat fero.
Tum iecore opimo farta & satiata affatim
Clangorem fundit uastum, & sublime aduolans,
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Cùm uerò ad esum inflatu renouatum est iecur,
Tum rursus tetros auida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem mœsti cruciatus alo,
Qui me perenni uiuum fœdat miseria.
Namq; ut uidetis uinclis constrictus Iouis,
Arcere nequeo diram uolucrem à pectore.
Sic me ipse uiduus pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum inquirens mali:
Sed longè à letho numine aspellor Iouis.
Atq; hæc uetusta seclis glomerata horridis,
Luctifica clades nostro infixa est corpori:
Ex quo liquatæ solis ardore excidunt
Guttæ, quæ saxa assiduè instillant Caucasi.

Vide etiam Phornutum in lib. de Natu. Deor. cap. de Prometh. Extant & Græca epigrammata Iuliani in lib. 4. epigram. Græco. tit. εἰς εἰκόνας ἡρώων.

In astrologos.

EMBLEMA CIII.

Icare per superos qui raptus & aëra, donec
In mare præcipitem cæra liquata daret:
Nunc te cæra eadem, feruénsq; exuscitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caueat quicquam prædicere, præceps
Nam cadet impostor, dum super astra uolat.

IMitatus est Alciatus Epigramma Iuliani ex lib. 4. Epigramma. quod tale est, *Iulianus.*

εἰς Ἴκαρον χαλκοῦν ἐν λουτρῷ
ἱστάμενον.

Ικαρε, κηρὸς μὲν σε διώλεσε, νῦν δέ σε κηρῷ
Ἤγαγεν εἰς μορφὴν ἄνθις ὁ χαλκοτύπος.

Ἀλλ' ἄ

Ἀλλ' ἄγε μὴ πατρὰ πάλλε κατ' ἴχνια, μὴ τὸ λοετρὸν
Ἡρόθεν πίπτων Ἰκάριον τελέσῃς.

κηρὸς Nos ad verbum ferè transtulimus, quanuis verba illa κηρὸς & κηρῷ, nobis item vt Alciato negotium præbuerunt. Nam in primo loco κηρὸς ceram significat: in secundo videtur accipi pro igne. Quod verbum Alciatus volens exprimere dixit,

Nunc te cera eadem feruénsque exsuscitat ignis.

q; pro, id est Vt intelligas (q;) pro (id est) positum. Quod in poëtis sæpe notarunt Commentatores, vt sit sensus, Nunc eadem cera, hoc est, ignis artificis te iterum suscitat. Nam Icarus hic, de quo loquitur poëta, æneа erat imago Icari. Nostram igitur versionem accipe.

In Icarum æneum extantem in lauacro.

Icare cera quidem te perdidit, ipsa sed igne
Artificis rediit pristina forma tibi.
Nunc age ne moueas pennas, ne fortè lauacrum,
Aethere ab usq; cadens, Icarium facias.

Icarus Dædali filius. Icarus Dædali filius fuit, quos Minos Cretæ rex in labyrintho inclusit. Sed Dædalus corruptis custodibus sub faciendi muneris specie, quo simulabat posse regem placari, cera & pennis alas sibi & filio fabricauit, & aufugit volando. Sed Icarus altiora petens, solutis ex calore solis pennis, mari, in quod cecidit, nomẽ imposuit. Hæc Seruius 6. Æneidos. Quæ ob id videntur ficta, quòd vela Icarus: malum, & antennas Dædalus inuenerit, teste Plinio lib. 7. cap. 57. Palephatus autem

autem ait in ſcapha fugiſſe Dædalum, periiſſéque Icarum in mari, cui nomen dederit. Hanc fabulam pulchrè canit Ouid.lib.8.Metam. non longè à prin. ſed pulchrius atque iiſdem penè verbis in 2.de arte amādi ſtatim in princi.Diod. Sicul.rer.antiq.lib.4.cap.13.

Aſtrologus caueat. Hoc epigrāmate non damnat autor aſtrologiam,vt quidam putant ignari: ſed meritò damnat præcipites aſtrologos, qui cùm nihil ſciant,omnia tamen ſe ſcire atteſtantur,præſtigiíſque omnia complent, quales multos paſsim inuenias.Vide in 2.lib Epigra.Græc. tit.In aſtrologos.

Qui alta contemplantur, cadere.

EMBLEMA CIIII.

Dum

Dum turdos uisco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit harundo gruem,
Dipsada non prudens auceps pede perculit: ultrix
Illa mali, emissum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui sydera respicit arcu,
Securus fati, quod iacet ante pedes.

EX lib. 3. Epigram. Græc. est autem Antipatri Sidonij. Ille autem sumpsit argumẽtum ex fabulis Æsopi. Epigramma est huiusmodi,

Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ ψῆρα, καὶ ἁρπάκτειραν ἐρύκων
Σπέρματος ὑψιπετῆ βιςονίαν γέρανον,
Ῥινοῦ χερμαςῆρος ἐΰςροφα κῶλα τιτάινον
Αλκιμένης πτανῶν εἴργον ἀπώθεν νέφος.
Καίμε τίς οὐτήτειρα παρὰ σφυρὰ διψὰς ἔχιδνα
Σαρκὶ τ' ἐκ γενύων πικρὸν ἐνεῖσα χόλον,
Ἠελίου χήρωσεν. ἴδ' ὡς τὰ κατ' αἰθέρα λεύσσων,
τοὐν ποσὶν οὐκ ἐδάην κῆμα κυλινδόμενον.

Fernandi Sanctij versio.

Sic meus frater Fernandus Sanctius vertit,

Qui prius & sturnum matura è messe fugabam
Pascentémq; auidè semina nostra gruem,
Excutiens torto saxum de uerbere fundæ
Arcebam innumeras Alcimenes uolucres.
Cùm me lethalis talos prope dipsas, amaram
Inspirans bilem faucibus interimit.
En ego qui summum speculatus sum aëra, cladem
Non animaduerti quæ fuit ante pedes.

Turdus.

Dum turdos. Turdus auis est nota optimi saporis. Vnde dixit Horatius in Episto.

Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.

& Martialis,

Inter aues turdus si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Hispanè

Hiſpanè dicitur *Zorzal*.

Dum fallit alaudas. Alauda & galerita, idem eſt: ſic dicta, quòd apicem habet ſupra caput ad ſimilitudinem galeæ. Et Cæſar legionem Alaudã vocauit. Vnde Cicero ad Atticum, Antonius cum Legione alaudarum ad vrbem pergeret. *Alauda.*

Dipſada non prudens. Δίψας genus ſerpentis, viperæ ſimile, à δίψω, quod eſt ſitio, qui exhaurit omnem humorẽ, & ſiccitatem inducit ad mortem vſque. Plinius lib. 2. c. 8. & lib. 22. cap 5. Δίψας.

Auceps. Eſt qui aues aucupatur, ab auis & capio. Erat aũt hic, vt dictum eſt, Alcimenes. Tali ſimilitudine vſus eſt Horatius in arte poetica, *Auceps.*

Si ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueámue.

Huc etiam pertinet locus de Thalete, qui ab anicula fuit irriſus, quòd in foueam inciderit, dũ aſtris nimis eſſet intentus. *Thales.*

Poten

Potentiſsimus affectus amor.

EMBLEMA CV.

Aſpice ut inuictus uires auriga leonis,
Expreſſus gemma puſio uincat amor:
Vtq; manu hac ſcuticam tenet, hac ut flectit habenas,
Vtq; eſt in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul eſto: feram qui uincere talem
Eſt potis, à nobis temperet ánne manus?

Argentarij epigra.

EX lib. 1. Epigramma. Græco. tit. εἰς ἔρωτα. Eſt autem epigramma Argentarij ſic,

Αὐγάζω τ' ἄφυκτον ὑπὶ σφραγῖδος ἔρωτα
χερσὶ λεοντείαν ἀνιοχεύοντα βίαν.
Ὃς τὰ μὲν μάστιγα κατ' ἀυχένος, ἅ δὲ χαλινὸς
Εὐθύνει, πολλὰ δ' ἀμφιτέθιλε χάρις.

φρίσσω

φρίσσω τὴν βροτολοιγὸν, ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάσδων
Ἄγριον οὐδ' ὀλίγων φείσεται ἁμερίων.

Nos vt intelligi tantùm possit, sic festinanter vertimus,

Conspicor inuictum pulchra in testudine Amorem
Frænantem manibus terga superba leæ.
Hácq; manu scuticam per colla hæc grandia fræna
Dirigit, & pueri splendet in ore lepos.
Horreo carnificem: nam qui fera colla leonum
Sic domat, à nobis temperet ipse manus.

Expressus gemma. Gestabatur enim in anulo, vt moris est, in gemmis anulorum similia emblemata gestari. σφραγὶς autem baltheum, sigillum, & testudinem significat.

Vtq; manu ~~[illegible]~~ Ita legendum est, vt scripsit Alciatus. Nam qui vitare voluerunt vitium carminis, in alia stulti cucurrerunt, vt ait Horatius. Sed non esse vitium carminis, si T litera producatur in cæsura, multis testimoniis possem defendere, è quibus pauca accipe. Martianus communem affirmat esse literam T. finalem. Quod ego non in vniuersum præcipi velim, sed tantùm, vt dixi, in cæsura. Virg. 10. Æneidos,

T. litera communis in carmine.

Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis.

Idem lib. 10.

Per medium qua spina dedit, hastámq; receptat.

Iuuenalis,

Magnus ciuis obit & formidatus Othoni.

Ouid. 3. Metam.

Nubibus esse solet, aut purpureæ auroræ.

Horat. 1. Ser.

Qui non defendit alio culpante solutos.

X

Idem eodem,

Quum grauius dorso subiit onus, incipit ille.

Potentiã amoris sic depingit Virgilius in Ciri,

Seu malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atq; auus idem
Iuppiter: ille etiam Pœnos domitare leones
Et ualidas docuit uires mansuescere tigris.

Potentia amoris.

EMBLEMA CVI.

Nudus amor uiden' ut ridet placidúmq; tuetur?
Nec faculis, nec quæ cornua flectat, habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem:
Scilicet ut terræ ura det, atq; mari.

Palladas. EX lib. 4. Epigr. Græ. εἰς ἔρωτα γυμνὸν, id est, in amorem nudum. Est epigramma Palladæ.

γυμνὸς

Γυμνὸς ἔρως διὰ θῶτο γελᾷ, κὴ μείλιχός ἐστιν,
ἀ γὰ ἔχει τόξον κὴ πυρόεντα βέλη.
ἄνθος δὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα κὴ ἄνθος,
τῇ μὲν γὰ γαῖαν, τῇ δ' ὁ θάλατταν ἔχει.

Nos sic vertimus, vt verba græca faciliùs percipiantur,

Nudus amor ridet blandè: quæ causa requiris,
Non arcus retinet, sæuáue tela manu.
Nec frustra palmis florem delphináq; gestat:
Continet hæc terram, continet illa mare.

In hanc sententiam dixit Virgil.

— Omnia uincit amor.

Vis amoris.

EMBLEMA CVII.

Male depingitur Amor effracto arcu.

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat uti est fortior ignis amor.

EX disticho Græco (puto Argentarij) quod est in li. 4. Epigrāmaton Græco. hoc modo,

Ὁ πτανὸς τ̀ πτανὸν ἰδὼν ἀγγυσι κεραυνὸν,
Λεπνὸς ὡς κρεῖττον πῦρ πυρός ἐς ἐρως.

Non eget mea versione: quandoquidem ad verbum penè reddita sunt ab Alciato verba. Hanc sententiam sic expresit Venus apud summum poëtam,

Virgilium intellige.

Nate patris summi, qui tela Typhoëa temmis.

Quòd autem fulmen habeat alas, sic cōprobat idem alibi,

Ocyor & uentis & fulminis ocyor alis.

Satyrus hist.

Satyrus historicus inter ea, quæ de Alcibiade commemorat, Clypeo (inquit) vtebatur, auro atque ebore confecto: in quo erat insignis Cupido, κεραυνὸν ἠγκυλημένος, id est, fulmen incuruans seu flectens.

In

In ſtudioſum captum amore.

EMBLEMA CVIII.

In senem amatem. inf. Emb CLIIII.

Immerſus ſtudiis, dicundo & iure peritus,
Et maximus libellio;
Heliodoram amat, quantum nec Thracius unquam
Princeps ſororis pellicem.
Pallada cur alio ſuperaſti iudice Cypri?
Num ſat ſub Ida eſt uincere?

VErſus quiſque primus Heroicus eſt: ſecundus quiſque eſt Iambicus Archilochius dimeter, quatuor Iambis conſtans, receptis tamen ſpondæis in locis imparibus.

Heliodoram amat. Heliodora nomen eſt puellę ſæpius repetitum in Græcis epigram. ſed nullam continet hiſtoriam, fabulámue. Significat donum Solis. *Heliodora.*

Thracius princeps. Tereũ intelligit, cuius longã fabulam scribit Ouid. Meta. 6. vt diximus alibi.

Sororis pellicem. Intellige Philomelam, quæ sic ait apud eundem,

Pellex ego facta sororis.

Pellex vnde dicta. Dicitur autem pellex à pellendo: quia concubina pellit è lecto propriam vxorem.

Cypri. Vocatiuus est Græcus. dicitur autem Cypris ἀπὸ τῦ κύειν, quod est párere, seu producere: quia Dea sit fœcunditatis.

Non sat sub Ida uincere. Alludit ad dearum iudicium sub monte Ida, iudicante Paride. Quæ fabula quia adeò est trita, vt etiam apud nos in libris Hispanè scriptis teratur, hîc non apponetur. Si tamen pleniſsimè & festiuo carmine scriptam illam cupis videre, consule Dareten Phrygium de Bello Troiano per totum secundum.

Dares Phrygius, bel. Tro. scriptor poeta.

Αντέρως

Ἀντέρως, id est, amor virtutis,
Παλογισικῶς.

EMBLEMA CIX.

Dic ubi sunt incurui arcus? ubi tela Cupido?
Mollia quæ iuuenum figere corda soles?
Fax ubi tristis? ubi pennæ? tres unde corollas
Fert manus? unde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi uulgari est (hospes) cum Cypride quicquã,
Vlla uoluptatis nos neq; forma tulit.
Sed puris hominum succendo mentibus ignes
Disciplinæ: animos astráq; ad alta traho.
Quatuor éque ipsa texo uirtute corollas,
Quarum quæ sophiæ est, tempora prima tegit.

EPigramma vnde hoc emblema sumptum fuit, est Mariani scholastici lib. 4. Epigram. Græc. sic:

Marianus scholasticus.

ἐις ἔρωτα ςεφανομένον. id est,

In amorem coronatum.

Πῦ σοι τόξον ἐκεῖνο παλίντονον, οἱ τ' ἀπὸ σεῖο
Πηγνύμενοι μεσάτην ἐς κραδίην δόνακες;
Πῦ πτερὰ, πῦ λαμπὰς πολυώδυνος; ἐς τί δὲ τρισσὰ
Στεμματα χερσὶν ἔχεις κρατὶ δ' ἐπ' ἄλλο φέροις;
Οὐκ ἀπὸ πανδήμου ξένε Κύπριδος, οὐκ ἀπὸ γαίης
Εἰμὶ, καὶ ὑλαίης ἔκγονος εὐφροσύνης.
Ἀλλ' ἐγὼ ἐς καθαρὴν μερόπων φρένα πυρσὸν ἀνάπτω
Εὐμαθίης, ψυχὴν δ' οὐρανὸν εἰσαγάγω.
Ἐ δ' ἀρετῆ ςεφάνους πισύρων πλέκω. ὧν ἀφ' ἑκάςης
Τοὺς δε φέρον, πρωτῳ τῷ σοφίης ςέφομαι.

Nullam adhibui versionem. Quid enim posset ad Alciati versionem addi?

Plato duas Veneres ponit. *Vbi tela Cupido.* Plato in Symposio duas Veneres duósq; esse Cupidines scribit: diuinum & cælestem alterum: alterum vulgarem & plebeium. Hos duos Cupidines videtur innuere Ouid. 4. Fasto. cùm inquit,

Alma faue, dixi, geminorum mater amorum.

Et, si nõ me fallit, aliter explanari ab interprete.

ἔρως. Cupido græcè dicitur ἔρως. Huic contrarius, quíque amorem dissoluit, Anteros. De quo sensisse Virgilium autumat Seruius 4. Æneidos in his Carminibus,

Testatur moritura deos, & conscia fati
Sidera: tum si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, iustúmq; memórq; precatur.

Anteros. Anteros, vt inquit Cicero 3. de natura Deor. ex Venere natus est, atque Marte. Tertia (inquit,

quit) Venus, Iouis nata & Dione, quæ nupsit Vulcano. sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur.

Tres unde corollas fert manus? Quatuor sunt virtutes Cardinales, de quibus latę Cicero in officiis, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Quarum tres vltimæ in operatione consistunt: frustra enim (vt sępe repetit Aristot.) quid sit virtus, quæ eius partes didiceris, nisi eas fueris operatus. Prudentia sine sapientia (nam hîc pro eodem sumũtur, quanuis alibi differant) omnis in meditatione consistit, intellectionéque vtitur. Hæc igitur est causa, quare amor virtutis sapientiæ corollam in capite habeat, reliquas in manibus, quæ in exercitatione consistunt.

Virtutes morales.

Tres unde corollas? Quid significet corona, notum est: inde corolla, parua corona, de quibus vide Plinium lib. 21. cap. 2. Inde corollarium (vt inquit M. Varro de lingua latina lib. 4.) quod est additum, seu additio, præter id quod debetur, Hispanè añadidura. Hoc in ludis, cũ placuissent actores, solebat dari præter promissas coronas. Suetonius in Augusto, Corollaria & præmia in alienis quoque muneribus ac ludis, & crebra & grandia de suo offerebat. Choronam tamen veteres scribebant cu aspiratione. Na antiquis Græcis χορωνὸς dic tur στέφανος παρὰ τῆς χόρ

Corona.

Corollariũ quid.

Quatuor &c. Virtus in genere sub se continet virtutes morales, & intellectiuas. duodecim enumerat Arist. practicas: & quinque quæ ad intellectum pertinét, è quibus omnibus quatuor desumpsit sibi Anteros: tres ex practicis, iustitiã, fortitudinem, temperantiam: vnam ex intellectiuis sapientiam.

ἀντέρως, Amor virtutis, alium Cupidinem ſuperans.

EMBLEMA CX.

Aligerum, aligeróque inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemeſis.
Vt quæ aliis fecit patiatur. at hic puer olim
Intrepidus geſtans tela, miſer lachrymat.
Ter ſpuit: inque ſinus imos (res mira) crematur
Igne ignis. furias odit amoris amor.

SVmptum eſt ad verbum ex li. 4. Epigramm. Græco. incerto autore. hæc ſunt carmina,

Πτανῷ πτανὸν ἔρωτα τ' ἀντίον ἔπλατο ἔρωτι
Α. Νέμεσις, τόξῳ τόξον ἀμυνομένα.
Ὅς κε πάθῃ, τάκ' ἔρεξεν. ὁ δὲ θρασὺς ὁ πρὶν ἀταρβὴς

Δακρ

Δακρύει, πικρὸν γευσάμενος βελέων.
Εἰς βαθὺν τρὶς κόλπον ἀπέπτυσεν ἆ, μέγα θαῦμα,
Φλέξει τὶς πυρὶ πῦρ, ἥψατ' ἔρωτος ἔρως.

Nemesis est indignationis Dea, de qua satis alibi diximus. Hîc capitur pro ipsa indignatione, atque adeò pro artifice, qui ægrè ferebat amorem omnia sub ditione tenere, atque omnia vastare. Talis igitur artifex pinxit amorem virtutis qui Cupidinem vinctum teneret & superaret. Potentior siquidē est Cupidine virtutis amor. *Nemesis.*

Ter spuit sinũ; sinus inos. Sic legendũ est, & dispungendum, non vt antea, ter spuit. Alludit autem poëta Græcus ad morem puerorum, qui plorantes totum pectus conspurcant saliuis & crassiore sputo. Ter spuit id est, sæpius conspergit pectus saliua. Nã, ter, superlatiui vim obtinet. Vide Cælium Calcag. in libello ἀντέρως. *Ter spuit.* *Cælius Calcag.*

Au si magis placant, quæ adfert Dul Erasmus in Adag. In tuum ipsius sinum impue, sic vtare.

Dulcia quandoque amara fieri.

EMBLEMA CXI.

Matre procul licta, paulùm secesserat infans
Lydius: hunc diræ sed rapuistis apes.
Venerat hic ad uos placidas ratus esse uolucres,
Cùm nec ita immitis uipera sæua foret.
Quæ datis ah, dulci stimulos pro munere mellis!
Proh dolor. Heu sine te gratia nulla datur.

DVo sunt epigrammata Græca: vnde hoc sumptum est emblema. Antipatri alterũ, alterum Bianori, tit. εἰς θάνατον lib. 1. Sed quia noster Alciatus magis ad Bianori epigramma visus est accedere, illud apponam:

Bianori epigram.

Κοῦρον ἀποπλανὶην ἐπιμάζιον ἑρμώνακτα,
Φεῦ βρέφος ὡς ἀδίκως εἵλετε βουγενέες.
Ηγνόιησεν ὁ δείλαιος ἐς ὑμέας οἷα μελίσσας

Ελθών.

Ελθών. αἵδ' ἔχεων ἦτε χερειότεραι.
Ἀντὶ δὲ οἱ θοίνης ἐσεμάξατε φοίνια κέντρα.
Ὦ πικραὶ, γλυκερῆς ἀντίπαλοι χάριτος.

Matre procul licta. Non probo tale participiũ: auribus enim latinis est inauditum, quanuis in vsu sit derelictus, a, um.

Infans Lydius. Lydia regio est minoris Asię, omni mollitie deprauatæ. Herodot. lib. 1. Pli. lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 29. & Athenæum Dipnoso. lib. 12. ca. 4. Sed hoc nihil ad emblem. Nam neq; tangit historiam, neque fabulam. Puerum vocat Bianorus Hermonacta in Epigrammate.

Pro dolor, heu sine te. Alludit ad prouer. Neque mel, neque apes. Quod vide apud Erasmum Chiliad. 1. Centur. 6.

Ferè simile ex Theocrito.

EMBLEMA CXII.

Alueolis dum mella legit, percußit Amorem
Furacem mala apes, & summis spicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius ungue.
Et quatit errabundus humum: Veneriq; dolorem
Indicat, & grauiter queritur, quòd apicula paruum
Ipsa inferre animal tam noxia uulnera possit.
Cui ridens Venus, Hanc imitaris tu quoque, dixit
Nate feram: cui das tot noxia uulnera paruus.

VIgesimum secundum εἰδύλλιον est Theocriti, cuius titulus est, Cupido mellilegus: nec habet plura, quàm hæc octo Carmina,

Τὸν κλέπταν ποτ' ἐρωτα κακὰ πέτασε μέλισσα,
Κηρίον ἐκ σίμβλων συλέυμενον. ἄκρα δὲ χειρῶν
Δάκτυλα πὰν δ' ὑπένυζεν. ὅδε ἀλγεε, καὶ χέρ ἐφύσα,
καὶ τὰν γᾶν ἐπάταξε, καὶ ἀλατο. τὰδ' ἀφροδίτα
Δεῖξεν τὰν ὀδύναν, καὶ μέμφετο ὄφιγε τυπτὸν
Θηρίον ἐν τι μ λισσα, καὶ ἀλίκα τραύματα ποιεῖ.
Χ' ἁ μάτηρ γελάσασα, τίδ' ἐκ ἴσον ἐσσὶ μελίσσαις,
Χὠ τυπτὸς μικρὸς, τὰ δ' τραύματα ἀλίκα ποιεῖς.

Apicula. Apicula diminutiuum ab ape. Sed reclamat secunda syllaba, quominus intret carmen Heroicum. Nam quantum sentio, illud i, breue est, quanuis non occurrit aliquod poëtarum testimonium. Dignum verò scitu est, quod scribit Plutarchus de causis naturalibus. Apes enim ait, citius illos pungere, qui dudum stuprum fecerunt: Causam verò esse, quòd apes munditiæ & elegantiæ sint studiosissimæ, olfactu plurimũ valeant. Hinc apes aduersus immundiores odiũ concipere vehementius.

Notãda de apibus.

Est inter Anacreontis odas lepidissima de Cupidine ab ape percusso. In

In ſtatuam Amoris.

EMBLEMA CXIII.

Vide Zegen chil. hiſt. xi.

Quis ſit amor, plures olim cecinere Poëtæ,
Eius qui uario nomine geſta ferunt.
Conuenit hoc, quòd ueſte caret, quòd corpore paruus,
Tela, aláſq; ferens, lumina nulla tenet.
Hæc ora, hic habitúſq; Dei eſt. Sed dicere tantos
Si licet in uates, falſa ſubeſſe reor.
Eccur nudus agat? diuo quaſi pallia deſint,
Qui cunctas domiti poſſidet orbis opes.
Aut quî quæſo niues Boreámq; euadere nudus,
Alpinum potuit, ſtrictáq; prata gelu?
Si puer eſt, puerúmne uocas qui Neſtora uincit?
An noſti Aſcræi carmina docta ſenis?
Inconſtans puer hic obdurans pectora, quæ iam

/ Trans

Trans adiit, nunquam linquere ſponte poteſt.
At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dura ualet?
Alas cúrue tenet, quas neſcit in æthera ferre?
Inſcius in uolucrum flectere tela iecur.
Serpit humi, ſempérq; uirûm mortalia corda
Lædit: & haud alas ſaxeus inde mouet.
Si cæcus uitámq; gerit, quid tænia cæco
Vtilis eſt? ideo num minus ille uidet?
Quiſue ſagittiferum credat, qui lumine captus?
Hic certa, aſt cæci ſpicula uana mouet.
Igneus eſt, aiunt, uersátq; in pectore flammas,
Cur age uiuit adhuc? omnia flamma uorat.
Quinetiam tumidis cur non extinguitur undis,
Naiadum quoties mollia corda ſubit?
At tu ne tantis capiare erroribus audi,
Verus quid ſit Amor carmina noſtra ferent.
Iucundus labor eſt, laſciua per ocia. ſignum
Illius eſt, nigro punica glans clypeo.

HOc emblema non parum negotij ſolet faceſſere aliquibus, præſertim in extremo diſticho: quod quàm prauè ſimul & nequiter interpretentur, non poſſem ſine pudore ſcribere. Nos igitur paulatim ſingula percurramus. Ac primò totum Epigramma eò tendit, vt probet Amorem, non eſſe Deum, nec aliud, cuius expri mi forma queat. Idque argumentis confirmat ridiculis, & nihil probantibus. Nam Antiquitas non credidit eſſe Deum Amorem: optimis tamen rationibus & argumentis id omne quod finxit, comprobauit, & ex eius effectibus pulcherrimè illum pinxit.

Quid

Quid sit Amor. Multi cùm Græci, tum Latini poëtæ cecinerunt, quid sit Amor, quos esset superuacaneum hûc adducere. Vnus tamen Propertius sit instar omnium, qui sic lib. 2. describit Amorem,

Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas, miras hunc habuisse manus?
Hic primùm uidit sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra uentosas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda:
Nostráq; non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroq; iacet.
Antè ferit: quoniam tuti quàm cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere satus abit.
Heu curuum genus, & ueri corda inscia: quò ius
Fásq;? scelus miseri, si scelere abluimus.

Amor cur puer.

Cur habeat sagittas.

Phornutus in lib. de Natu. Deorum sic loquitur de Cupidine, Puer esse fingitur, quòd planè mente careant, deceptioníque obnoxij sint, qui amant. Alatus est, quoniam plerunque cædis est autor: vel quòd tanquam auis in hominum mentes inuolet impetuosè. Sagittas tenere fingitur: quia qui eius sagittis vulnerantur, non secus ac re vera percussi dolent: neque appropinquare, aut attingere quos amant, audent: verùm longè eos intuentur, stupentes. Fax ei traditur: quia videtur inflammare animos. ἔρωτα id est, cupidinem dici existimãt ab inquisitione eorũ, quos amantes inquirunt. ἐρᾶν enim inqui-

Phornutus de Cupid.

Amoris pictura.

Ἔρως vnde.

rere significat. Hæc & alia Phornutus. Vnde licet intueri bene expressisse veteres amorem, non quòd eum ita crederent aut esse aut viuere sed vt commodius eius effectus nobis ostẽdere possent. Alciatus autem iocosis argumentis confutat ea quæ ab antiquis dicta sunt, non quò veterem picturam improbaret: sed vt commodius quid sit amor, ipse posset declarare. Quod neque sine authore fecit. Siquidem Seneca in Hippol. sic ait,

Seneca In Hippol. de amore car.

Deum esse amorem turpiter uitio faueus
Finxit libido: quoq; liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit,
Natum per omnes, scilicet, terras uagum
Erycina mittit: ille per cælum uolans
Proterua tenera tela molitur manu.
Regnumq; tantum minimus in superos habet,
Vana ista demens animus asciuit sibi,
Veneriscq; numen finxit, atq; arcus Dei
Quisquis secundis rebus exultat nimis
Fluitq; luxu semper insolita appetens:
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libibo &c.

Idem in Octaua,

Volucrem esse amorem fingit immitem Deum
Mortalis error: armat & telis manus,
Arcúsq; sacros instruit sæua face:
Genitumq; credit Venere Vulcana fatum.
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor est, iuuenta gignitur, luxu, ocio.
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere atq; alere desistas, cadit:

Breuiq;

Breuiq; uires perdit extinctus suas.

De amore, déque eius causis, & pictura latè & pulchrè Alex. Aphro. problem. 85.

Puerum ne uocas. De antiquitate amoris ita Hesiodus in Theogonia,

Principio confusa chaos, sine imagine moles
Extitit: hinc uacuis tellus apparuit aruis. *Antiquitas Amoris.*
Nam prius ipsorum pauimentum facta Deorum est,
Quondam qui cælo sedes habuêre supremo.
Tartara dehinc una sunt uisa dehiscere terra.
Et mox pulcher amor surgit, mediúsq; Deorum
Cernitur: hic illos forma supereminet omnes:
Membra Deus latè soluit Diuûmq; uirûmq;
Consilium, atq; ipsam comitat sub pectore mentem.

Vide Adagium, Tapeto antiquior.

Ascræi ut docuit. Hesiodus ex Ascra Bœotię vicu prope Heliconem oriundus fuit, terra misera & pessima, vt ipse ait in Georg. *Hesiodi patria.*

Ἀσκρὴ χείμῳ κακὴ θέρεϊ ἀργαλέη οὐδέποτ' ἐσθλή.

Hesiodi vitam & mortem elegantissimo carmine perstringit Politianus in Nutricia ex illo ipsius versu: At tibi Dædaleos.

Pectora quæ iam &c. Sic Propertius,

In me tela manent, manet & puerilis imago:
Sed certè pennas perdidit ille suas.
Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduúsq; meo sanguine bella gerit.

Iucundus labor. Amoris (inquit) finitio est, vt sit labor iucundus in ocio lasciuo. Id est, Amantium vita omnis versatur in labore: qui tamen labor voluntate suscipitur, conseruatúrque atq; augescit luxu & ocio, vt adduximus ex Seneca. *Finitio Amoris.*

Signum illius est. Hoc est, emblema & pictura talis laboris cum iucunditate misti erit clypeus niger (qui color laboris est indicium) & in medio clypei glans Punica, cuius succus ex dulci & amaritudine constat. Quod alibi expressit Alciatus clariùs loquens de malo medica,

Color niger laboris indicium.

Aurea sunt Veneris poma hæc: iucundus amaror.
Indicat: est Græcis sic γλυκύπικρος Amor.

Plautus de amore.

Plautus in Cistellaria, Nanque ecastor, amor & melle & felle est fœcūdissimus. Gustu dat dulce: amarum ad satietatem vsque aggerit.

In obliuionem patriæ.

EMBLEMA CXIIII.

Iam

Iam dudum missa patria, oblitúsq; tuorum,
Quos tibi seu sanguis, siue parauit amor.
Romam habitas: nec cura domum subit ulla reuerti.
Aeternæ tantùm te capit Vrbis honos.
Sic Ithacûm præmissa manus dulcedine loti
Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.

IMitatio ex epigrammatis Græcis li. 4. tit. εἰς λῶτον. Cæterùm extat prouerbium in oblitos patriæ, quod ab Homero sumpsit initium. Sed præstat Erasmi verba recensere. Is igitur in prouerb. Lotum gustauit. de iis, inquit, dicebatur, qui diutiùs in peregrinis regionibus hærerent, veluti obliti reditus. Neq; inconcinnè dixeris in eos, qui simul atq; semel voluptatem inhonestam degustarint, ad pristina studia reuocari nequeunt. Sumptũ à fabula Lotophagorum. *Fabula lotophagorũ*
De quibus meminit Homerus Odyss. li. 9. narrans, quemadmodum Vlysis socij gustata apud Lotophagos populos herba loto, redire ad nauim noluerint, nisi verberibus adacti. Est autem Lotos quam eãdem Celtim dici docet Dioscorides lib. 1. arbor de qua Plinius lib. 13. tam dulcis ibi cibus, vt nomen etiam genti terræque dederit, himis hospitali, aduenarum obliuione patriæ. Est & herba eiusdem nominis gratissima & ipsa palato, de qua permulta Theophrastus lib. de plantis 4. cap. 9. *Lotos quæ apud Dioscoridem.* *Theophrastus de loto.*

Iamdudum missa patria. Iamdudum non rectè ad longum temporis spatium refertur, vt ex Terentio & aliis poteris elicere. Ego hîc (iam pridem) dixissem.

Aeternæ tantùm &c. Æternã vrbem vocat Al- *Aeternã vrbem quã appellet.*

ciatus Romam tum hîc, tum alibi. Idem voluit sentire Virgilius loquens de Romanis,

His ego nec metas rerum nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Ouidius 3. Fasto.

— Aeternæ cùm pater urbis ait.

Sic Ithacûm. Vlysses delegit, cùm ad Lotophagos appulit, tres è sociis, quos præmitteret ad exploranda loca illa. Ithacûm genitiuus est, pro Ithacensium.

Lotos Nympha.

Dulcedine loti. Lotos Nympha fuit, quæ Priapum fugiens in arborem sui nominis conuersa fuit: à cuius arbore cùm Dryope Eurityi filia flores aut bacchas decerperet, in loton quoque fuit trãsformata. Ouidius Meta. 9. Loti fructum

Herodotus de loto.

sic describit Herodotus in Melpomene, Fructus est instar fructus lentisci, suauitate assimilis fructui palmarum. Ex hoc fructu Lotophagi vinum conficiunt. Hæc ille. Sed notabis obiter Herodotum hîc, Strabone vltimo geographiæ, & alios geographos posuisse Lotophagos in minore Syrti: contra Pomponium Melam & Plinium lib. 13. cap. 17. qui in maiori ponunt. Aut subest in codicibus mendum.

Sirenes

Sirenes.

EMBLEMA CXV.

Vide Zazem chil hist. 14.
Vide Apollodorū

Absq; alis uolucres, & cruribus absq; puellas,
Rostro absq; & pisces, qui tamen ore canant:
Quis putet esse ullos? iungi hæc natura negauit,
Sirenes fieri sed potuisse docent.
Illicium est mulier, quæ in piscem desinit atrum,
Plurima quòd secum monstra libido uehit.
Aspectu, uerbis, animi candore, trahuntur,
Parthenope, Ligia, Leucostáq; uiri.
Has musæ explumant, has atque illudit Vlysses,
Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

EX Fulgentio lib. 2. Mytholog. De Vlysse & Sirenis. Tribus, inquit, modis illecebra amoris trahitur, cantu, aut visu, aut consuetudine. &c.

Sirenes quæ. Sirenes (inquit Seruius in fine quinti Æneid.) secundum fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filiæ. Harũ vna voce, altera tibiis, alia lyra canebat. Et primò iuxta Pelorum: pòst in Capreis insula habitauerunt: quæ illectos suos cantu in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam deducebant ad egestatem: his fictæ sunt inferre naufragia. Has Vlysses conténendo deduxit ad mortem. Hæc Seruius. Ouid. 5. Meta.

— *Vobis Acheloïdes unde*
Pluma pedésq; auium cùm uirginis ora geratis?
An quia cùm legeret flores Proserpina uernos,
In comitum numero mistæ Sirenes eratis?
Quam postquam toto frustra quæsistis in orbe,
Protinus in uestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilésq; Deos habuistis, & artus
Vidistis uestros subitis flauescere plumis.
Nec tamen ille canor mulcendus natus ad aures,
Tantaq; dos oris linguæ deperderet usum:
Virginei uultus & uox humana remansit.

Absq; alijs. Describit monstrum ad imitationem ferè illius Horatiani in arte poetica, atq; inquit: Quis putet esse vllos pisces qui sunt volucres absque alis, & sint puellæ absque cruribus, & insuper ore canant?

Sirenes vnde dictæ. *Sirenes fieri.* σειρήν, à verbo σείω, quod est à-cto, decipio, turbo. vel ἀπὸ τῆ σειρᾶς, id est à catena seu vinculo, eo quòd libidinis vinculum Sirenes fuerint. Non ducitur à verbo σύρω id est

tralo,

traho, vt aliqui putant, nec debet scribi per y, Syrenes, sed per i, Siren.

Quæ in piscem. Sic Horat. in arte poëtica,

Horatius de Siren.

— *Vt turpiter atrum*
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Aspectu uerbis. Ordo est, Viri trahuntur aspectu, id est, Parthenope. verbis, id est, Ligia. candore, id est, Leucosia. Nam id significat hæc nomina. Parthenope ἀπὸ τοῦ ἕλκειν ὅπα παρθενικόν. Ligia, à λιγεῶς acutè, dulciter. Leucosia, à λευκὸς, albus.

Parthenope. Hæc sunt nomina Sirenum, secundum ~~quos~~ Scholiastes Homeri natas ait Sirenas ex Acheloo, & Sterope vel Terpsicore. Eas autem sic nominat Aglaopheme, Thelchiepeia, Pisinoe, & Ligia. Commentator Apollonij sic vocat Thelxinoe, Molpe, & Aglaophonos.

Nomina Sirenum. quæsda

His musæ. Pausanias in Bœoticis dicit Sirenes cum Musis in certamen musicæ descendisse, victísque pœnas ablatas, ex quibus Musæ sibi coronas fecerint. Vnde Antonius Thylesius, qui de coronis libellum composuit. Sed vbi (inquit) tandem canendi suauitas & doctrina Musis adiudicata est, victrices Iouis filiæ Sirenum alas stirpitus deuellentes se nouo serti genere nunquam antea viso decorauerunt, ne solus Maia natus temporibus esset aligeris. Spectatur Romæ nouem Musarum signa marmorea affabrè & antiquo artificio facta: singulæ pennam habent capillo suffixã. Hæc ille. Lilius Gregorius, Pausanias & Stephanus Musas aliquando cum Sirenibus ab Iunone incitatis certamen ha-

Anton. Thylesius de Coronis.

Lilius Gregorius, Stephanus de Siren.

buisse tradunt. Quo victæ Sirenes pennas perdidêre. Atque idcirco à re locus Aptera in Creta vocitatus est: tum ex iis pennis Mulæ sibi coronas composuisse dicuntur. Id quod sub allegoria intelligi potest de malis & ineptis poëtis, qui bonis infesti sunt, & fuere semper. Sed demum à bonis & doctis vincuntur inepti.

Allegoria.

Historia Vlyssis.

Has aut illudit. Notum est, quemadmodum Vlysses sociorum aures cêra illeuerit, ne Sirenũ cantus audirent, seque nauis malo iusserit alligari, ne quanquam cuperet, ad Sirenas iret. Sirenum cantilenam, quæ est apud Homerum Odyss. 12. Cicero 5. de finib. sic conuertit:

Cicer. car. Sir.

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlysses,
Auribus ut nostros possis cognoscere cantus?
Nam nemo hæc unquam est transuectus cærula cursu,
Quin prius astiterit uocum dulcedine captus:
Post uariis auido saciatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli cladémq; tenemus,
Græcia quam Troiæ diuino numine uexit,
Omniáq; è latis rerum uestigia terris.

Leucosia (inquit Cantor. lib 3. cap. 7.) una Senex Sirenum in Neptunium promontorium á mari eiecta Leucosiæ insulæ nomen dedit. Alia vero est insula Leucasia á consobrina Æneæ sic dicta: vt autor est Halicar. Dionys. corrigendus igitur Plin. & Solinus.

Senex puellam amans.

EMBLEMA CXVI.

Dum Sophocles (quanuis affectu ætate) puellam
A quæstu Archippen ad fua uota trahit,
Allicit & pretio, tulit ægre insana iuuentus
Ob zelum, & tali carmine utrunq; notat:
Noctua ut in tumulis, super utq; cadauera bubo,
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

HAnc historiã refert Athenæus lib. 14. Dipnosoph. his verbis de Sophocle agens, Cùm iam ad occasum vitæ tenderet (vt inquit Hegesander) Archippen adamauit meretricem, quam etiam reliquit hæredẽ. Cuius prior amator Smicrines interrogatus, quid ageret Archippe, venustè respondit, ὥσπερ αἱ γλαῦκες ὅπι

τάφων

τάφων κάθηται. Id est, tanquam noctuæ in tumulis sedet. Idem refert Lilius Gregorius in historia poëtarum: & Stephanus Niger de nimio vitæ luxu.

Sophocles. Sophocles Athenienſis poëta tragicus fuit, de quo Cicero in Cato. Maio. Obiit ex inſperato gaudio, vt refert Val. Maxim. ob victoriam ex Tragœdia quadam. Bubo adoleſcens fuit apud inferos, vt fabulantur poëtæ, antè dicebatur Aſcalaphus, cuius formam deſcribit Ouid. 5. Meta.

Bubo adoleſcens.

In colores.

EMBLEMA CXVII.

Index mœſtitiæ eſt pullus color: utimur omnes
Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias.

At

At synceri animi, & mentis stola candida puræ,
Hinc syndon sacris linea grata uiris.
Nos sperare docet uiridis. Spes dicitur esse
In uiridi, quoties irrita retro cadit.
Est cupidis flauus color, est & amantibus aptus:
Et scortis, & queis spes sua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat anuctus,
Indicet & pueros erubuisse pudor.
Cæruleus nautas, & qui cœlestia uates
Attoniti nimia religione petunt,
Vilia sunt giluis natiuáq; uellera birris:
Qualia lignipedes stragula habere solent.
Quem curæ ingentes cruciant, uel zelus amoris,
Creditur hic fulua non malè ueste tegi.
Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet,
Fortunæ æquanimis tædia quiq; ferat.
Vt uaria est natura coloribus in gignendis,
Sic aliis aliud: sed sua cuiq; placent.

SCripsit de coloribus Bayphius, scripsit & Thylesius, & Gellius lib. 2. cap. 26. & alij. Sed his omissis, qui latiùs rem tractant, Alciatum nostrum accersamus interpretem, cuius verba carptim ex 2. Parerg ca. 1. hûc ordine referemus. Anton. Simon Portius in Arist. de Colo bus.

Index mœstitiæ. Niger color (inquit) in Æthiopibus cernitur, cùm candore temperatur: fuscus est: cùm aliquid illi ruboris miscetur, pullus dicitur. Plautus Moreum vocat, nos Moreum obscurum. *Color niger.*

At Synceri animi. Albus in pallorem desinit: candidus purior est, & niuibus similis: sunt qui quàm maximè candenti igni æqualem ferunt: Græci φλογόλευκον videntur dixisse album colorem *Albus.*

lorem,cui nescio quid flammei admixtum sit. Alciatus.

Cicero quid de albo col.

Hinc Sindon. Cicero 2.de Legib.Color autem albus præcipuè decôrus Deo est tùm in cæteris, tùm maximè in textili:tincta verò absint, nisi à bellicis insignibus.

Viridis.

Nos sperare docet. Viridis color qui ex chrysocolla vel ærugine fit,ad satietatem viret.Alci. De hoc diximus in emblem.de Spe.

Flauus.

Est cupidi flauus. Aliquanto clarior est flauus, quem colorem amantiũ comæ attribuunt:itém quę segetibus maturis.Alciat.

Ruber vel rufus.

At ruber. Ruber seu rufus color multis distinguitur notis.Aliquis ex sandaracha fit, qui ad satietatẽ flammeus est,& à similitudine ignis πυῤῥὸς dicitur. Burrum veteres Latini dixerunt.

Burrum.

Alius ex cinnabari concipitur aliquantò coloration, *puῤῥὸς* appellatus Græcè. Est & Ostrinus color qui & purpureus.Alciat.De hoc vide pulchrum in Miscellaneis Politiani cap.12. Plutarchum in apophtheg.Laconum.Lacones(inquit) in bellis vtebantur Puniceis tunicis, siue, quòd hic color videbatur illis aliquid habere virile: siue, quòd sanguinei coloris rubor plus terroris incuteret bellorum imperitis: siue,ne protinus conspicuum esset hostibus si quis vulnus accepisset,sed vtiliter lateret ob vestem sanguini cõcolorem.

Ostrinus.

Puniceis tunicis quare vterentur Lacones.

Diogenes de pueri rub.

Indicet & pueros. Diogenes apud Laërtiũ cùm vidisset puerum rubore perfusum, Confide,ait, fili,huiusmodi est virtutis color.Vide Aristot.in lib.De Moribus.

Cæru

Cæruleus nautas. Cæruleus vel à Cælo, vel à Cærulo auicula, quæ & κυανὸς dicitur. Hic aëris color est, itémque tranquilli maris. Alciat. *Cæruleus.*

Vilia sunt giluis. Id est, vilia natiuáque vellera giluis birris. Id est, sunt apta ad birros faciẽdos. Nam hîc birrus non pro colore capitur, sed pro vestimento, quo arcemus aquas cum iter facimus, qui ex colore natiuo fit. Natiuus autem color, vt ait Perottus, modò in albedinem, modò in nigredinem tendit. Hunc vocat Alciat. hîc Giluum. Eius verba sunt, Subsequitur (inquit) Cineritius quo Franciscani passim in præsentia induuntur. Nos vulgò birretinũ dicimus, quòd viatorij militaréque birri propter vtilitatẽ hoc colore essent. Melinus ex pigmento à Mele insula sic dictus, quem Latini & Giluum appellãt, Seruio autore. Et infrà, Est igitur Giluus color: scilicet, quadantenus in rubrum vergẽs. Birrum quoque vocat Alciatus in Parerg. quo interdiu omnes pro tegmine capitis vtuntur. Per lignipedes intellexit Franciscanos, qui alicubi vtuntur calceis ligneis, præcipuè extra Hispaniam. Apud illos vocantur pinzocheri. Lignipedum meminit Politia. lib. epist. 7. in Prologo Plauti. Sic Cucullati lignipedes cincti funibus.

Color natiuus quis.

Cineritius.

Melinus.

Giluus.

Lignipedes qui.

Quem curæ ingentes. His accedit & fuluus color, quem Leoni Virgil. attribuit: fraxineæ hastæ Ouidius: vt satis appareat esse, quem à castanea Tanetum vocamus: nisi quòd fuluus clarior: castaneus paulò obscurior est. Alciat. *Fuluus color.* *Tanetum.*

Quisquis sorte sua. Est & Ostrinus color qui & purpureus alibi ex conchyliorum sanie rubens ardens

Ianthinus. ardénsque, alibi violaceus, seu ianthinus, artificum ingeniis nunc intensior, nunc presior Alciat. Ion, viola est, anthos flos: inde Ianthinus, violaceus.

Nota. *Qualia lignipedes.* In parte hac malè depictum est emblema: claudos enim, & qui haberent pedes ligneos intellexit.

Virtuti Fortuna comes.

CXVIII



Anguibus implicitis, geminis caduceus alis,
Inter Amaltheæ cornua rectus adest
Pollentes sic mente viros, fandiq; peritos
Indicat ut rerum copia multa beet.

Mercurij virga & Amaltheæ cornua.

CONiũgit ingeniosè Alciatus in hac pictura Mercurij virgam & alas (qui Deus est habitus

bitus disciplinarũ, præcipuè eloquentiæ) cum Amaltheæ cornuis, quæ opulentiã significant: vt inde possis elicere nõ posse fieri, quin sit opulentissimus, qui literas & disciplinas virtutésq; excoluerit. De virga Mercurij sic Virgil. 4 Æne.

Tum uirgam capit: hac animas ille euocat orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.
Dat somnos adimitq;, & lumina morte resignat.
Ille fretus agit uentos, & turbida tranat
Nubila.

Et Statius in primo Thebaidos,

Summa pedum properè plantaribus illigat alis,
Obnubitq; comas & temperat astra galero.
Tum dextræ uirgam inseruit: qua pellere dulces
Aut suadere iterum somnos: qua nigra subire
Tartara: & exangues animare assueuerat Vmbras.

Vide adagium, Munerum corruptela. De Amalthea variè refertur fabula, vt inquit Erasmus in Copiæ cornu. Sed è multis vnus Ouidius prodeat, qui in 5. Fastorum ita inquit de Nympha Amaltheа, *Ouidius.*

Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida
Dicitur in syluis occuluisse Iouem.
Huic fuit hœdorum mater formosa duorum,
Inter Dictæos conspicienda greges,
Cornibus æriis atq; in sua terga recuruis,
Vbere quod nutrix posset habere Iouis.
Lac dabat illa Deo, sed fregit in arbore cornu:
Truncaq; dimidia parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe, cinxitq; decentibus herbis,
Et plenum pomis ad Iouis ora tulit.
Ille ubi res cæli tenuit, solióq; paterno

Sedit: & inuicto nil Ioue maius erat:
Sidera nutricem: nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoq; nomen habet.

Eraſmus de caduc. M

Angubus implicitis. Eraſmus in Adagio Caſsioticus nodus. In caduceo (inquit) Mercuriali duo ſunt ſerpentes, maſculus & fœmina, qui medio corporum complexu nodum efficiunt Herculanum. Ab eo ſupernæ partes ſic ad oſculum, vt flexu circulum efficiant: infernæ ſimili flexu ad caducei capulũ reuocantur: qua parte item caudæ coëunt vtriuſque. Hanc imaginem caducei adhuc videre eſt in numiſmatibus antiquis. E quibus, opinor, ſymbolũ ſuum mutuatus eſt Ioan. Frobenius typographus diligẽtiſsimus, niſi quòd addidit columbam ſceptro inſidentẽ. Hũc nodum Mercurio conſecrarunt Ægyptij, innuentes fœdera non oportere vnquam diſſolui: verùm plurimum valere debere: vnde & Herculano cognomen additum. Quanquam Galli & haud ſcio an etiam Ægyptij non alium putant Herculem, quàm Mercurium. Hactenus Eraſmus. Iul. Higinus in Poetico aſtronomico, cap. de Lyra. Mercurius, inquit, cùm proficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos dracones inter ſe coniuncto corpore alium alium appetere: vt qui dimicare inter ſe viderentur, virgulam (quã ab Apolline dono acceperat) inter vtrunque proiecit. Itaque diſceſſerunt: quo facto eam virgulam pacis cauſa dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiam cùm faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis. Hæc ille. Plinius lib.

Io. Frobenij inſigne.

lib.29. Natur.hiſto.cap.3.ſic ait: Hic tamen cõplexus anguium & efferatorum cõcordia, cauſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerint.

Pollentes ſic mente. Ordo eſt, Sic indicat, ſcilicet, caduceus vel virga, vt multa copia, id eſt, quẽadmodum affluentia & fortuna beet, id eſt, diuites reddat, viros pollentes mente, id eſt, ſapientes, & fandi peritos, id eſt, eloquentes.

Fortuna Virtutem ſuperans.

EMBLEMA CXIX.

Cæſareo poſtquàm ſuperatus milite, uidit
Ciuili undantem ſanguine Pharſaliam:

Iamiam ſtricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore ſonos:
Infelix Virtus & ſolis prouida uerbis,
Fortunam in rebus cur ſequeris dominam?

Pyrrhi Senatoris Mediolanẽſis.

EX Dione hiſtorico refert idem Alciatus ſumptum eſſe emblema, qui Iambum carmen compoſuit in mortem cuiuſdam Pyrrhi Senatoris Mediolanenſis, imitatus verba Dionis, quę Brutus cùm ſibi manus inferret, dixiſſe fertur. Epitaphium tale eſt,

Quis non malignas mortis accuſet uices,
Virtute claros quæ uiros præceps rapit,
Viuaciores improbos coruis ſinens?
En Pyrrhus ille, tot animi illuſtris bonis,
Latóq; clauo eſt ante præreptus diem.
Fruſtra putauit eſſe te Virtus Deam
Quæ fortuitis ſeruiebas caſibus.

Longa eſt hiſtoria, longæ ambages, ſi omnia, quæ ad Brutum pertinent, hîc referenda eſſent. Nam bellum Bruti & Caſsij cum Cæſare ſcripſerunt T. Liuius lib. 124. Plutar. in vita M. Anto. & M. Bruti. Appia. lib. de bellis ciuilibus 4. Valerius Maxi. multis in locis. Suetonius in Auguſto. Lucanus 2. Pharſaliæ. Referam tamen paucula ex epitome Iulij Flori in Liuiũ. C. Cæſar (inquit) & Antonius apud Philippos vario euentu contra Brutũ & Caſsium pugnauerunt: ita vt vtriuſque dextera cornua vicerint, & caſtra quoque vtrinque ab iis, qui vicerant expugnarentur. Sed inæqualem fortunã partiũ, mors quidẽ Caſsij fecit. Qui cùm in eo cornu fuiſſet, quod pulſum erat, totum exercitũ fuſum ratus, mortem

Iulij Flori verba de bello Bruti & Caſsij.

mortem sibi consciuit. Altero deinde prælio victus M. Brutus, & ipse vitã finiuit exorato Stratone fugæ comite, vt sibi gladiũ adiiceret. Annorum erat circiter quadraginta. Verba enim Bruti refert idẽ Florus li. 4. hist. Rom. cap. 7. in hęc verba, Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassij. Sed quanto efficacior est fortuna, quàm virtus! & quàm verũ est quod moriens efflauit, Non in re, sed & in verbo tãtùm esse virtutem. Victoriã illi prælio error dedit. Verba Dionis lib. 47. circa finem hæc sunt, Απογνὺς μὲν τὴν σωτηρίαν ἀπαξιώσας δὲ τὴν ἅλωσιν, ἐς τὸ θανατὸν καὶ αὐτὸς κατέφυγε, καὶ ἀναιρούμενος τοῦτο δὴ τὸ ῥᾴκλειον, ὦ τλῆμον ἀρετὴ λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως, ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ. Vide Lat. Victor. variaz lib. Pharsalia, cap

M. Brutus victus.

Sanguine Pharsaliam. Pharsalia cãpus est Thessaliæ. Lucanus, Pharsaliam, Thessaliam, Æmoniam, Macedoniã, Philippos pro eodẽ numerat.

Iamiam stricturus. Mortem sibi consciscere glorioſum & magni animi factum multi putauerunt, præcipue Romanorum, quod non probat Aristot. in Ethicis lib. 3. his verbis, Mortem autem sibi ipsi consciscere fugientem vel inopiam, vel amorem, vel molestiam fortis animi magníque non est: sed angusti potiùs & timidi.

Mortem ac cersere sibi, timidi animi est.

Paupertatem summis ingeniis obesse, ne prouehantur.

EMBLEMA CXX.

Dextra tenet lapidem: manus altera sustinet alas.
Vt me pluma leuat: sic grauе mergit onus.
Ingenio poteram superas uolitare per arces,
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

LOquitur puer per prosopœiam. Manus, inquit, mea dextra tenet lapidē &c. Dextra. inquam, quæ totius corporis habet regimen: nam hoc in siniſtra aliquo pacto esset ferendū. Idem dixit Iuuenalis Saty. 3.

Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obstat
Res angusta domi.

In

In occasionem.

Διὰ λογισμῶν.

EMBLEMA CXXI.

Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria. Tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pennis stas? Instas rotor. Talaria plantis
Cur retines? Passim me leuis aura rapit.
In dextra est tenuis dic unde nouacula? Acutum
Omni acie hoc signum me magis esse docet.
Cur in fronte coma? Occurrens ut prendar. At heus tu
Dic cur pars calua est posterior capitis?
Me semel alipedem si quis permittat abire,
Ne possim apprenso post modò crine capi.
Tali opifex nos arte, tui causa, edidit hospes:
Vtq; omnes moneam, pergula aperta tenet.

EX epigrammate Possidippi, quod legitur li. 4. Epigam. Graeco tit. περὶ καιροῦ, quod tale est, Possidippi Epigram.

Τίς, τόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. ὄνομα δὴ τί;
Λύσιππος. σὺ δ', τί; καιρὸς ὁ πάντα δαμάσσας.

Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τίδε ταρσοὺ
Ποσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἱπταμ' ὑπηνέμιος.
Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρὸν; ἀνδράσι δεῖγμα,
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
Ἡ δὲ κόμη, τὶ κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ Δίατ' ἐξόπιθεν, πρὸς τὶ φαλακρὰ πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσὶν,
Οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
Τοῖον ὁ τεχνίτης μεδιέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων
Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Multi hoc epigramma Latino carmine donarunt, sed suo quisque modo, & velut paraphrasticè. Nos vt intelligi duntaxat Græcum possit, ferè verbum verbo, & versum versui, vt respondeat, curauimus:

Sanctij versio.

Quis figulus? Sycionius. Huius nomina profer.
Lysippus. Quis tu? occasio cuncta domans.
Cur pinnis stas? usq; rotor. Cur accipis alas
Sub pedibus geminas? ut leuis aura uolo.
At dextræ unde mouacula sit? Mortalibus omni
Sic acie ostendo sim quòd acuta magis.
At coma cur uelat uultus? sic obuia prendor.
Cur uillis capitis posteriora carent?
Si semel alatis homines effugero plantis,
Ne possim parte hac posteriore capi.
Tali opifex uestra me finxit imagine causa
Hospes, & ante fores, ut moneam posuit.

Ad Græcum epigramma videtur allusisse Ausonius Gallus, sed additis quibusdam, & artificis nomine mutato sic,

Cuius opus? Phidiæ, qui signum Pallados, eius
Quiq; Iouem fecit, tertia palma ego sum.

Sum

Sum dea, quæ rara & paucis occasio nota,
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? uolucris sum, Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego cùm uolui.
Crine tegis faciem? cognosci nolo. sed heus tu,
Occipiti caluo es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ sis.
Sum Dea cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum Dea quæ facti, non facti, exigo pœnas,
Nempe, ut pœniteat, sic Metanœa uocor.
Tu modò dic quid agat tecum? Si quando uolaui,
Hæc manet. hanc retinent quos ego præterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

In Salmanticensi bibliotheca visuntur hodie statuæ lapideæ ita affabrè expolitæ, vt cum antiquitate possint certare, quæ omnes typum occasionis ostendunt. Est enim illic puer globo insidens capillitio super oculos effuso, in manu habens nouaculam cum inscriptione καιρὸς, quę vox occasionē significat. Hunc circumstat Mercurius & Fortuna cum cornu copiæ. Per quæ innuitur posse occasionē tribuere quidquid Mercurius & Fortuna possunt. Sequitur hos vetula plorabundo vultu, quæ Metanæam, id est, pœnitentiam refert.

Occasionis statua in bibliotheca Salman.

Lysippi hoc opus. Lysippus Sycionius (Sycion ciuitas est in Peloponneso) adeò eximius fuit in statuaria, vt edicto vetuerit Alexander Magnus, ne quis se præter Apellem pingeret, aut alius Lysippo duceret æra, fortis Alexandri vultum simulantia, vt ait Horatius in epistol. Lege Pli-

nium libro 34.capite 7.& 8.

Occasio quid.

Capti temporis articulus. Est occasio, quædam breuis opportunitas, quæ multum valet ad res conficiendas aut omittendas. Occasionem innuit Terentius in sene seipsum excruciante. In tempore, inquit, ad eam veni quod rerum omnium est primum. Et in Adelphis, vt in ipso articulo oppressit. Hesiodus sic laudat occasionem lib.2.Georgicon,

Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ὅπι πᾶσιν ἄριστον.

Mediocritatem obserua, occasio autem in omnibus optima.

Vide prouerbium, Nosce tempus, vbi plura inuenies.

Pinna.

Cur pinnis stas? Pinna & plumam significat & alas, quibus innatant pisces. Hîc autem videtur significare summitates pedum: quasi dicat, cur summis instas digitis?

Cur in fronte coma? Hoc distichon vno versiculo significauit quisquis ille fuit, qui Catonis libellum composuit,

Fronte capillata, post hæc occasio calua.

Legendum censeo, postica occasio calua. Nã in quacunque re pars anterior dicitur antica: posterior, postica nominatur. Lege prouerb. Premenda occasio.&, Capere crines.

Pergula quid.

Pergula aperta. Pergula à pergendo, locus est à multis lateribus aërem excipiens. Apelles in pergula post tabulas à se depictas latitare consueuerat, vt inde multorum iudicium de pictura exciperet.

In

In ſubitum terrorem.

EMBLEMA CXXII.

Effuſo cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

Panici terrores.

PAnici terrores appellari conſueuerũt, quoties repentè in exercitu viri equíque perturbantur, nulla comparẽte cauſa. Veteres enim exiſtimabant Panem Deum repentinos terrores & animi conſternationes immittere lymphaticis ſimillimas. Vide adagium, Panicus caſus. Et Politianum in Miſcellaneis cap. 28. vbi multa & pulchra de hac re citantur teſtimonia. Theon Arati interpres militaſſe ait Pana Deum aduerſus Titanas, primúmque eum videri concham illam tortilem & turbinatã, qua pro tuba vtuntur,

Theõ Arati interpres.

tur,inueniſſe,quæ græcè Cochlos appellatur: factúmque ipſius opera,vt ſe armandi ſociis interim fieret copia, dum ſonitu quocunque illo, qui panicos vocatur,in fugam Titanes agebantur. Plutarchus in apophtheg.Epaminũda Thebano exercitum ducente, nunquam panicus & repentinus terror in caſtra incidit. Faunus filius Pici, Latiníque pater, & Aboriginum rex apud Virgil. poſt mortem Deus eſt habitus, dictus,vt ait Seruius,à fando, id eſt, vaticinando. Poëtæ Faunos Syluanos,Panes,Satyros pro eodem ſæpe ponunt.

Faunus.

In illaudata laudantes.

EMBLEMA CXXIII.

Extat

Ingentes Galatûm semermi milite turmas,
Spem præter trepidus fuderat Antiochus,
Lucarum cùm sæua boum uis, dira proboscis,
Tum primùm hostiles corripuisset equos.
Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit.
Insuper & sociis, Occideramus, ait,
Bellua seruasset ni nos fœdissima barrus:
Vt superasse iuuat, sic superasse pudet.

Ex Luciani histo. de Gal.

EXtat pulcherrima historia apud Lucianum in Zeuxi, siue Antiocho: vnde sumptum fuit hoc emblema. Luciani hæc sunt verba: Cùm nõ ignoraret Antiochus Soter, & corporis viribus & audacia Galatas esse præditos, inusitatámque illorum multitudinem videret, tum phalangem fortiter coniunctam: à tergo verò æneis thoracibus indutos bellantes: præterea in profundum semper armatos vigintiquatuor ordinatos. In vtrumque autem cornu equitatum, qui 20. millibus equitum cõstabat, dispertitum esse. Porrò è medio octoginta currus falcatos erupturos: ac cum illis bigas bis totidem. Hæc, inquam, cùm videret, spem valde malam animo concipiebat potiundæ victoriæ, tanquam si cum inuictis esset agendum. Siquidem ipse modicè instructo exercitu, neque ampliter, neque pro belli dignitate & apparatu, aut magnitudine, sanè perquàm paucis comitatus aduenerat, ac illos quidem vt plurimum scutatos & nudos. Sed enim ex his, qui nudi erant, plures quàm dimidia pars exercitus numerabantur. Itaque iam de petendo fœdere, ferendísque pacis conditionibus & bello conuenientissimè componendo secum

secum agebat. Atqui Theodatas Rhodius vir excelsi & generosi animi, instruendæ aciei non imperitus, cùm præsto esset, regémque perturbato animo esse nõ sinebat. Et erant Antiocho vndecim in exercitu elephantes. Hos Theodatas iussit interea haberi quàm occultissimos, ne ex acie apparentes conspicui fierent hostibus. Vbi verò tuba signum dedit, & manus conserendæ forent, ac hostium equitatus impressionem faceret, & Galatæ aperta phalange currus immitterent, tunc vnà cum quatuor elephantis vtrinque equitibus esse occurrendum docebat. Octo autem reliquos aurigis & curribus esse immittendos. Hoc enim facto, inquit, illorum equi perterrebuntur ac retro fugientes in ipsos Galatas illapsi impetum facient, nec opinionem eius rei prædictæ euentus fefellit. Cùm enim antea nullum elephantum vidissent, cùm ipsi Galatæ tum equi illorum, adeò nouo & inopinato elephantorũ spectaculo animis cõsternati sunt, vt longè adhuc à belluis constituti, posteaquam solùm rugientes audissent, dentésque candore relucentes vidissent, veluti ex toto nigro corpore, tum etiam proboscides, ad prædã & direptionem faciendam sublatas, priusquàm ab arcubus tela extorsissent, versis retrò habenis, nullóque seruato ordine aufugerũt. Sed enim pedites aliquantisper alterna cæde semet hastis cõfodientes conculcabantur ab equitibus in illorum ordinem illapsis. Currus autem subuersi, & illi, deinceps denuo in suos non citra sanguinẽ ferebantur, ac planè iuxta illud Homeri,

Subuersi currus passim iacuêre supini.

At verò equi posteaquam semel à recta via auersi declinassent, elephantorum impetum non sustinentes, sessores dorso excutiebãt. Currus strepebant proscindentes acutis falcibus quoscunque ex amicis comprehendissent. Non pauci verò vt in tali tumultu eiecti prosternebantur. Hos elephanti insequebantur pedibus proterentes atque conculcantes, simúlque in altum proboscidibus proiicientes, ac dentibus correptos transuerberantes. Ad extremum illi summa ope nitentes Antiocho victoriam pepererunt. Caterùm Galatæ alij quidem dimicando occiderunt ingenti clade edita: alij viui capti in victoris potestatem peruenerunt. Perpauci fuga in montes semet abdiderũt. Porrò autem Macedones quicunque cum Antiocho in prælium descenderant, Pæana canebant, simúlque clamore irruẽtes, regem coronabant victorem. At ille profusis, vt fertur, lachrymis, Pudore afficimur, inquit, ô milites, quibus salus in hisce vndecim stetit belluis: adeò vt nisi spectaculi nouitas hostium animos perculisset, quid nos erga illos fuissemus? In trophæum nihil aliud quàm elephantum iussit sculpere.

Ingentes Galatum. Galatæ, quos & Gallogræcos vocant, populi sunt minoris Asiæ iuxta Phrygiam.

Lucarum cum fœua. Sic contexe, Cùm sæua vis boum Lucarum, appositiuè, dira proboscis. Erasmus in adagio Larinum verbum. Latini veteres (inquit) Lucam dicebant pro grandi. Et in ada

in adagio, Prius locusta bouem pariet. Lucas, inquit, antiqui boues, appellabant ob magnitudinem. Quod mihi non fit verisimile: nec scio vnde hæc ille tam antiqua eruerit. Nam M. Varro lib. 6. de Lingua Latina, nihil ait huiusmodi: imò à Luce ait dictos Lucas. Sed ego Plinio in hac re magis adhæreo, qui lib. 8. cap. 6. dictos innuit Lucas boues, eò quòd in Lucanis Italia primùm elephantes vidit Pyrrhi regis bello.

Dira proboscis. προβοσκὶς, rostrum Elephantis, siue etiam muscæ. Dicitur & promuscis. Dictũ putant aliqui à verbo προβόσκειν, quod est antè pascere. Vtitur autem ea Elephas tanquam manu, teste Plinio, eo quo suprà loco.

Ergo trophæa locans. Trophæũ græcè τρόπαιον à verbo τρέπω, siue τροπέω, quod est verto, est indicium victoriæ. Primùm fiebant trophæa ex arboribus decisis ramis, & trunco hostium spoliis decorato, fiebántque vbi hostes terga vertebãt. Nam trophæum id significat. Pulcherrimã trophæi descriptionem posuit Verg. Æneidos vndecimo in princip.

Ingentem quercum decisis undiq; ramis
Constituit tumulo, fulgentiáq; induit arma,
Mecentij Ducis exuuias (tibi magne trophæum
Bellipotens) aptat rorantes sanguine cristas,
Telaq; trunca uiri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumq; locis, clypeumq; ex ære sinistræ
Subligat, atq; ensem colo suspendit eburnum.

Et infrà,

Indutosq; iubet truncos. &c.

In

In momentaneam felicitatem.

EMBLEMA CXXIIII.

Aëriam propter creuisse Cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma.
Cùm ramos complexa, ipsúmq; egressa cacumen,
Se præstare aliis credidit arboribus.
Cui pinus, Nimirum breuis est hæc gloria: nam te
Protinus aduenient quæ malè perdet hyems.

EX Apologo quodam, quem refert Petrus Crinitus lib. 2. de honesta Disciplina cap. 4. Sata est, inquit, olim cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat: cucurbita verò cùm multis pluuiis atq; cæli tẽperamento creuisset lasciuire incipit, & ramulos audacius porrigere. Iã serpebat in pi-

num,iam surgere,iam ramos & frondes inuoluere audebat:ampliora folia, candentes flores prægrandia poma,& virentia ostentans. Itaque tanto fastu atque insolentia intumuit,vt pinum, arborem ausa sit aggredi.Et vides inquit, vt te supero,vt amplis foliis,vt virore præsto. Et iam iam ad cacumen prosurgo. Tum pinus quæ senili prudentia & robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad eam respondit:Ego hîc multas hyemes,calores, æstus,variásque calamitates peruici, & adhuc integra consisto. Tu ad primos rigores minùs audaciæ habebis,cùm & folia concident, & viror omnis aberit. Morale, secundis rebus non esse superbiendum.

Est & alia fabella huiusmodi Laurentij Abstemij de cucurbita & olea.

Ex

Ex damno alterius, alterius vtilitas.

EMBLEMA CXXV.

Dum fœuis ruerent in mutua uulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper,
Accurrit uultur spectatum, & prandia captat.
Gloria uictoris, præda futura sua est.

EX quadam Æsopi fabula, quæ sic habet, Leo & vrsus simul magnum nacti hinnulum de illo pugnabant: grauiter igitur à se ipsis affecti, vt ex multa pugna tenebræ oculis oborirentur, defessi iacebant. Vulpes autem, vt circuneúndo prostratos illos vidit, hinnulum in medium iacentem, per illorum medium percurrens rapuit, fugiénsque abiit. Illi autem ipsam videntes, atq; surgere non valentes: Nos miseros

Æsopi fabula de leone, vrso, & vulpe.

Affabulatio.

dicebant, qui vulpi laborauimus. Fabula significat, aliis laborantibus alios lucrari. Prope hûc spectare videtur Claudianus in Epigrammate,

Toruus aper, fuluúsq; leo coïere superbis
Viribus, hic setis, sæuior ille iuba:
Hunc Mars: hunc Cibele laudat: dominatur uterq;
Montibus, Herculeus sudor uterq; fuit.

Bonis auspiciis incipiendum.

EMBLEMA CXXVI.

Auspiciis res cœpta malis, bene cedere nescit.
Felici quæ sunt omine facta, iuuant.
Quicquid agis, mustella tibi si occurrat, omitte:
Signa malæ hæc sortis bestia praua gerit.

Ex

EX Diogeniano refert Erasmus tale adagiũ, γαλῆν ἔχεις, id est, Mustellam habes. in eum quadrat, cui omnia sunt inauspicata, tanquam fatis & diis iratis, vt aiunt. Olim creditum est, hoc animal inauspicatum infaustúmque esse iis qui haberent, domíq; alerent: vt non admodum dissideat ab illis, Equum habet Seianũ. &, Aurum habet Tolosanum. Vnde nunc etiam apud quasdam gẽtes nominatim apud Britannos infelix omen habetur, si cum paratur venatio aliquis mustellam nominet. Cuius etiam occursus vulgo nunc habetur inauspicatus. Vide Alexandrum ab Alex. lib. 5. cap. 13.

Diogeniani adagium.

Mustell inauspi[illegible]tum [illegible]

Sup. pag. 12.

Aristeas in lib. de 70. interpretib. Mustella auribus concipit, quae ore parturiat: quimos hominib. perniciosissimus est, vt quae ipsi auri[illegible] accipiant, eadem verbis exaggerã[illegible] maioribus malis inuolua[illegible] instantemq; turpitudinem omnib. ipsi mod[illegible] auctam inique foedent. Propte[illegible] hoc animal inau[illegible]picatũ erat Iudæ[illegible] nec in cibos admi[illegible] Vide Adag. Lep[illegible] apparens infortu[illegible]natum reddit iter.

Nil reliqui.

EMBLEMA CXXVII.

Scilicet hoc deerat, post tot mala deniq; nostris
Locustæ ut raperent, quicquid inesset, agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas:
Qualia non Atylæ, castráue Xerxis erant.
Hæ fœnum, milium, farra omnia consumpserunt:
Spes & in angusto est, stant nisi uota super.

EX cap. 10. Exodi, vbi sic minitatur Deus Pharaoni per Moysen, Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiet superficiem terræ: ne quidquã eius appareat: sed depascet residuum, quod saluatum, quodque relictum est vobis à grãdine. Corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris, & implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum, quantum non viderunt patres tui & aui. & Amos cap. 7. Et ecce fœtus locustarum venit matutinus: & ecce bruchus vnus Gog. grex, & erit, si compleuerit, vt deuoret fœnum terræ. Vide etiam in Apocalyp. cap. 9.

Locustæ. *Locustæ ut raperent.* Locustæ noxiæ sunt frugibus quas exedũt & perdũt ad internicionem. Vnde quicquid noxium & incommodum est & perniciem affert alicui rei, meritò locusta vocabitur, Locustam sic describit Claudianus,

Claudiani de locusta carm.

Horret apex capitis, medio fera lumina surgunt
Vertice cognatus dorso durescit amictus:
Armauit natura cutem, dumiq; rubentes
Cuspidibus paruis, multis acuere rubores.

His vescebatur sanctissimus propheta Ioannes in deserto: quamuis aliqui aliter sentiãt dicentes ἀκρίδες locustas significare, & cacumina, & summitates: vt intelligas D. Ioannem arborum

Locus D. Marci ca. 1.

aut

aut herbarum summitatibus vesci. Sed his non obstantibus verum esse credo D. Ioannem locustis victitasse, quæ inter animalia munda numerantur in Leuitico cap. vndecimo.

Euro duce. Eurus ventus est ab Oriente flans vt ait Ouidius:

Eurus.

Eurus ad auroram Nabathæáq; regna recessit.

Dictus vt quidam volunt ἀπὸ ἠῶ ῥέων, id est ab Aurora fluens.

Qualia non Atylæ. De Atyla, siue Attila, quoniã non est iniucunda historia, longiusculè illã prosequi statui. Primùm omnium Gotthi, deinde Vandali, postremò Hunni Hungariam ingressi sunt & hi postremi retinuerunt terram: vnde & Hũgariæ appellationem sortita est. Crudelis hic Iccus maximam cladem vniuersæ propemodum Europę intulit. Attila ex Hũgaria exercitũ trecentorum millium duxit in Germaniam, plurimásque potentes vrbes diripuit, inter quas Basilea, Augusta, Argentoratum, Vuormacia, Colonia, & plures aliæ vrbes fuere. Inde in Gallian progressus, Burgundiorum regem cepit, Aurelam obsidione cinxit, & statuit totius Europæ sibi dominium vsurpare. Erat autem tunc in ea parte Galliæ citerioris, quæ à Cæsaribus adhuc tenebatur, Romanus dux Aëtius: hîc fœdus iniit cum Francis, cum Gotthis, vt iunctis virbus crudelissimo tyranno Attilæ resisteretur. Attila verò quia timuit sibi à viribus Gotthorum, sollicitauit Dietrichum regem eorum, ne quid auxilij Romanis suppeditarent:

Hungaria vnde dicta. Attilæ exercitus.

Burgundiorum Rex captus.

Dux Aëtius.

sed pro singulari constantia sua Gotthi recusarunt vllam vel amicitiæ vel confœderationis cum Tyranno Barbaro cõtrahere. Itaque apud Tolosam vrbem Galliæ vtrinque infestis signis congressi sunt. A Romanorum parte Aetius, Gotthi & Franci: ab altera parte Attila. Et testantur historiæ nunquam in Occidente tantum ab vtraque parte exercitum, tantámque multitudinem collectam fuisse, perinde ac ea fuit. Pugnæ conflictus ab exortu Solis in noctem vsque durauit. Tandem in fugam conuersus Attila amisit centena octoginta millia. Ipse etiam tanta angustia exagitatus est, quòd non procul aberat, quin se ipsum interemisset. Aetius verò, Franci, & Gotthi, etsi victores erant: tamen Gotthorum rex Diethricus in eo conflictu periit. Mortem patris vlcisci filius voluit, & statuit collectis copiis insequi Attilã, & reliquum exercitum prorsus delere: & deleuisset, haud dubiè, nisi ex Aetij consilio sententiam suam immutasset. Sed malum hoc fuit consilium Aetij: nam parua manu potuisset tunc vinci Attila. Postea verò reuersus Hungariam reparato exercitu, & collectis viribus Italiam inuasit: direptis vrbibus in primo Italiæ ingressu vsque ad Apenninum. Tum verò occurrens ei Leo Pontifex, supplex petiit, vt retrocederet. Fertur dixisse Attilan, visam iuxta Ponrificem astantem viri cuusdam imaginem minitantem sibi stricto gladio, & terrore percussum promisisse se recessurum. Porrò in

Attila victus.

Attila reuersus in Italiam.

rò in Hungariam reuersus solennes nuptias egit:& in prima nocte largiter potus præter expectationem fato quodam periit. Exitum hunc habuit hic Tyrannus,quem non puduit publico titulo Flagellum Dei se appellare. Hæc contigerunt Anno Domini 455.

Castráue Xerxis erant. Xerxis historiam tam latè prosequitur Herodotus, vt nõ sit iudicium hûc eam referri. Iustinus quoque non paucis. Hos igitur adeat,qui integram historiam velit: nos potiora,& quæ hûc magis spectant decerpemus. Xerxes rex fuit Persarum Darij filius: inceptum à patre bellum in Græciam instaurat. De numero militum sic ait Iustinus lib. 2. Iam Xerxes septingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis : vt non immeritò proditum sit,flumina ab exercitu eius siccata, Græciámque omnem vix capere exercitum potuisse. Herodotus in Polymnia sic, Nauiũ summa trium millium fuit:ita in eis fuit virorum viginti quatuor myriades,id est, ducenta & quadraginta millia. Hæc igitur erat classis ex Asia vnius & quinquaginta myriadum virorum in vniuersum : & præterea septem millia sexcenti decem. Peditatus fuit decies septies centena millia. Equitatus octoginta millia. Quibus adde Arabes,qui camelos, Pęnos qui currus agebant quæ facio viginti millia. Quæ copiæ classiarij & terrestres in summa redactæ fiunt ter & vicies cẽtena & decem & septem millia sexcenti & decem. Huic tanto exercitui obuium se

Xerxes rex, & eius exercitus.

tulit ad Thermopilas Leonidas cum quadringentis Lacedæmoniis, qui etsi omnes mortem oppetierunt, circiter viginti millia Persarum priùs strauerunt. Tandem Xerxes à Themistocle Athenienſium Duce fusus turpiter aufugit.

Leonidas in Xerxem.

Corda omnia consumpserunt. Cordum, cordi (vt ex Plinio libro 18. capite 28. colliges) est secundum fœnum. Hoc est illud quod germinat post primam messionem. Locustarum etiam plaga extitit in Longobardia Insubrum anno 1541. vt coniicere licet. Verùm depastis omnino frugibus, in Narbonensem prouinciam euolarunt: Austro verò flante, tandem diuino nutu in mare præcipitatæ sunt.

Cordum.

Malè

Malè parta, malè dilabuntur.

EMBLEMA CXXVIII.

Miluus edax, nimiæ quem nauſea torſerat eſcæ,
Hei mihi mater, ait, uiſcera ab ore fluunt.
Illa autem: quid fles? cur hæc tua uiſcera credas,
Qui rapto uiuens ſola aliena uomis?

SVmptum eſt per imitationem à fabula Græca Gabriæ, cuius hæc eſt ſententia, *Gabriæ.*

Bouis puer feſto die cùm comediſſet uiſcera:
Hei mihi clamabat, quòd inteſtina effundo mater:
Hæc ridendo ait, Ne timeas fili,
Non enim ex tuis quidquam: ſed uomis aliena.

Vide adagium, Malè parta malè dilabuntur. Plaut. in Pœnulo. Notandum etiam, in Hieroglyphi

glyphicis rapacem locupletem per miluum notari: quod & Socrates in Phędone monſtrat: ſed & in Sacris miluus pro prædone accipitur.

Semper præſto eſſe infortunia.

EMBLEMA CXXIX.



Ludebant parili tres olim ætate puellæ
Sortibus: ad Stygias quæ prior iret aquas.
Aſt cui iactato malè ceſſerat alea talo,
Ridebat ſortis cæca puella ſuæ,
Cùm ſubitò icta caput labente eſt mortua tecto,
Soluit & audacis debita fata ioci.
Rebus in aduerſis mala ſors non fallitur: aſt in
Fauſtis nec precibus, nec locus eſt manui.

EX

EX lib. 1. Epigrammatum Græcorum titul. εἰς δυσπραγίαν, incerti autoris. Tale est epigramma Græcum,

Αἱ τρισταί ποτε παῖδες ἐν ἀλλήλῃσιν ἔπεζον
Κλήρῳ, τίς προτέρη βήσεται εἰς Αἴδην.
Καὶ τρὶς μὲν χειρῶν ἔβαλον κύβον, ἦλθε δὲ πασέων
Ἐς μίαν. ἥδ' ἐγέλα κλῆρον ὀφειλόμενον.
Ἐκ τέγεος δ' ἄρ' ἄελπτον ἀπωλίσθησε πέσημα
Δύσμορος. εἰς Αἴδην δ' ἤλυθεν ὡς ἔλαχεν.
Ἀψευδὴς ὁ κλῆρος, ὅτῳ κακόν. ἐς δὲ τὸ λῷον
Οὔτ' εὐχαὶ θνητοῖς εὔστοχοι, οὔτε χέρες.

Sic Ouidius 4. de Ponto Eleg. 2.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ ualuere ruunt.

Idem Elegia 3.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præsens uix habet hora fidem.

Hoc etiam confirmat prouerbium, Mala vltrò adsunt.

Reme

Remedia in arduo, mala in prono esse.

EMBLEMA CXXX.

Aethereis postquam deiecit sedibus Aten
Iuppiter: heu uexat quàm mala noxa uiros?
Euolat hæc pedibus celer, & pernicibus alis,
Intactúmq; nihil cassibus esse sinit.
Ergo Litæ, proles Iouis, hanc comitantur euntem,
Sarturæ quicquid fecerit illa mali,
Sed quia segnipedes, luscæ lassæq; senectæ,
Nil nisi post longo tempore restituunt.

HOmericus Agamemnon lepidam fabulâ narrat Græcis de Ate lib. 19. Iliad. Quam ego, quàm potero breuissimè colligam. Ate Iouis nuncia, noxia cunctis, mollibus non ingreditur

ditur pedibus per terram, sed hominum inuadit lædítque capita. Nec ab ipso Deorum hominúmque parente abstinuit. Quem Iuno (licet fœmina) sic decepit. Cùm iam iam Hercules in lucẽ ex Alcmena esset proditurus, sic Diuos Iupiter est alloquutus, Audite Diui Deæque omnes: hodie ex meo genere proles nascetur vicinis omnibus dominatura. Cui Iuno, Nunquam credam nisi iureiurando confirmaueris. Iupiter haud dolum sentiens, maximum adhibuit iuramentum. Tum Iuno cælo delapsa Argos petiit, coniugem Steneli septimestrem vterum ferentem facit vt pareret, Alcmenæ partu impedito. Inde ad Iouem reuersa dixit, Iupiter omnipotẽs, iam vir natus est Eurystheus ex semine tuo, qui meritò dominabitur Argis. His auditis Iupiter, Aten comis apprehensam, iratus è summo cælo deturbauit, iuratus, nunquam se postea illam in superas sedes recepturum. Sic illam manu rotatam hominum operibus pernicioſam in terram deiecit. Hæc Homerus. Sunt qui velint hoc Homeri de casu Ates figmentum idem esse cum illo, quod de casu Luciferi ~~ex beatis sedibus~~ credimus Christiani. Est & alius Homeri locus vnde sumptum est emblema Iliados 9. Homeri carmina sic reddidit Erasmus in adagio, Ira omnium tardissimè senescit:

Nam Litas etiam genuit Saturnius ingens,
Rugosas pedibus claudis, ac lumine læsas.
Quæ Ates à tergo ueniunt, medeantur ut illi
Ipsa Ate pedibusq; ualens & robore præstans,
Proinde gradu celeri longè præuertitur, omnes

Occu

Occupat, & terras prior aduenit illa per omnes,
Mortales lædens: uerùm hæ post terga sequuntur,
Sarturæ quidquid commouerit illa malorum.

Ἄτη. Ἄτη, ης. Calamitas, nocumentum, ab ἀάω noceo, quod in futuro mittit ἀάσω: vnde Ἄτη pro Ἄσητ. in σ.

Euolat hæc pedibus. Celeris dicendum fuerat. nam celer, celeris & celere dices rectiùs quàm aliter.

Lita. Ergo *Litæ.* Λιτὴ ῆς, supplicatio, à verbo λιτεύω, rogo, supplico, vota accipio, lito. Vnde *Litaniæ.* Litaniæ, id est, preces, non Letaniæ, vt barbari passim scribunt.

Offensa cita, reconciliatio tarda. *Nihil nisi post.* Innuit offensam esse citam, reconciliationem esse tardam, propterea quòd iniurias diu solent homines meminisse, iuxta illud Ciceronis, Cui dolet, meminit: cui placet, obliuiscitur. Vide Phornutum de Natur. Deorum. cap. de Litis, & Cælium Rhodiginum lib. 2. cap. 17. Et Porphyriũ de abstinentia lib. 2.

EX

Ex arduis perpetuum nomen.

EMBLEMA CXXXI.

Crediderat platani ramis ſua pignora paſſer,
Et bene: ni ſæuo uiſa dracone forent.
Glutiit hic pullos omnes, miſerámq; parentem
Saxeus, & tali dignus obire nece.
Hæc, niſi mentitur Calchas, monumenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis eat.

HÆc referuntur ab Homero lib. Iliados 2. Eius carmina conuertit Cicero lib. 2. de Diuinat. ſub perſona Agamemnonis, cùm debeant citari ſub perſona Vlyſsis, vt annotauit Politianus in Miſcellaneis. Carmina Ciceronis hæc ſunt,

Cicer. carmina.

Ferte uiri, & duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratos ne habeant, an uanos pectoris orsus.
Nanq; omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis
Argolicis primùm, ut uestita est classibus Aulis,
Quæ Priamo cladem & Troiæ pestémq; ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris
Aurigeris Diuûm placantes numina tauris
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaï,
Vidimus immani specie tortúmq; draconem
Terribilem, Iouis ut pulsu penetrabat ab ara,
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos, quos cùm consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore uolabat,
Cui ferus immani laniauit uiscera morsu.
Hunc ubi iam teneros uolucres matrémq; peremit,
Qui luci ediderat, Genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmauit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes, mirabile monstrum
Vidimus in mediis Diuûm uersarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti uoce loquutus:
Quidnam torpentes subitò obstupuistis Achiui?
Nobis hæc portenta Deûm dedit ipse creator
Tarda & sera nimis: sed fama ac laude perenni.
Nam quot aues tetro mactatas dente uidetis,
Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos:
Quæ decimo cadet, & pœna satiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas: quæ iam matura uidetis.

Ouidius Metamorph. duodecimo,

Hic patrio de more Ioui cùm sacra parassent,
Vt uetus accensis incanduit ignibus ara,

Serp

Serpere cæruleum Danai uidere draconem
In platanum, cœptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat uolucrum bis quatuor arbore summa:
Quas, simul & matrem, circum sua damna uolantem
Corripuit serpens, auidaq; recondidit aluo.
Obstupuere omnes: at ueri prouidus augur
Thestorides, Vincemus ait: gaudete Pelasgi:
Troia cadet: sed erit nostri mora longa laboris.
Atq; nouem uolucres in belli digerit annos.
Ille ut erat uirides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & seruat serpentis imagine saxum.

Hæc nisi mentitur. Calchas augurum præstantissimus (vt ait Homerus) Thestoris Troiani filius: vnde Thestorides dicitur, Apollinis monitu secutus est Græcos. Achilli charus fuit. Post expeditionem Troianam in Colophonem Ioniæ vrbem peruenit. Cúmq; esset in luco Apollinis Clarij, cum Mopso augure præstantissimo in certamen diuinandi descendit. Cui proposuit quot ficus haberet caprificus quædam. Quæ cùm Mopsus diuinasset, & Calchas quot filios haberet in ventre porca, non rectè explicasset, prę ęgritudine diem obiit. Vide hæc latiùs apud Nicolaum Leonicum lib. 3. de varia Histo. c. 63.

Calchas.

Mopsus augur.

Et apud Isacium Tzetzem in Lycophronis Alexdram. sæpius.

Cuius fama perennis. Vide adagium, Quæ serò contingunt, sed magnifica.

Ex literarum ſtudiis immortalitatem acquiri.

EMBLEMA CXXXII.

Neptuni tubicen, cuius pars ultima cetum,
Aequoreum facies indicat eſſe Deum:
Serpentis medio Triton comprehenditur orbe,
Qui caudam inſerto mordicus ore tenet.
Fama uiros animo inſignes præclaraq; geſta
Proſequitur: toto mandat & orbe legi.

SVmptum eſt emblema ex Macrobio & Oro Apolline. Innuit autē per hæc quæ hîc ſunt depicta, hiſtoriam debere intelligi, quæ viros claros & inſignes per totum orbem prædicat. Macrobij verba ſunt ex primo Saturna. cap. 8. Illud, inquit, non omiſerim Tritonas cum buccinis

Tritones quid olim.

cinis fastigio Saturni ædis superpositos: quoniam ab eius commemoratione ad nostrā ætatem historia elata, & quasi vocalis est. Antè verò muta & obscura & incognita. Quod testantur caudæ Tritonū humi mersæ & absconditæ Orus sic ait lib. de Hierogl. Ægyptij mundum significare volentes, serpentem pingunt, suam ipsius caudam deuorantem, distinctum variis squamis, per quas mundi astra figurant. Et grauissimum quidem hoc animal est, quemadmodum terra. Est etiam lubricum, & in hoc aquæ simile, ac singulo quoq; anno pellem vnà cum senio exuit, secundùm quam rationem & in mundo annuum tempus mutationē faciens iuuenescit. Quod verò pro cibo corpore suo vtitur, significat id, quæcunque diuina prouidentia generantur in mundo, hæc omnia in eodem diminutionem pati. Vide Adagium, Festina lentè. *Orus Apollo.*

Neptuni tubicen. Sic construe: Triton Neptuni tubicen, cuius vltima pars, id est, cauda indicat esse cetum, id est, piscem magnum. Et supple facies indicat esse Deum. Is inquam Triton comprehenditur medio orbe serpentis, qui serpens tenet caudam ore inserto mordicus. Id est tenet insertam caudam ori, per hypallagen. *Triton.*

Tritonē ita pingit Vergilius lib. decimo Æneid.

Hunc uehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristin desinit alnus.
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Esse autem aut fuisse aliquando Tritones ea *Historia Tritonum.*

qua pinguntur forma, confirmat Plinius lib. 9. cap. 5. Pausánias se Romæ vidisse Tritonem affirmat. Circunfertur & Epistola cuiusdam Alexandri Iurisconsulti Neapolitani, in qua mira de Tritonibus leguntur. Quædam se vidisse ait, quędam testimonio Theodori Gazæ & Georgij Trapezuntij confirmat. Qui verò plura de hac re cupit, adeat syluam variæ lectionis quam vernacula lingua composuit multa eruditione vir Perrus Mesias. De Tritone Gel. lib. 20. c. 12. Macrob. Satur. 1. cap. 8.

Tumulus Ioannis Galeacij, Vicecomitis, primi Ducis Mediol.

EMBLEMA CXXXIII.

Pro

Pro tumulo pone Italiam, pone arma, ducésq;,
Et mare, quod geminos mugit aduſq; ſinus.
Adde his barbariem conantem irrumpere fruſtra.
Ac mercede emptas in fera bella manus.
Anguiger aſt ſummo ſiſtens in culmine, dicat:
Quis paruis magnum me ſuperimpoſuit?

IN lib. 3. Epigrammaton Græcorum eſt quoddam emblema Themiſtoclis autore Germanico, quod Alciatus eſt imitatus. Carmen eſt huiuſmodi, *Germanici epigr.*

Ἀντὶ τάφου λιτοῦ θὲς Ἑλλάδα, θὲς δ' ὅπλ' ταύτῃ
Δόρατα, βαρβαρικᾶς σύμβολα ναυφθορίας.
Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε πέρσικον ἅρμα,
Καὶ Ξέρξην. τούτοις θάπτε Θεμιστοκλέα.
Στάλα δ' ἃ Σαλαμὶς ἐπικείσεται, ἔργα λέγουσα
Τἀμά. τί με σμικροῖς τ' μέγαν ἐντίθετε;

Quæ carmina ſic latina feci,

Pro tumulo exiguo terras appone Pelaſgas,
Armáq; barbaricæ ſymbola militiæ.
Inq; baſi tumuli circunduc Perſica bella,
Et Xerxem, hiſq; ſuperpone Themiſtoclea.
Et Salamis noſtræ uirtutis buccina dicat,
Quis paruis magnum me ſuperimpoſuit? *Sanctij authoris verſio.*

Scripſit Alciatus hoc Emblema in ſepulchrum Ioannis Galeacij, qui primus fuit dux Mediolani. Vicecomes autem nomen eſt familiæ in Italia, non officij, vt apud nos. Geſsit Galeacius bellum per duodecim annos cum Florentinis, quo tempore Stephanus Bauariæ dux è Germania conductus à Florentinis in Italiam contra Galeacium magno exercitu venit, nihilque gerens memorabile, tandem in patriam reuer- *Galleacij bellum in Florẽtinos.*

sus est. Post hunc Iacobus Armeniaci Comes Mediolano bellum infert acceptis à Florentino stipendiis, magnámque manum ex vlteriore Gallia traducit: qui profligatus interiit. Sequutus est hos aliquot interiectis annis, Robertus Imperator, qui grandem pecuniam à Florentinis accipiens contra Galeacium Mediolanensium Ducem, maximo exercitu in Italiam transiit: inde nulla re gesta memorabili, inglorius reuersus est Tandem Galeacius dum per suos duces bellum in Florentinos continuat, moritur anno Domini 1403. Vide Sabellic. Ennead. lib. 8. & Paulum Iouium de Ducibus Mediolanensibus.

Iaco. Armeniaci comes.

Robertus Imperator.

Galeacij mors.

Et mare quod geminos. Mare superum & mare inferum intelligit. Nam Italia quanta quanta est, inter duo maria procurrit. Eius latam descriptionem prosequitur Plinius, Mela, Solinus, & alij.

Anguifer.

Anguifer ast summo. Anguifer, id est, ille qui pro insignibus fert anguem, qui est ipse Dux. De hoc diximus latiùs in primo emblemate.

Optimus

Optimus ciuis.

EMBLEMA CXXXIIII.

Dum iustis patriam Thrasybulus uindicat armis,
Dumq; simultates ponere quemq; iubet,
Concors ordo omnis magni instar muneris, illi
Palladiæ fertum frondis habere dedit.
Cinge comam Thrasybule, geras hunc solus honorem,
In magna nemo est æmulus urbe tibi.

Historia Thrasybuli memorãda.

HAnc historiam non iniucundam paulò altiùs repetemus ex quinto lib. Iustini historici. Nam Xenophon latiùs se extẽdit, quàm vt hîc posit coarctari: quin nec omnia, quæ in hanc sententiam dicit Iustinus, huc transferam, sed carptim potiora. Victi igitur Athenienses, duce Conone, à Lysandro Lacedæmoniorum

duce, triginta viros ex Lacedæmoniis recipere coacti sunt, qui Athenas gubernarent, qui sibi tria millia satellitum statuunt, & quasi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus esset, septingētos milites à victoribus accipiunt. Dein de miseras vrbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt. Fiunt denique crudelissimi. Fit igitur ex vrbe passim omnium fuga, repletúrque Græcia Athenienſium exulibus. Sed Lacedæmoniorum edicto ciuitates, exules recipere pro hibebantur. Omnes se Argos & Thebas contulêre, vbi non solùm tutum exilium egerunt: verùm etiam spem recuperandæ patriæ receperũt. Erat inter exules Thrasybulus, vir strenuus, & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria & pro salute communi etiam cum periculo ratus, adunatis exulibus Castellum Philem Atticorum finium occupat. Nec deerat quarundam ciuitatum tam crudelis casus miserantiũ fauor. Itaque & Hismenias Thebanorum princeps etsi publicis non poterat, priuatis tamen auxiliis adiuuabat. Et Lysias Syracusanus Orator, exul tunc, quingentos milites stipendio suo instructos in auxilium patriæ communis eloquentiæ misit. Fit itaque asperum prælium. Sed cũ hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur, tyrãni vincuntur: victi in vrbem refugerunt, quam exhaustam cædibus suis etiam armis spoliant. Deinde cùm omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex vrbe iubent, & in bracis murorum qui diruti fuerant, habitare, extraneis

traneis militibus imperium tuentes. Post hæc Thrasybulum corrumpere, imperij societatem pollicentes conantur: quod cùm non contigisset, auxilia à Lacedæmoniis petiuere. Quibus ascitis iteratò præliantur. In eo bello Critias & Hippomachus Tyrānorum sæuissimi cadunt. Cæteris victis cùm exercitus, ex quibus maior pars Athenienſium erat, fugeret, magna voce Thrasybulus exclamat: cur se victorem fugiant, potius quàm vt vindicem communis libertatis adiuuent? Ciuium illā meminerint aciem, non hostiū esse. & cætera, quæ adiecit Xenophon in Thrasybuli oratione. Tandē Tyranni in exilium mittuntur, qui ægrè ferentes exilium Athenienses inuadunt. Sed per insidias comprehensi trucidantur. Atque ita ciuitas per multa membra disipata, in vnum tantùm corpus redigitur. Et ne qua dissentio ex antè actis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, discordiarum obliuionem fore. *Vide Clementem Alex. lib. 1. Strom.*

Dúmq; simultates. Allusit ad hæc vltima verba Iustini & intelligit ἀμνήστιαν, id est, malorū obli uionem. sic enim vocabant Athenienses plebiscitum illud, quo multæ seditiones fuerūt sublatæ. De quo vide Erasmum in prouerbio, Malorum meminisse. Et Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. Et lib. 5. cap. 6. qui pulchrè narrat historiam. Ἀμνήστια

Palladiæ sertum. Citat Erasmus eodem loco hæc verba ex Probo Æmilio, Huic pro tantis meritis, præmij loco, data est corona ex duabus virgulis oleaginis: & hoc ciuili honore vir prudens

dens contentus fuit. De hac corona Gell. lib. 5. cap. 6. & Plin. lib. 16. cap. 4.

Thrasybulus unde dictus.

Cinge comam. Si Thrasybulum velis interpretari, hominem audacis, siue ardentis consilij, dices. Nam θρασυς audax, & βελη consilium significat. Tâta porrò laus continetur in vltimo versiculo, vt non possit esse maior in homine ciui. Meminit Thrasybuli Pausanias in Atticis, & Plutarchus in vita Pelopidæ. Vide Adagium, Thrasybulo Dionysium comparas. Vide etiam Iustinum lib. 5. & Valer. Max. lib. 4. cap. 1.

Strenuorum immortale nomen.

EMBLEMA CXXXV.

Æaci

Aeacidæ tumulum Rhœtæo in littore cernis;
Quem plerunq; pedes uisitat alba Thetis.
Obtegitur semper uiridi lapis hic amarantho,
Quòd nunquam herois sit moriturus honos.
Hic Graium murus, magni nex Hectoris, haud plus
Debet Mæonidæ, quàm sibi Mæonides.

EX Philostrato in Iconibus, qui sepulturas ex amarantho coronari moris fuisse affirmat: ídque Thessalos instituisse primos ad tumulum Achillis.

Antonius Thylesius in libello, quem de coronis composuit, sic ait, Thessali Achillis sui monumentum amarantho coronabant: vt ostenderent, quemadmodum flos ille nunquam interit: sic eius famam perpetuò duraturam. Ad hoc ipse respexi, cùm de Achille loquerer in Heroicis epitaphiis: *Amaranthi flos.*

Heroum iacet hîc flos immortalis Achilles.

Vide Cælium Rhodig. antiq. lect. lib. 17. cap. 21.

Rhœtæo in littore. Iam admonuimus sepulchrum Achillis esse in Sigæo, errasséq; Solinum & Alciatum in hoc. embl. 48.

Quē plerumq;. Miror valde quî potuerit facessere negotium hic versiculus, illis præsertim, qui se græcè scire profitentur: cùm sit Græcus loquendi modus: & apud Homerū vsitassimus: qui sæpe ~~vt~~ ait, & quidem lib. 1. Iliados, ἀργυρόπεζα θέτις, id est, argenteos habens Thetis, vel alba pedes Thetis, id est, pulchra. Sic Iuno apud eundem vocatur λευκόλενος ἥρη, id est, albas vlnas habens Iuno. Capitur & Thetis pro mari, quan uis diuersa orthogaphia. Tethys enim scribitur // pedes

prima

Thetis cur pedes albos habeat.

prima longa, quam pro Achillis matre breuiabis. Dicitur mare argenteos pedes habere, propterea quòd maris aqua in locis profundis est obscurissima & in extremis partibus clarior & pellucida.

Amaranthi natura & virtus.

Viridi lapis. Amarāthus ideo vocatur viridis, quia nunquam marcescit: vnde nomen habet ab ἀ priuatiua, & μαραίνομαι, marcesco. quasi nūquā marcescens. Pli. lib. 21. cap. 8. inquit, Amarantho non dubiè vincímur. Est autem spica purpurea, veriùs quàm flos aliquis, & ipse sine odore, mirúmque in eo gaudere decerpi & lætiùs renasci. Prouenit Augusto mense: durat in Autumnum. Alexandrino Palma, qui decerptus asseruatur: mirúmque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura in nomine est, appellato: quoniam non marescat.

Dionis lib. de Troiæ nō capta.

Hector occidit Achillem.

Magni nex Hectoris. Notum est quo pacto Achilles Hectorem interfecerit: sed sciant Hectoris studiosi extare libellum Græcum Dionis de Troia non capta, vbi multò aliter refertur historia: Achillem scilicet ab Hectore occisum. Quod & Homerus videtur aliquibus locis subindicasse, sed tectè. Lege libellum, cui fortasse plus habebis fidei, quàm Homero.

Nobi

Nobiles & generosi.

EMBLEMA CXXXVI.



Aurea Cæcropias nectebat fibula uestes,
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit.
Calceus, Arcadico fuberat cui lunula ritu,
Gestatur patribus mullea Romulidis:
Indigenas quòd se adfererent, hæc signa tulerunt
Antiqua illustres nobilitate uiri.

ERasmus in adagio, Terræ filius, apud Pausaniam inquit & Strabonem, atque alios id genus autores legimus populos quosdam αὐτόχθονας appellatos, qui non aliò referant originẽ suam, quemadmodum plerique faciunt, verùm ex ipso solo nati videri velint: quorum de numero sunt Atheniẽses. Idem in adagio, Cicadis pleni

αὐτόχθονες.

pleni. In glorioſos (inquit) ac ſtultos olim dicebatur, aut obſoletis ac iam deſitis vtentes. Antiquitus etenim Atticis mos erat capillorum cincinnis aureas cicadas addere. Vnde τεττιγοφόροι dicti ſunt: hoc indicio ſignificantes αὐτόχθονας eſſe ſeſe, id eſt, indigenas: quemadmodum & cicadæ non aliunde cõmigrant, ſicut pleraque alia: ſed ubi naſcuntur, vbi viuunt. hæc ille & plura. Hinc Virg. in Ciri,

ita legit Iof. Scal. Ciri

Aurea ſolenni comptum quoq; fibula ritu
Mopſopio, tereti nectebat dente cicadæ.

Plutarchus in problematis Romanis, Quid eſt, inquit, quòd qui nobilitate præſtare videntur, lunulas in calceis ferunt? An vt dicit Caſtor, ſignum eius quæ in luna eſſe dicitur habitationis: & quòd poſt mortem animi rurſum lunam ſub pedibus habebunt? An quòd antiquiſſimis præcipuum fuit, qui fuerunt Arcades ab Euandro Proſeleni appellati? & reliquas cauſas quæ adiecit. Bayfius de re veſtiaria. Calceus Lunatus inſigne nobilium Romanorum, vt voluit Plutarchus, addita lunula circa talum. Iuuenalis de Quintiliano,

Proſeleni. Calceus lunatus.

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Vide adagium, Calceos mutare, & Budæum in Pãdectas. Grapaldus, de partibus ædium in dictione Mullus, lib. 1. cap. 6. Nomen eis Feneſtella à colore mulleorum calciamentorum datum exiſtimauit. Mullei autem fuerunt calcei regum Albanorum, poſtea patriciorum, à mullando, id eſt, ſuendo nominati. Huc alluſit Martialis lib. 1. Epigramma.

Mullei.

Luna

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Hæc omnia aliquantò copiosiùs tractat Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 18.

Calceus Arcadico. Sic construe, Calceus Mullea, cui suberat lunula ritu Arcadico, gestatur à patribus Romulidis.

Arcadico ritu. Arcades qui sunt in medio Peloponneso antiquissimi volebant videri. Vnde Ouidius 2. Fastorum, *Arcades antiquissimi.*

Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Hinc vocati sunt Proseleni, id est antelunares. Vide adagium Beccelenus. Et Cælium Rhodig. lib. 20. cap. 28.

Indigenas. Indigenas, id est, ibidem natos. Græcè αὐτόχθονας diximus vocari; sic etiam vocantur Cicadę. Nam ibi cantant vbi nascuntur: nec mutant locum. *Indigena.*

Patricij calcei. Festus ex Cat. Originibus.
Vopiscus Aureliano meminit. Dion lib. 4
vide Isidorum lib. 8 cap. vlt. Etymol.
De puniceis calceis praeter Dionem. Manuit
in orat. pro Sextio pag. 131.

Duodecim certamina Herculis.

Ἀλληγορικῶς.

EMBLEMA CXXXVII.

Roboris inuicti superat facundia laudes:
Dicta Sophistarum laqueósq; resolbit inanes.
Non furor, aut rabies uirtute potentior ulla est.
Continuum ob cursum sapienti opulentia cedit.
Spernit auaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet.
Vincit fœmineos spoliátq; insignibus æstus.
Expurgat sordes, & cultum mentibus addit.
Illicitos odit coitus, abigitq; nocentes.
Barbaríq; feritásq; dat impia denicq; pœnam.
Vnius uirtus collectos dissipat hostes.
Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris.
Docta per ora uirûm uolat, & non interit unquam.

Allego

ALlegoricè proponit, nihil aliud significare duodecim Herculis certamina, quàm opera quæ possit perficere sapientia, facundiáve. Facile erit epigramma illis, qui non ignorant Herculis certamina, de quib. Verg. in opusculis. Perottus latissimè. Lilius Gregorius libellũ de Hercule composuit. Nouissimè Ioannes Mallara Hispalensis, meus Pylades, tam ingeniosè in duodecim cantus Herculis labores digessit, ídque Hispana lingua, vt nihil ibi deesse credas, quod ad eruditionem & lepórem spectet. Labores Herculis, ad quos in hoc epigrammate fit allusio, hoc ordine habentur: Primus est Leo Nemæus, qui fortitudinis typum gerit: hunc tamen superat prudentia: quia vt ait Salustius, Non viribus, aut velocitate corporis res magnę geruntur, sed consilio, authoritate, prudentia. Secundus, Hydra Lernæa, aptissimè sophisticis argutiis assimilata, cui tot, vno amputato, pullulabant capita. Quod sumptũ fuit ex Platone in Euthydemo, cùm ait, Hercule quidem multo sum imbecillior, qui pugnare simul non valuit aduersus Hydram sophisticam (cui propter sapientiam pro vno sermonis capite amputato multa repullulabãt) ac etiam aduersus Cancrũ sophistam quendam ex mari aduentantem &c. Vide Prouerb. Hercules aduersus duos. Hydrã putauit Erasmus inuidiæ referre symbolum, Horatij deceptus testimonio, cùm nihil minùs illic intendat Horatius. Vide prouerb. Herculei labores. Tertius labor fuit, Erimanthæus aper, furoris & rabiei emblema. Quartus, cerua aëri

Io. Mallara Hispalẽsis, Pylades author.

Primus labor Herculis.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

pes, id est, velocissima in monte Mænalo, quæ, quia cornibus aureis erat insignis, diuitiarum est emblema. Hanc cursu superauit Hercules. Sunt tamen qui dicant ineptè fictum à poetis ceruas aurea cornua habere, cùm omnino cornibus careant. Sed contra hos disputat Cælius Rhodiginus. Quintus, Stymphalides volucres, quæ auaritiam referunt, quemadmodum & Harpyiæ apud Virgilium, propter incuruos vngues. Sextus, Baltheus, quem Amazonibus abstulit. Soluere zonam, idem est, quod deuirginare. Septimus, Augiæ stabulam repurgatum. Nihil est enim tam sordidum, quod non eloquentia excolatur. Octauus, Taurus, quem è Creta expulit. Taurus autem inire solet & matrem & sorores. quare addidit, illicitos odit coitus. Nonus, equæ Diomedis, quæ homines discerptos mordicus comedebant. Equus autem peculiari epitheto dicitur ferus. Decimus, Geryõ, qui cum tres essent fratres, vnus dicebatur. Vndecimus, mala Hesperidum, quæ aurea erãt, quæ Atlantis opera decerpta Hercules in Græciam portauit, Duodecimus tandem Herculis labor Cerberus fuit, quem Hercules ab infernis tenebris ad superos traduxit. Hanc allegoriam explicatiùs protulit Rodulphus Agricola lib. 1. de Inuent. cap. 3. Magni, inquit, sudoris est Cerberum tricipitem ab inferis extrahere, hoc est abstrusa & in rerum interiore recessu latentia proferre in lucem, & tanquam spectanda proponere. Hæc Rodolphus. Labores Herculeos etiam decantat Homerus lib. 11. Odyss. &

Quintus.

Sextus. Soluere zonam.

Septimus.

Octauus.

Nonus.

Decimus.

Vndecimus

Duodecimus.

Rodolphi Agricolæ allegoria.

Q. Cal

Q. Calaber latè lib. 6. de relictis ab Homero. Cicer. 2. Tuscul. Marti. li. 5. Epig. 66. Oui. & alij.

Docta per ora uirûm. Hemistichium est Enniani, refertur à Cicerone 1. Tusculana.

In nothos.

EMBLEMA CXXXVIII.

Herculeos spurij semper celebretis honores:
Nam uestri princeps ordinis ille fuit.
Nec prius esse Deus potuit, quàm sugeret infans
Lac, sibi quod fraudis nescia luno dabat.

ALciatus lib. 4. Parergon cap. 3. fatetur hoc emblema sumptũ ex antiquo illo adagio, Ad Cynosarges. Cuius explanationem vide in

Erasmo. Verba porrò Alciati in illo loco loquentis de adoptione sunt. At apud Græcos aliud traditum est, apud quos scriptum legi, Iouem nato Hercule (quòd spurius esset, nec in Deorum numerum admitti posset) dormienti coniugi suæ Iunoni eum clam suppositisse, & exsucto de mammis ab ea lacte infantem ceu natalibus restitutum, diuinitatis iura acquisiuisse. Cuius rei & Hyginus meminit, & Arati interpres, & qui collectanea rei rusticæ Constantino Cæsari inscripsit. Hincque factum est, vt nothi ad Cynosarges, vbi templum est Herculis, exercerentur: quoniam is Deus illis præest. Hæc Alciatus. Et citat ibi hoc epigramma.

Vide & lib. 4. cap. 5.

Spurij qui.

Herculeos spurij. De nothis, & spuriis vide Alciatum, qui præter locum citatũ lib. 4. cap. 5. & lib. 10. cap. 8. Parergon, putat dictos spurios (testimonio Iustiniani) quasi vulgò conceptos, ἀπὸ τοῦ σπορᾶδην. Quod non valde probo. Siquidem reperio aliam apud Plutarchum deriuationem, qui in Romanis quæstionibus sic ait, Quid est, quòd eos quorum patres ignorantur, spurios vocant? non enim quod Græci opinantur, & in causis oratores dicunt, quòd ex colluuione quadam & seminis communione progenerati sint. Sed est spurius inter prima nomina, vt Sextius, Decimus, Gaius. Sed hæc prima nomina latini non integra scribunt. Sed aut vna litera, vt T. L. M. Titus, Lucius, Marcus, aut duabus, vt Gn. Ve. Gneus Verrius: aut tribus, vt Sex. Ser. Est igitur spurius inter ea prima

Spurij vnde dicãtur.

prima nomina, quæ duabus literis notantur S. & P. Quibus etiam orbos parentibus scribunt, cùm sine patre esse dicunt, per S. sine: per p. patrem significantes. Hoc igitur errorem fecit, quòd sine patre & spurius eisdem literis annotantur. Hæc Plutarchus. Meminit & Erasmus huius rei in adagio, Ne patris nomen quidem dicere possit.

Nec prius esse Deus. Hyginus in Poetico astronomico loquens de lacteo circulo, Herculi infanti insciam Iunonem dedisse lac: sed postquam eum rescierit pellicis esse filium, reiecisse eum à se, Herculémque qui nimia auiditate lactis multitudinem ore comprehenderat, non potuisse illud in ore continere: sícque ex ore eius profusum lacteũ circulum in cęlo signasse.

Iamparilitas.

EMBLEMA CXXXIX.

Vt ſublime uolans tenuem ſecat aëra falco,
Vt paſcuntur humi graculus, anſer, anas:
Sic ſummum ſcandit ſuper æthera Pindarus ingens,
Sic ſcit humi tantùm ſerpere Bacchilides

Pindari carmen.

EX Pindaro deſumptum eſt hoc emblema in Nemeis oda 3. in fine odæ ſic,

Εἰ δ' ἀιετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς,
Ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἄγχαν ποσίν.
Κραγέται δ' ὑπὸ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται. id eſt,

Aquila.

Eſt autem aquila velox inter volucres, quæ citò venatur, procul inueſtigans cruentum prædam pedibus ſuis: loquaces autem graculi humilia paſcu

pascuntur. Quo in loco indicant Pindari commentatores per aquilã intelligi Pindarũ (quod non obscurè dixit in Olympiis) per graculos Bacchilidem Lyricum poëtam. Vide Adagium Aquila in nubibus.& Humi serpere.

Pindarus fuit vnus è nouem Lyricis : eius educationem vide in imaginibus Philostrati titulo Pindarus. Eius mortem refert Valer.Maximus lib.9.cap.12. de morte non vulgari ex Philostrato hæc sumpsit Politianus, *Politianus de Pindaro.*

Aerios procul in tractus & nubila supra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blandæ
Os tenerum libastis apes, dum fessa leuaret
Membra quiete puer mollem spirantia somnum.

Vide Alciatum lib.10.Parerg.cap.8.De Pindaro Macrobius 5.Satur. Horat.lib.4. Carminum:& Plin.lib.7.cap.29.

In desciscentes.

EMBLEMA CXL.



Quod fine egregios turpi maculaueris orsus,
In noxamq; tuum uerteris officium,
Feciſti, quod capra, ſui mulctraria lactis
Cùm ferit, & proprias calce profundit opes.

Capra Scyria.

Ex antiquo adagio αἶξ Σκυρία. ideſt, capra Scyria, in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adiunctis vitiis contaminant atque obſcurant: quíve rectè inſtituta nõ rectè finiunt: veluti capra Scyria, quòd fera ſit, mulctrum quod lacte impleuerat, ipſa rurſus euertit: atque hoc modo beneficium, quod dederat, eadem perdidit. Eraſmus.

Æmu

Aemulatio impar.

EMBLEMA CXLI.

Altiuolam miluus comitatur degener harpam,
Et prædæ partem sæpe cadentis habet.
Mullum prosequitur, qui spretas sargus ab illo
Præteritásq; auidus deuorat ore dapes.
Sic mecum Oenocrates agit, at deserta studentum
Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

EIusdem ferè est argumenti cum superiori de Pindaro: sed similitudines sunt obscuriores. Erat quidam Leguleius triuialis (quem tecto nomine Oenocratē, eo quòd à vino vinceretur. Nā οἶνος vinū est, & κρατέω vinco) qui illa tradebat discipulis, quæ Alciatus tanquam vilia spernebat.

Altiu

Altiuolam miluus. Aristo. 9. de histo. Animal. c.1 Amici, inquit, sunt piphex, harpa, & miluus.

Sargus.

Mullum prosequitur. Arist. li. 8. cap. 2. de nat. ani. Sargus mulli reliquias sequitur. Nam vbi ille luto excitato abiit (fodere enim potest) hic descendit & pascitur, imbecillioréque, ne eodem adnatent, arcet. Ordo est, Sargus, id est, piscis ille ignauus prosequitur mullum, id est alium piscé marinú (quem non credas esse barbum, vt vocant Hispani, sed alium maximi precij) qui, sup. Sargus auidus deuorat ore spretas præteritásque dapes, ab illo, sup. mullo.

Oculo lippo quid.

At deserta studentum. Alciatus lib. 6. parergon, cap. 12. Vti, inquit, tanquam lippo oculo prouerbialiter dicimur de re, qua carere nō possumus, cùm tamen damnosa nobis sit. Eleganter Plautus ad seruos improbos traxit, quos, quanuis dominus, & vt potest, eorum opera vtitur: cùm vt velit, non possit, eius carmen est in Persa:

Ego neq; lubenter seruio, neq; sum hero ex sententia:
Sed quasi lippo oculo me meus herus utitur, manum
Haud abstinere quit tamen, quin imperet mihi,
Quin me suis negotiis præficiat.

Sed & apud eundē in Bacch. sic senex loquitur,

Lippo illic oculo seruus est simillimus:
Si non est, nolis esse, neq; desideres:
Si est, abstinere, quin attingas non queas.

Sunt autem hæc carmina non solùm ab interpretibus malè intellecta: sed etiam vitio exemplarium corrupta. Hæc Alciatus. Vide Erasmum

mum in prouerb. 10. Lippo oculo similis. Et, Vbi qui dolet, ibidem & manum habet.

Albutij ad Alciatum, suadentis vt de tumultibus Italicis se subducat: & in Gallia profiteatur.

EMBLEMA CXLII.

Quæ dedit hos fructus arbor, cælo aduena nostro,
Venit ab Eoo *Perfidis axe prius.*
Translatu facta est melior: quæ noxia quondam
In patria: hìc nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma simillima cordi.
Alciate hinc uitam degere disce tuam.
Tu procul à patria in pretio es maiore futurus:
Multùm corde sapis, nec minus ore uales.

EX

EX Plutarcho in Commentario de Iside & Osiride, referente Politiano, Miscellaneorum cap.83. De Ægyptiacis, inquit, arboribus, Persicam in primis Harpocrati sacratam ferũt, quòd fructus cordi, frondes linguæ persimiles ferat. Hoc epigramma non est Alciati, sed Aurelij Albutij Iurisconsulti, Græci & Latini sermonis periti. Vixit aliquando Mediolani. An fuerit Mediolanensis, ignoro.

Persica arbor.

Aur. Albutius.

Venit ab Eoo. Aduectam fuisse hanc arborem è Perside fatetur Plinius, sed noxiam apud Persas esse, & translatu mitescere: id verò pernegat. Albutius sequutus est id quod vulgo dicitur, Persas in Ægyptum immisisse hanc arborem: vt eius fructu vescentes Ægyptij omnes interirẽt. Verba Plinij hæc sunt ex cap.13. lib.15. In totum quidem persica peregrina etiam Asiæ Græciæq; esse ex nomine ipso apparet: atque ex Perside aduecta. Et paulò inferius, Falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Ægyptum & terra mitigata. Est & epigramma græcum in lib. 1. Florileg. εἰς δένδρα, incerto autore, in quendã Theognosti filium, qui præ satietate Persicorum pomorum interiit. Id sic habet,

Nõ esse noxiam Persis ait Plinius.

Ἐκ φονίων Περσῶν φόνιον φυτὴ ἤγαγε Περσεὺς
Παιδὶ Θεογνώστου τοῦ θανάτου πρόφασιν.

Id est,

Ex mortiferis Persis mortiferam plantã duxit Perseus
Filio Theognosti mortis causam.

Tu procul à patria. Hoc quàm verum sit, ex sacris literis abundè possumus intelligere: siquidem

dem Dominus ita loquitur in Euangelio, Amen dico vobis, Nemo propheta acceptus est in sua patria. Est autem Hemistichium Virgilianum in decima Ecloga, *Nemo propheta in sua patria.*

Tu procul à patria, nec mihi credere tantum.

Princeps subditorum incolumitatem procurans.

EMBLEMA CXLIII.

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur: imis
Tutius ut possit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo?

Titus

TItus Vespasianus mādauit excudi numisma: cuius altera in parte ipsius Vespasiani facies esset expressa cum inscriptione nominis: in altera esset anchora, cuius medium delphin obuolutus complecteretur. Hoc numisma se vidisse testatur Erasmus, in prouerb. Festina lentè. Id autem symboli nihil aliud sibi velle affirmat, quàm illud Augusti Cæsaris dictū σπεῦδε βραδέως. id est, festina lentè. Quia anchora tarditatem: Delphin celeritatem aptè repręsentet. Hæc Erasmus multis verbis tractat, nec malè, vt videtur. Sed noster Alciatus, qui aliquibus in locis ab Erasmo solet dissentire, aliter numismatis figuram interpretatur. Nam per Delphinem cum anchora (quæ aduersus procellas & tempestates fabricata est) regem ipsum & regium munus vult intelligi, ad quē pertinet calamitati & perturbationi subuenire: seditiones & procellas cō ponere: & ærumnas subditorum depellere, pācíque incumbere. Idque ex natura Delphini discere, qui valde φιλάνθρωπος est, id est, hominum amicus, ideóque capitalis Crocodili hostis: quo non est aliud hominibus infestius animal. Et insuper magna erga filios charitas est in hoc animali, quos etiam adultos diu comitatur. Author Aristo. lib. 5. de histor. animal. sic rex animo paterno debet esse in suos: alioqui non est rex, sed Tyrannus, vt in Politicis docet Aristo. In subueniendis miseris debet etiam rex delphini celeritatem imitari, quæ maxima est & penè incredibilis, vt refert Plinius lib. 9. cap. 8. Et Aristo. & Oppianus. Sed si multa de Delphinis dēque

Alciatus ab Erasmo dissentit.

Delphini natura.

Aristo. de delphino.

Aldi Manutij anchora, cupis. Vide Erasmum in adagio citato, Festina lentè.

Titanij quoties. Hoc primùm admoneo Titanij trisyllabum esse. Nam duo ij coëunt per synæresin in vnum: sic Tita -- nij quoti -υυ: dicuntur autem venti Titanij fratres: quia Aurora Titanis filia fuit, quæ mista fratri Astræo peperit illi ventos, autore Hesiodo in Theogon. & Brixiano Pylade lib. 2. Theogoniæ, vbi sic ait,

Aurora Astræo peperit Titania fratri
Astræam & uentos, qui freta longa premunt.

Anchora iacta. Solent multi dubitare, scribendũ sit anchora cum aspiratione, an ancora. Quo pacto scribas, parui refert. Autor tamen est Valer. Probus, tria tantum latina nomina post c. aspirationem habere, lurcho, pulcher, orchus. Huc adde græcam vocem, quæ sine aspiratione profertur ἄγκυρα, anchora per trãslationem pro securitate ponitur. Vnde adagiũ, Anchora domus. &, Sacram anchoram soluere: quæ pro interpretatione Alciati faciunt, contra Erasm.

Val. Prob. de orthog. anchora.

In senatum boni principis.

DIALOGISMVS.

EMBLEMA CXLIIII.



Effigies manibus trunca ante altaria diuûm
Hîc residens: quarum lumine capta prior,
Signa potestatis summæ, sanctiq; Senatus
Thebanis fuerant ista reperta uiris.
Cur resident? Quia mente graues decet esse quieta
Iuridicos: animo nec uariare leui.
Cur sine sunt manibus? Capiant ne xenia: nec se
Pollicitis flecti muneribúsue sinant.
Cæcus at est princeps quòd solis auribus, absq;
Affectu, constans consilij acta probat.

PLutarchus in lib. de Iside & Osiride sic ait, Ἐνδὲ Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες. ἥδε τοῦ ἀρχιδικαστοῦ καταμύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην, καὶ ἂν ἔντευκτον οὖσαν.

Id est,

Id est, Thebis quædã erant repositæ imagines iudicum, quæ manibus carebant. Quæ autem præsidem iudicij repræsentabat, oculis capta erat, quò oporteat ab omni munerum corruptela, & ab omni affectu quàm maximè sciũctos esse, qui ius dicunt populis. Huius rei meminit Erasmus in adag. Scarabeus aquilam quærit.

Quia mente. Aristo. in lib. de morib. 4. describens magnanimum, inter alia hæc addit: Incessus est magni viri, tardus sit necesse est. Vox grauis, constans, & firma oratio. Nec enim, aut festinat is, qui paucis rebus studet: aut vehemens est, cui nihil magnum esse videatur.

Cur sine sunt manibus. Lex est in Pandectis de officio præsidis, quæ vetat præsides munus, donúmve capere, nisi esculentum, poculentúmve, quod intra dies proximos prodigatur. Xenia porrò sunt munera hospitalitatis. Nam ξένος hospes est. Sed iam vsu venit, vt pro quocunque munere accipiatur. Inter leges quas Dominus in Exodo præscribit iudicibus, hæc etiam refertur, Nec accipies munera, quę etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorũ. Et in Deuteronomio iterum sic iudices monet, Non accipies personam nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Xenia & dona (inquit Ecclesiasticus) excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.

L. plebiscato. ff. de offi. præsi.

Exod. 22

Deut. 16

Cap. 28.

Quod non capit Christus, rapit fiscus.

EMBLEMA CXLV.

Exprimit humentes, quas iam madefecerat antè
Spongiolas, cupidi principis arcta manus.
Prouehit ad summum fures: quos deinde coërcet,
Vertat ut in fiscum quæ malè parta suum.

HOc emblema sumptum ex Suetonio Tranquillo in Vespasiano cap. 16. Creditur (ait Suetonius) procuratorum rapacissimum quenque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgò pro spongiis dicebatur vti, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Vide Aristoph. in Equitib.

Spõgiæ pro rapacibus.

Quod non capit Christus. Hæc verba sumpta

ſunt ex cap. Maiores. 16. qu. 7. Scopus horum verborum eſt apud Alciatum lib. 9. Parerg. c. 13.

Spongiolas. Diminutiuum à ſpongia : eſt autem ſpongia quiddam medium inter animal & plantam eius generis quod Græci ζωόφυτον, id eſt, plantam viuentem appellant. Dicitur διὰ τὸ ἀποσπᾶν τὰ ὑγρά. id eſt, quòd hauriat humida. Meminit eiuſdem Ariſto. 1. de Hiſto. ani. cap. 1. vbi dicit, ſenſum habere ſpongias : cuius rei ſignum eſt, quoniam difficulter euelluntur, niſi arte & latenter fiat. Nam ſe contrahunt. Vide Plutarch. de indu animal.

Spongiæ ſenſum habent.

Vertat ut in fiſcum. Huc pertinet illud Heſiodicum in Georg.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶς ἄτησιν.

Ne mala lucra pares, mala lucra æqualia damnis.

Et illud Plauti in Pœnulo, Malè partum, malè diſperit. Et Ciceronis illud in 2. Philipp.

Malè parta malè dilabuntur. Fiſcus eſt regis crumena, ſeu publica pecunia : vnde confiſcare.

Opulentia tyranni, paupertas subiectorum.

EMBLEMA CXLVI.

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerat esse suum.
Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artus,
Fisco aucto, arguitur ciuica pauperies.

EX Sexto Aurelio Victore in vita Iuliani. Cuius hæc sunt verba, Pompeia Plotina incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Traiani. Cuius procuratores cùm prouincias calumniis agitarent, adeò vt vnus ex his diceretur locupletium quemque sibi conuenire solitus, Quid habes? vnde habes? Hæc vbi didice-

rat,addebat tertium,pone quod habes.Plotina coniugem corripuit,atque increpans quòd lautis esset suę incuriosus:talem illum reddidit,vt postea actiones improbans,& detestans,fiscum lienem vocaret:quòd eo crescēte, artus reliqui tabescant. Idem inuenies Apophtheg.lib. 8. in Traiano.

Fiscus cur lien dictus.

Consiliarij Principum.

EMBLEMA CXLVII.

Heroum genitos, & magnum fertur Achillem
In stabulis Chiron erudiisse suis.
Semiferum doctorem,& semiuirum Centaurum,
Assideat quisquis regibus,esse decet. docet.
Est fera,dum uiolat socios,dum proterit hostes:
Estq; homo,dum simulat se populo esse pium.

VNde sumptum sit emblema, docet Alciatus lib. 9. Parergôn cap. 13. Cæterùm, inquit, in Græcis autoribus annotaui à Chirone centauro Achillem aliósque regum filios eruditos fuisse fingi, quòd soleant doctores consultoréque principum natura quidem feri esse, & promptum ad asperiora ingenium habere: humanitatẽ verò in speciẽ tantùm præ se ferre.

Et magnum fertur. Achilles dicitur quasi sine cibo, ab ἀ priuatiua particula & χιλὸς cibus, nutrimentum: quoniã primò aluit Chiron Achillem vrsorum, leonum, aliarúmque feratum medullis: postea nihil ei ciborum porrigebat, nisi ipse Achilles venaretur sibi feras quibus vesceretur. Hac de causa scribendum fuerat Achiles simplici l, & duabus primis syllabis breuibus, vt est apud Homerum in primo versu Iliados. Sed idẽ Homerus paulò inferius causa metri duplicauit ll. vnde vsus obtinuit, vt Achilles græcè Ἀχιλλεὺς scriberetur. Vide in imaginibus Philostrati, Achillis cibus.

Instabulis Chiron. Chiron centaurus (vt refert Hyginus) Saturni in equum conuersi, & Phillyræ nymphæ filius fuit, qui non modò cæteros centauros, sed homines quoque iustitia superauit. Æsculapium & Achillem nutrisse existimatur. Apud hunc Hercules cùm diuerteretur, illeque sagittas Herculis tractaret, simúlque miraretur, quòd tam breuibus sagittis tam magna centaurorum corpora interirent: vna illarum in Chironis pede prolapsa adeò ipsum cruciauit (erat enim veneno Hydræ infecta) vt op-

taret mori, quod ægrè ab Ioue obtinuit, & inter astra relatus est. Hæc magna ex parte Hyginus. Ouidius in 5 Fasto. idem prosequitur, sed latiùs & elegantiùs. Vnde mirari poteris Zenodotũ & Erasmum in prouer. Chironium vulnus, qui scripserunt Chironem cum aliis centauris, quibuscum Hercules præliatus est, interiisse. Chiron græcè sonat deterior, id est χείρων. Vnde est iocus Diogenes apud Laertium. Nam conspiciens Diogenes formosum adolescentẽ in conuiuium euntem, Chiron, dixit, redibis, id est, peior. At ille cùm rediisset, dixit Diogeni, Reuersus sum, sed non Chiron: non Chiron, sed Eurycion: erat autem Eurycius alius centaurus, qui latè incedens interpretatur. Hæc ex Alciato loco iam citato, qui reprehendit Erasmum, & interpretẽ Laërtij, quòd malè verterint iocum hunc, aut in corruptum exemplar inciderint. Est & apud eundem Laërtiũ similis iocus eiusdem Diogenis, qui cùm vidisset duos centauros pessimè pictos, vter horum (inquit) χείρων, id est, Chiron est, vel deterior. Lusit in æquiuoco. Et hoc non rectè explicuit Erasmus.

Erasmi & Zenodoti lapsus.

Diog. Laërtij iocus.

Diogenis iocus alius.

Et *semiuirum centaurum.* Centauri Ixionis & Nubis filij finguntur à poëtis vmbilico tenus viri, inferius equi. Sed veritas habet, Thessalos equites fuisse perniciosimos bellatores, vnde illis nomen. Nam κένταυροι dicuntur ἀπὸ τὸ κεντεῖν τοὺς ταύρους, id est, à stimulandis tauris. Dicuntur & Hippocentauri, hoc est in equis stimulantes tauros. Dicti sunt Nubigenæ, quasi nube geniti, eò quòd castellum habitarint nomine Nephe-

Centauri vnde.

Nubigenæ.

lem. Et νεφέλη nubem significat. Plura vide apud Perotũ. De Chirone multa Statius in Achilleide, & Orpheus in Argonautis.

Principis clementia.

EMBLEMA CXLVIII.



Vespartum quòd nulla unquam Rex spicula figet:
Quódq; aliis duplo corpore maior erit,
Arguet imperium clemens, moderatáq; regna,
Sanctaq; iudicibus credita iura bonis.

ORus Apollo lib. 1. populum regi obsequẽtem significare volentes, apes pingunt. So lum enim ex brutis regem habet, quem reliqua apium multitudo consequitur, ac illi paret, quẽadmodum regi homines. Cætera sunt lacera in Græco, nec legi possunt. Vide D. Basiliũ in Exae-

Apes solæ ex brutis regem habẽt.

mero, Homilia 8. Plinius Natur. hiſtor. lib. 11. cap.17.loquens de apibus, Non conſtat(inquit) inter autores, rex nullúmne ſolus habeat aculeũ,maieſtate tantùm armatus: an dederit eum quidem natura, ſed vſum eius illi tantùm negauerit. Illud conſtat Imperatorem aculeo non vti.Dixerat idem Plinius præcedenti cap.regem apum duplo quàm cæterę eſſe maiorem.

Rex apum an careat aculeo.

Veſparum quod. De apibus loqui Alciatũ notius eſt, quàm vt egeat argumentis: cùm quia veſpæ immundæ ſunt & carniuoræ, tum præcipuè quia regem non habent: vt autor eſt idem Plinius lib.eod. cap.21. Vſus eſt igitur autor catachreſi tropo, de quo Quintilianus lib. 8. cap. vlt.Solent(inquit) poëtæ abuſiuè etiam in his rebus, quibus nomina ſua ſunt, vicinis potiùs vti, quod rarum in proſa eſt. Vide plura de apibus apud Virg. 4. Georgicon.Meminit huius rei & Eraſmus in prouerb.Spartam nactus es. in fine.

Salus

Salus publica.

EMBLEMA CXLIX.



Phœbigena erectis Epidaurius insidet aris,
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, ueniáq; salutifer orant:
Annuit, atq; ratas efficit ille preces.

SVmptum est emblema ex Saturnalibus Macrobij lib.1.cap.20. Cuius sic se habent verba: Hinc est, quòd simulachris Æsculapij & Salutis draco subiungitur, quòd hi ad Solis naturam Lunæque referuntur. Est enim Æsculapius vis salubris de substantia Solis subueniens animis corporibúsque mortalium. Salus autem naturæ lunaris effectus est, quo animantium corpora iuuantur à salutifero firmata temperamento. Ideo ergo simulachris eorum iun-

Æsculapius quid.

gyun-

guntur figuræ draconum: quia præstant, vt humana corpora velut infirmitatis pelle deposita ad pristinum reuirescant vigorem: vt reuirescũt dracones per annos singulos pelle senectutis exuta. Hæc Macrobius & alia plura. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. plenè hanc historiam narrat, quam apponam, vt si inde sumptum emblema contendas, habeas optionem. Sed vt cæterorum (ait) quoque deorum propensum huic vrbi nomen exequamur, triennio continuo vexata pestilentia ciuitas nostra, cum finem tanti & tam diuturni mali neque diuina misericordia, neque humano auxilio, imponi videret: cura sacerdotum, inspectis Sybillinis libris, animaduertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quàm si ab Epidauro Æsculapius esset accersitus. Itaque eò legatis missis, vnicam fatalis remedij opem autoritate sua (quæ iam in terris erat amplissima) impetraturam se credidit. Neque eam opinio decepit. Pari nãque studio petitum ac promissum est præsidium: è vestigióque Epidaurij Romanorum legatos in tẽplum Æsculapij (quod ab eorum vrbe quinque millibus passuum distat) perductos, vt quidquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo iure sumerent, benignissimè inuitauerunt: quorum tam promptam indulgentiam numen ipsius Dei subsecutum verba mortalium cælesti obsequio comprobauit. Siquidem is anguis, quem Epidaurij rarò, sed nunquam sine magno ipsorum bono viso, in modum Æsculapij venerati fuerunt, per vrbis celeberrimas partes mi-

Val. Maximi histor. Æsculap.

tibus

tibus oculis & leni tractu labi cepit: triduóque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatē ferens, ad triremem Romanam perrexit, pauentibúsque inusitato spectaculo nautis, eò conscendit vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, ínque multiplicem orbem per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde atque exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultu anguis à peritis excepto, læti inde soluerunt: ac prosperam emensi nauigationem, postquam Antium appulerunt, anguis qui vbique nauigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Æsculapij myrto frequētibus diffusæ supereminentem excelsi altitudinis palmam circundedit, pérque tres dies positis quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antiensis templi hospitio vsus: vrbi se nostræ aduehendum restituit: atque in ripā Tyberis egressis legatis in insulam vbi templum dicatum est, transnauit: aduentúque suo tempestatem cui remedio quæsitus erat, dispulit. Narrauit & hæc T. Liuius decad. 2. lib. 1. Sed intercidit. Vide Flori epitomem lib. 11. Sed omnium elegantissimè & latissimè Ouid. lib. vlt. Metamo. Vnde si rursus instes sumptum emblema, facilè concedam. Nam & illa verba subindicant, veniátque salutifer orant. Quæ sic Ouidius extulit, Venítque salutifer vrbi. Vide locum Ouidij ex illo versu,

Pandite nunc musæ præsentia numina uatum.

Vide Plutarchum in problematis, vbi quærit cauſam, cur Æſculapij ædes extra vrbem poſita ſit. Plinius loquens de angue li. 29. c. 4. Quin (inquit) ineſſe remedia multa creduntur, & ideo Æſculapio dicatur. & infrà, Atqui anguis Æſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgóque paſcitur, & in domibus. Phornutus in lib. de natura Deorum eadem ferè quæ & Macrobius ſcribit cap de Aeſculapio.

Anguis Epidaurius.

Phœbigena. è Phœbo genitus.

Epidaurius. Epidaurus ciuitas eſt in Peloponneſſo, vnde Epidaurius, a, um. Horat. in Sermon. Serpens Epidaurius. Vide Ouidiũ 15. Metamorphoſ.

Reſpublica liberata.

EMBLEMA CL.



Cæſaris

exitio

Cæsaris ~~auxilio~~, ceu libertate recepta,
Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit.
Ensiculi in primis, queis pileus insuper adstat,
Qualem missa manu seruitia accipiunt.

Numisma Bruti.

EX Dione historico lib. 47. referēte Politiano Miscel. cap. 70. Si quis (inquit) numisma Bruti reperiat ipsius cælatum imagine, præterea pileo & duobus pugiunculis, ne diutius in explicanda ratione causaque laboret, legat historiarum Dionis lib. 47. Nam ex his (inquit) Brutus significabat ab se & Casio patriam liberatam. Sed enim pileum gestari ab his solitum, qui libertatē nacti, vulgatius manifestiúsque, quàm vt sit autoritatibus confirmandum. Hæc Politianus. Vide adagium, ad pileū vocare. Historia de morte C. Iulij Cæsaris notissima est. Vide Suetonium.

Nota.

Numisma ego domi habeo, sed pileum oblongum habet inter duos pugiones erectos. Quare hîc emendanda est pictura. Vide Alciatum lib. 8. Parerg. cap. 10.

In

In vitam humanam.

EMBLEMA CLI.

Plus ſolito humanæ nunc deſle incommoda uitæ,
Heraclite: ſcatet pluribus illa malis.
Tu rurſus (ſi quando aliàs) extolle cachinum
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Intereà hæc cernens meditor, quâ deniq; tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo ſplene tocer.

EX lib. 1. Epigrammaton Græcorum, tit. εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. id eſt, in vitam humanam. Eſt incerti autoris. Et ſic habet, nec alia indiget verſione,

Τὸν βίον ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἦεν
Δάκρυε· νῦν ὁ βίος ἔς' ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον αὖτι γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν.
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐς γελιότερος.

Ἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν, τὸ μεταξὺ μεριμνῶ,
Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Heraclitus

Heraclitus Ephesius Philosophus fuit, vt Suidas ait. Huic omnes humanæ actiones videbantur summa miseria: quapropter domo egrediẽs semper flebat. Sed de hoc fletu nihil meminit Laertius in vitis. Cùm esset hydropicus, medicis spretis, bubulo sæuo curcunlitus, Soli se sicandum opposuit: vbi somno correptus à canibus est dilaceratus. Democritus ex Abdera oriundus, teste Diogene, multas peragrauit regiones ad Gymnosophistas qui sunt in India, accessit. Omnes actus hominum solebat ridere: quia omnia ei videbantur ridicula. Nec huius risus meminit Laertius. Tandem, vt refert Cicero 5. Tuscula. se obcæcauit, vt naturæ secreta subtilius rimaretur. Centum aut plus eo vixit annos, teste Laertio. De his duobus sapientibus sic loquitur Iuuenalis Satyra 10.

Democritus.

Et A. Gellius.

Iamne igitur laudas, quòd de sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine mouerat unum,
Protulerátq; pedem: flebat contrarius alter?
Sed facilis cuiuis rigidi censura cachini
Mirandum est, unde illi oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus. —

& quæ sequuntur. Meminit & Horatius Democriti in Epistolis,

Si foret in terris rideret Democritus.

Vide adagium, Boni viri lachrymabiles.

Ære

Aere quandoque salutem redimendam.

EMBLEMA CLII.

Et pedibus segnis, tumida & propendulus aluo,
Hac tamen insidias effugit arte fiber.
Mordicus ipse sibi medicata uirilia uellit,
Atq; abicit. sese gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et uitam ut redimas, hostibus æra dare.

EX fabulis Æsopi. Est autem fabulæ sensus talis, Castor ex quadrupedum est genere, vt plurimùm in aquis viuens, cuius pudenda dicunt medicamentis esse vtilia. Hic vbi videt se ab hominibus indagari (nouit enim quapropter indagetur) secans ipsius sibi virilia, proiicit *Castor quis*

aduersus insequentes, & sic salutem cõsequitur. Fabula ostendit sic prudentes homines pro salute adipiscenda debere nullam suarum fortunarum habere rationem. Huic videtur astipulari sententiæ Plinius lib. 8. cap. 30. Easdem, inquit, partes sibi Pontici amputãt fibri periculo vrgente ob hoc se peti gnari. Castoreum id vocant medici. Longè alia est sententia Dioscoridis, qui totum id pernegat lib. 2. cap. 26. Vanum (inquit) est, quod traditur, testes ab ipsis euelli, & à sese abiici, cùm venatu vrgentur. Si quidem tangi nequeunt, ita vt in sue substricti. Plinius rursus pedibus hanc videtur in sententiam ire, cùm ait libr. 32. cap. 3. Spectabilis naturæ potentia in his quoque, quibus & in terris & in aqua victus est, sicut & fibris, quos Castores vocant, & Castorea testes eorum. Amputari hos ab ipsis, cùm capiantur, negat Sextius diligentissimus medicinæ. Quinimo paruos esse substrictósque & adhærentes spinę, nec adimi sine vita animalis posse. Simile reperies Homericum adagium apud Erasmum, Omnibus anteuertenda vitæ cura.

Castoreum.

Dioscoridis de fibris op. Plinio contraria.

Sextius de fib.

Iuuenalis de fib. Iuuenalis Saty. 12.

— *Imitatus castorea, qui se*
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno
Testiculorum, adeò medicatum intelligit inguem.

Solinus de fib. Solinus cap. 23. idem cap. 38. de elephantibus hoc idem scribit.

Cum

Cum laruis non luctandum.

EMBLEMA CLIII.

Aeacidæ moriens percussu cuspidis Hector,
Qui toties hostes uicerat ante suos,
Comprimere haud potuit uocem, insultantibus illis,
Dum curru, & pedibus nectere uincla parant.
Distrahite ut libitum est, sic cæsi luce leonis
Conuellunt barbam uel timidi lepores.

SVmptum ex lib. 11. epigr. græcor. εἰς ἀνδρείαν. Βάλλε δ' νῦν μ' πότμον ἐμὸν δέμας ὅτι κὴ αὐτοὶ Νεκρῷ σῶμα λέοντος ἐφυβρίσουσι λαγωοί.

Sic vertit Thomas Morus,

Proiicitote meum Danai post fata cadauer:
Non metuunt lepores defuncti membra leonis.

Verba sunt Hectoris iam demortui (vt notat

quoque emblema) ad Græcos insultantes cadaueri. Hoc autem factitasse Græcos autor est Homerus lib. 22. Iliados,

Homerus

ὧδε δέ τις εἴπεσκε νἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον,
ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἦ ὅτε νήας ἐνέπρησε πυρὶ κηλέῳ,
ὡς ἄρα τὶς εἴπεσκε, καὶ ἀντήσασκε παραστάς.

Sanctij versio.

Quæ verba sic latina feci,

Tum aliquis socio fundebat talia uerba:
Mollior ah quanto iacet hic nunc inclytus Hector,
Quàm Danais, quando est iaculatus puppibus ignes,
Sic dicens, telis in uulnere uulnera figit.

Videadagia, Iugulari mortuos. Mortuo leoni barbam vellere. Mortuo leoni & lepores insultant. Mortuos rursus occidere. Erasmus in adagio, Cum laruis luctari. ex Plinio & aliis elicit illos cum laruis luctari, qui vita iam defunctos maledictis insectantur: qua re nihil potest esse indignius ingenuo viro.

Cum laruis luctari.

Virg. Æn. XI. Nul[illegible] cū vidij certa [illegible]en, et æthere [illegible]ssij Ni[illegible] Lib. Vrsinum pag. 429.

Aeacides.

Aeacidæ moriens. Achilles filius fuit Pelei & Thetidis, Peleus Æaci ex Ægina. Vnde Achilles dicitur Peleus & Æacides.

Dum curru. Curru, datiuus casus est, vt in illo Virgilij primo Æneidos notat Seruius,

Flectit equos, currúq; uolans dat lora secundo.

Conuellere barbā quid vide in Postrecenijs.

De

De Morte, & Amore.

EMBLEMA CLIIII.

Errabat socio Mors iuncta Cupidine: secum
Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
Diuertêre simul, simul una & nocte cubarunt.
Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius malè prouida spicula sumpsit:
Mors aurata, tenet ossea tela puer.
Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esse:
Ecce amat; & capiti florea serta parat.
Astego mutato quia Amor me perculit arcu,
Deficio, iniiciunt & mihi fata manum.
Parce puer, Mors signa tenens uictricia parce.
Fac ego amem: subeat fac Acheronta senex.

REdolet Græcum argumentum: non tamen vnde sit sumptum comperi. Sed inter epigrammata Emanuelis à Costa Lusitani, quæ cir

Emanuelis à Cost... gram.

cunferuntur cum titulo. E Græco tale legitur pitaphium,

Mors & amor quondam tectum uenere sub unum:
Miſtáq; in hoſpitio tela fuere ſtimul.
Cùm nondum clara diſceſſum luce pararent,
Mortis tela puer, mórſq; tulit pueri.
Hinc iuuenes occidit amor fallente pharetra,
Hinc mors ipſa ſuos cogit amare ſenes.
Sic Didacus periit Stephanus florentibus annis,
Ereptus Muſis, legibus ac patriæ.
Qui Tagus auriferas latè diſpergit arenas,
Et diuæ Eiriæ mænia celſa uidet.
Hic iuuenem ob matris funus pietate gementem
Heu heu, letali cuſpide fixit Amor.

Acheronticus. Vide adagium, Alterum pedem in cymba Charontis habere. Capularem enim & morti proximum ſignificat eſſe ſenem, more Plauti.

In

In formosam fato præreptam.

EMBLEMA CLV.

Cur puerum Mors ausa dolis es carpere Amorem?
Tela tua ut iaceret, dum propria esse putat.

EIusdem argumenti cum præcedente. Obiurgat autem Mortem quòd Amorem cæcum & puerum fefellerit, tradens illi arcum & sagittas mortiferas, quibuscum pueros & virgunculas percutiat, mortale vulnus infigat. Id fit autem immodica amoris vehementia.

Dictū est vulgare: Amor est mors.

In mortem præproperam.

EMBLEMA CLVI.



Qui teneras forma allexit, torsti q; puellas,
Pulchrior, & tota nobilis urbe puer,
Occidit ante diem, nulli mage flendus (Aristi)
Quàm tibi, cui casto iunctus amore fuit,
Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris
Astruis: & querulis uocibus astra feris.
Me sine abis dilecte? neq; amplius ibimus unà?
Nec mecum in studijs ocia grata teres?
Sed te terra teget, sed fati, Gorgonis ora,
Delphinesq; tui signa dolenda dabunt.

Aristius. ARistius instituerat in honorem amici iam demortui tumulũ, cuius erat tale superpositũ insigne: Caput Meduſæ inter duos Delphines, hoc scilicet innuente pictura: Quàm citò, ô

amice,

amice, conuersus es in aliam figuram! Nam hoc tribuunt Poëtæ Medusæ, vt homines in lapides conuerteret. Delphin porrò (vt alias indicauimus) celeritatis est symbolum. Nisi malis etiam ad amorem puerorum idem referre. Nam Delphines puerorum amatores sunt. *Delphin quid indicat.*

Nulli mage. Imitatio est Horatiana, in Odis lib. 1. sic,

Multis ille quidem flebilis occidit:
Nulli flebilior quàm tibi Virgili.

Sed fati Gorgonis. Tres fuerunt sorores dictæ Gorgones, Euryale, Steno, Medusa. De quibus vide Ouid. 4. Metamorphos. aut Hesiodum in Theogonia. Vide adagium γοργὸν βλέπειν. *Gorgones tres.*

Terminus.

EMBLEMA CLVII.

Quadratum insoditur firmissima tessera saxum,
Stat cirrata super pectore imago tenus,
Et sese nulli profitetur cedere, talis
Terminus est, homines qui scopus unus agit.
Est immota dies, præfixáq; tempora fatis,
Déq; ferunt primis ultima iudicium.

Solõ Athenienſis.

SVmptum est hoc emblema ex illa nobilissima Solonis Athenienſis Philoſophi voce: de qua Iuuenalis Saty. 10. sic loquitur,

Festino ad nostros, & regem transeo Fonti,
Et Crœsum, quem uox iusti facunda Solonis
Respicere ad longæ iussit spatia ultima uitæ.

Et Ouidius 3. Metamorph.

— Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, dicíq; beatus
Ante obitum nemo supremáq; funera debet.

Nota.

Historia Solonis.

Sed iam ipsam hiſtoriam Solonis paulò fusius narremus, idque Herodoti verbis, qui ita inquit in Clione, Solon vir Athenienſis cùm leges iubentibus Athenienſibus tulisset, decem annos causa contemplandi, nauigando peregrinatus est: vt ne quam legum, quas condiderat, abrogare cogeretur. Nam hoc Athenienſes ipsi facere nequibant, maximo iureiurando adacti ad eas decem per annos seruandas, quas ipsis Solon condidisset. Harum itaque legum, ac contemplandi gratia Solon peregrè profectus in Aegyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis ad Crœsum. Eò cùm peruenit, hoſpitaliter in regiã à Crœso exceptus est, tertióque aut quarto, quàm venerat die, iussu Crœsi miniſtri circũduxerunt hominem circa theſauros, omniáque

the part.

quæ illic inerant magna atque beata, ostenta-
runt. Contemplatum eum cuncta, & vt sibi
opportunum fuerat intuitum, talibus percun-
ctatus est Crœsus: Hospes Athenienſis, quia
multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam
ſapientiam, tuámque diſcurſationem, qui phi-
loſophando permulta videndi gratia es pere-
grinatus: ideò mihi cupido inceſsit ſciſcitandi
te, ecquem vidiſti omnium beatiſsimum? ſperãs
videlicet ſe inter homines beatiſsimum eſſe, ita
ſciſcitabatur. Solon nihil admodum, ſed vt res
erat reſpondens: Ego verò inquit, Rex, vidi bea-
tiſsimum Tellum Athenienſem. Quod dictum
admiratus Crœſus inſtat interrogare, Qua de re
Tellum Crœſum iudicas eſſe beatiſsimũ? Quòd, inquit,
Tello in Repub. bene inſtituta filij erant hone-
ſti & boni, eorúmque ſingulis liberi, híq; omnes
ſuperſtites: & cùm hoc vitæ quantum in nobis
ſitum eſt, bene traduxiſſet, obitus ſplendidiſsi-
mus obtigit. Siquidem prælio, quod Athenien-
ſes cum finitimis geſſere apud Eleuſinam, hic
cùm auxilio veniſſet, hoſtémq; in fugam vertiſ-
ſet, pulcherrimã oppetiit mortem. Quem Athe-
nienſes quo loco occubuerat, in eo loco publi-
cè humauerunt, magnificéque honorarunt. Mul
ta de Tello ac beata referente Solone excitatus
Crœſus interrogat, Quemnam ſecundum ab il
lo vidiſſet, putans haud dubiè ſecundas ſe par-
tes eſſe laturũ. Cleobin (inquit ille) & Bitonem:
quippe his & genus Argiuum erat, & victum
ſuppeditabat. Ad hæc corporis robur tantũ, vt
& in certaminibus ambo pariter victores exti-
terint:

Tellus beatus iudicatus.

Cleobis & Bito, de quib. Virg. lib. 3. Geor.

terint:& de iis hæc memorantur. Cùm dies festus Iunonis apud Argiuos esset, oporteretque omnino matrem horum ad templum ferri bobus iunctis, híque boues ex agris eis ad horam præstò non essent,tunc iuuenes excluſi tempore iugum subeũtes,plaustrum pertraxerunt,quo mater vehebatur: & quinque ac quadraginta per stadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus cùm hæc fecissent,& ab omni cœtu cõspecti fuissent,optimus obtigit vitæ exitus. Per quæ Deus iudicauit, satius hominem esse mori, quàm viuere. Nam cum circunstantes Argiui laudibus tollerẽt, viri quidem consilium filiorum:fœminæ verò eorum matrem,quòd talibus filiis prædita esset:mater gaudio perfusa cum liberorum fastu, tum fama,ante simulachrũ stans precata est Deam, vt Cleobi & Bitoni filiis suis daret, id quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem vbi sacrificarunt, epulatíque sunt, quiescentes in ipso delubro nõ sunt amplius excitati:sed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies tanquam virorũ,qui optimi extitissent,Argij factas apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon secundas beatitudinis partes tribuebat. Crœsus autem conturbatus inquit: Hospes Athenienſis adeóne tibi pro nullo contemnitur nostra felicitas, vt ne priuatis quidem viris nos æquiparãdos ducas? Cui ille,In diuturno Crœse tempore multa vidĕtur, quæ nemo velit videre:& tolerantur multa,quæ nullit quispiam tolerare. Proponamus enim homini vitæ terminum ad septuaginta annos, qui

anni

anni constant viginti sex millibus ducētis quinquaginta diebus: horum dierum omniū nullus prorsus, qualem alius, rem affert. Ita igitur Crœse omnino calamitosus est homo. Verùm tu mihi videris & diuitiis valde pollere: & permultorum hominum esse rex. Sed quò me interrogasti nondum te appello: priusquā bene vita functum te audiero. Neque enim beatior est, qui magnis opibus præditus est, eo, qui diurnum victum habet, nisi eidem omnibus bonis prædito fortuna concesserit bene vita defungi. Priustamen, quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus est appellādus, sed fortunatus. Quæ omnia consequi quandiu sis homo, impossibile est. Omnis rei oportet inspicere exitum, quò sit euasura. Quoniam multos Deus, quibus fortuna suppeditauerat, radicitus euertit. Hæc Solon. Et hactenus de his, quæ pertinent ad nostrum emblema. Sed quoniam crebrò sollicitatus sum à quibusdam, ne in his meis scholiis concisas & truncas vel fabulas vel historias narrarem: decreui ex eodem Herodoto (monente etiam Socrate in Gorgia, ne fabulas truncas dimittamus, sed caput imponamus, ne absque capite truncæ oberrent) subiungere: quæ Cresо euenerint, post acceptum à Solone responsum. Crœsus igitur oraculo Apollinis perperam intellecto, in Cyrū expeditionē parauit, vbi à Persis captus ad Cyrum perductus fuit. Eum Cyrus vinctum compedibus super ingentem lignorum struem imponit: circáque eum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui offerre Deo,

Beatus quādo quis dicatur.

Plato

Cyrus cepit Crœsum.

re Deo siue volens votum persoluere, siue cupidus sciendi nũquis dæmonum liberaret Crœsum, quem religiosum esse audierat, quo minùs pyræ impositus viuus concremaretur. Crœso autem super pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis, quod ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, Ex viuentibus beatum esse neminem. Quod dictum vbi subiit Crœso, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum ingemiscentem ter Solonem nominasse: & Cyrum, cùm audisset, iussisse interpretes eũ percunctari, quemnam inuocaret, illósque accedentes fuisse percunctatos, & hunc interrogatum silentium egisse. Deinde cùm loqui cogeretur dixisse, Illum nominaui, qui vt omnes alloqueretur, potius quàm ingentem pecuniam præoptarem. Eum non planè loquẽtem rursus interrogat, quodnam esset, quod dixisset. Efflagitantibus atque infestantibus interrogatione, inquit, quemadmodum Solon ad eum venisset, &c. Hæc Crœso referente, iam pyra incensa ardere inceperat. Cyrus auditis per interpretẽ quæ Crœsus retulerat pœnituisse dicitur, cùm se quoque hominẽ esse cognosceret, qui alium hominem, qui se inferior non fuisset opibus, viuum rogo traderet. Præterea veritum ob id pœnam, ac reputantem nihil esse in rebus humanis stabile, iussisse ignem celerrimè extingui. Verùm, eos, qui ignem conabantur extinguere, non eualuisse. Ibi Crœsum cognita per Lydos Cyri pœnitentia, cùm cerneret vnumquemque extinguendo deuoluendóque igni incumben-

Solonis laus à Crœso.

Cyri pœnitentia.

cumbentem, nihil tamen profici, exclamando inuocasse Apollinem, vt ipsi adesset, si quod ab eo donum illi gratum fuisset oblatum, ipsumque præsenti malo liberaret. Ita cum lachrymis Cræso Deum inuocante, nymbos repentè (cùm serenum ac tranquillum esset) confractos esse, imbresque erupisse, ac vehementissima aqua pluisse: & rogum extinxisse. Ita Cyrum cognito Deorum cultorem esse ac bonum virum Cræsum, eum in amicitiam recepisse, magnaque in obseruantia habuisse. Hæc ex Herodoto, multis omissis breuitatis gratia. Nunc quæ restant dicenda in ipso emblemate inseramus paulatim.

Quadratum infoditur. Aptè conuenit Termino quadratum saxum, vbi residit: vtpote stabili, nec mouendo è loco. Nam quadratam figuram habentia corpora, in quamlibet partem proiecta ceciderint, quadrata basi innituntur, ac recta semper insistunt. *Quadratũ saxum quare cõueniat Termino.*

Firmißima tessera. Alludit adpertinaciam Termini, qui nec Ioui ipsi voluit concedere, cùm noua Capitolia fierent, vt autor est Tit. Liuius Decad. 1. lib. 5 in calce. Ouid. 2. Fastor. D. Augustin. de ciuit. Dei lib. 4. cap. 23 *Pertinacia Termini.*

Et se se nulli. Extat super hac re bellum ænigma Varronis, quod soluit Politianus in Miscell. cap. 36. Est autem huiusmodi in tribus Senariis, *Ænigma Varronis.*

Semel minúsne, an bis, minus sit, non sat scio:
An utrunq; horum, ut quondam audiui dicier,
Ioui ipsi regi noluit concedere,

Sed cur non apponimus elegantissima Ouidij carmina ex 2. Fastorum?

Termine siue lapis, siue es defossus in agro,
Stipes ab antiquis tu quoq; numen habes.
Te duo diuersa domini de parte coronant:
Bináq; serta tibi bináq; liba ferunt.

Et infrá,

Tu populos urbésq; & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro:
Legitima seruas credita rura fide.

Et infrá,

Quid noua cùm fierent Capitolia? nempe Deorum
Cuncta Ioui cessit turba locúmq; dedit.
Terminus (ut ueteres memorant) inuentus in æde
Restitit, & magno cùm Ioue templa tenet.
Nunc quoq; se supra, ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine post illud leuitas libera non est,
Qua positus fueris in statione, mane.
Nec tu uicino quicquam concede roganti,
Ne uideare hominem præposuisse Deo.
Et seu uomeribus, seu tu pulsabere rastris,
Clamato, tuus est hic ager, ille tuus.

Talis terminus. Applicat antiquam historiam ad terminum vitæ nostræ: statutum enim est hominibus semel mori: vnde inquit versiculus, Talis est terminus, scilicet, vitæ hominum, qui vnus scopus agit homines.

Est immota dies. Hanc sententiam sic extulit Seneca in Hercule furente,

Certo ueniunt ordine parcæ,
Nulli iusso cessare licet:
Nulli scriptum proferre diem.

Sic

Sic Lucretius lib.3

Certa quidem finis uitæ mortalibus astat.

Sic Silius Italicus lib.3.belli Punici,

Et pace & bello cunctis stat terminus æui.

Vide,si plura de hac re cupis, adagium, Finem vitę specta.

Deq; ferunt primis. Sic Ouidius in Epistolis,

Exitus acta probat. —

Erasmus(vt ipse refert in quadam apologia)annulum habebat, in quo insculptus erat terminus cũ hac inscriptione, Nulli cedo:quę verba imperiti eò deflectebant,vt intelligerent Erasmum nulli cedere. Vide Adag. Thesaurus carboneg erant.

Erasmus ab imperitis notatus.

Opulenti hæreditas.

EMBLEMA CLVIII.

Patroclum falsis rapiunt hinc Troës in armis,
Hinc socij, atq; omnis turba Pelasga uetat.
Obtinet exuuias Hector, Græciq; cadauer.
Hæc fabella agitur, cùm uir opimus obit.
Maxima rixa oritur, tandem sed transigit hæres,
Et coruis aliquid, uulturiisq; finit.

EMblema sumptum est ex conuiuio Luciani. Patrocli fabula ex Homeri lib. 17. Iliados. Quam quia multis versibus canit Homerus, non hûc intuli. Summam totius rei habes in Emblemate. Verba porrò Luciani hæc sunt, Iámque tollebant Aristænetus atque Eucritus ex his, quæ sibi fuerant proposita, suam vterque partem. Tum ego quæ mihi, & Chæreas item quæ sibi erant proposita, eundem ad modum Ion & Cleodemus. Porrò Diphilus etiam Zenonis digressi partem tollere parabat, affirmãs vni sibi ea fuisse proposita: atque hac de causa cum ministris dimicabat: ac vicissim inter sese trahebant, manibus vtrinque in auem iniectis, non aliter quàm Patrocli cadauer hinc atque illinc attrahere conantes.

Lycophron. *Græciq; cadauer.* Græci, græca dictio est. Lycophron in Cassandra Τραιῶν ἄριστος, id est Græcorum, vbi Tzetzes. Græci prius vocabantur Hellados habitatores, postea ab Hellene Hellines sunt vocati.

Amici

Amicitia etiam post mortem durans.

EMBLEMA CLIX.

Arentem senio, nudam quoque frondibus ulmum,
Complexa est uiridi uitis operta coma.
Agnoscitq; uices naturæ: & grata parenti
Officij reddit mutua iura suo.
Exemploq; monet, tales nos quærere amicos,
Quos neq; distungat fœdere summa dies.

EX Græco epigrammate Antipatri lib. 1. Epigram. Græcorum εἰς ἀνταπόδοσιν. Carmen sic habet, *Antipatri epig.*

Αὔην με πλατάνιστον ἐφερπύζουσα καλύπτει
Ἄμπελος ὀθνείη δ' ἀμφιτέθηλα κόμῃ,
Ἠτιρὶν ἐμοῖς θαλέτουσιν ἐνιθρέψασ' ὀροδάμνους
Βότρυας, ἡ ταύτης οὐκ ἀπετηλοτέρη. *al. Ἠπρὶν.*

Τοίην μέντοι ἔπειτα τιθηνέεσθω τὶς ἑταίρην,
Ἥτις ἀμείψαδυ καὶ νέκυν οἶδε μόνη.

Sic vertebam,

Sanctij ver so.

Me platanum ſiccam foliis & palmite obumbrat
Vitis, & externa contegor ipſa coma.
Illa meos ramos creuit complexa uirentes:
Illius at ramos uſq; putabo meos.
Hanc ſociam uitæ quærat ſibi quiſq; uiciſſim,
Quæ ſiet in fato reddere docta uices.

Ouidius 2. Triſtium,

Vidi ego pampineis ornatam uitibus ulmum,
Quæ fuerat ſæuo fulmine tacta Iouis.

Mutuum auxilium.

EMBLEMA CLX.

Loripedem fublatum humeris fert lumine captus:
Et focij hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors fic præftat uterq;,
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

MVltą ſunt epigrammata Græca in hanc ſententiam, eáque in lib. 1. Florilegij titulo εἰς ἀναπήρους. Sed vnum tantùm apponam Philippi ſeu Iſidori,

Τυφλὸς ἀλητεύων χωλὸν πόδας ἤρτασεν,
Ὄμμασιν ἀλλοτρίοις ἀντερανιζόμενος.
Ἄμφω δ' ἡμιτελεῖς πρὸς ἑνὸς φύσιν ἡρμόσθησαν,
Τἀλλιπὲς ἀλλήλοις ἀντιδόσει χόμενοι.

Sic vertit Auſonius Gallus,

Auſonij Galli verſio.

Inſidens cæco graditur pede claudus utroq;:
Quo caret alteruter, ſumit ab alterutro.
Cæcus namq; pedes claudo greſſúmq; miniſtrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Idem aliter,

Ambulat inſidens cæco pede captus utroq;,
Atq; alterna ſubit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat: ille uiciſſim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

Sic Thomas Morus,

Thomas Morus.

Claudipedem geſtat cæcus uicinus ocellis,
Conducitq; oculos arte locátq; pedes.
Cæcus fert claudum, atq; operá conducit eadem,
Iſtius ille oculos, iſtius ille pedes.

Huc alluſit Politianus in ſuis græcis epigrammatis ſic,

Politianus.

Τυφλὸς ἄπουστ' ἤτην ἀλληλοῖν θεράποντες:
Τυφλὸς ὁδηγεῖτο νωτοφορεῖτο δ' ἄπους.

Loripedem. Loripes compoſitum à loro &

pes. Dicuntur loripedes, qui pedes habent intortos in modum corrigiæ, aut veriùs, qui blandos & carneos habent pedes sine ossibus, quales sunt populi in Aphrica, qui dicuntur Himantopodes, id est, loripedes, quibus serpendo ingredi natura est. Plinius lib. 5. cap. 8.

Himantopodes.

Mutuo, as.

Mutuat hic. Mutuo as. non est verbum latinum saltem apud probatos autores. Mutuo dare dicunt Latini, quod facilè diligens lector deprehendet. Sed danda est Alciato venia, qui toties occurrebat Bartolis & Baldis. Poteris versiculum paucis mutatis literis corrigere,

Hic oculos mutuat, mutuat & ille pedes.

Auxilium nunquam deficiens.

EMBLEMA CLXI.

Bina pericla unis effugi sedulus armis,
Cùm premerérq; solo, cùm premerérq; salo.
Incolumen ex acie clypeus me præstitit: idem
Nauifragum apprensus littora ad usq; tulit.

EX Epigramate Iulij Leonidæ in lib. 1. Florilegij tit. εἰς ναυάγιον. Epigramma tale est, *Iulius Leonidas.*

Εἰν ἑνὶ κινδύνῳ ἔφυγον δύο Μυρτίλος ὅπλῳ,
Τὸν μὲν, ἀριστεύσας, τὴν δ' ἐπινηξάμενος,
Αργέστης ὁ τ' ἔδυσε νεὼς τρόπιν ἀσπίδα δ' ἔσχον
Σοθεὶς κεκρυμένη ὑδατι καὶ πολέμῳ.

De quodam nomine Myrtilo, qui post conflictũ terrestre, nauem ingressus, naufragium passus est: cúmque frangeretur nauis, clypeum apprehendens incolumis super illo enatauit. Antè scripserat Alciatus, *Myrtilus.*

Bina pericla unis effugi Myrtilus armis, &c.

Est epigramma venustum & figuris abundans. Talem pingit Claudianus in panegyricis, Horatium Coclitem, cuius hæc sunt verba, *Claudianus de Hor. Coclite.*

Traiecit clypeo Tybrim, quo texerat urbem,
Tarquino mirante Cocles, mediisq; superbus
Porsennam respexit aquis.

EMBLEMA CLXII.

Tres Charites Veneri aſsiſtunt, dominamq; ſequuntur
Hincq; uoluptates, atq; alimenta parant.
Lætitiam Euphroſyne, ſpecioſum Aglaia nitorem.
Suadela eſt Pithus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ mentis quoniam candore uenuſtas
Conſtat, & eximia ſimplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati: atq; arcula inanis,
Eſt Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? bis dat
Qui citò dat: minimi gratia tarda pretij eſt.
Implicitis ulnis cur uertitur altera? gratis
Fœnerat: hinc remanent una abeunte duæ.
Iuppiter iis genitor, cœli de ſemine diuas,
Omnibus acceptas edidit Eurymone.

EX marmoribus, quæ Romæ visuntur, huiusmodi subdito epigrammate longè festiuo, vt tradit Alciatus in Parerg.

Sunt nudæ Charites nueo de marmore, at illas
Diua columna suis ædibus intus habet.
Par tribus est facies, qualem decet esse sororum,
Par tribus est ætas, par quoq; forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ conuersa sorori
Implicat alternæ brachia blanda soror.
Euphrosynem dextra stupeo, Aglaiamq; sinistra
Miror, & implicitis brachia nexa modis.
Iuppiter est genitor, genuit de semine cæli
Eunomia, & Veneris turba ministra fuit.
Inde alitur nudus placida sub matre Cupido,
Inde uoluptates inde alimenta Dei.

Quoniam pars emblematis potissima, si rectè conferas, ex epigrammate adducto lucem accipit: pauca & in transcursu attingemus in ampla alioqui materia.

Lætitiam Euphrosy. De numero & nomine Gratiarum varia est autorum sententia. Orpheus in hymnis tres recensèt: Aglaiam, Thaliã, Euphrosynam, Iouis & Eunomiæ filias, sic,

Κλῦτέμοι ὦ χάριτες μεγαλώνυμοι ἀγλαότι μοι
Θυγατέρες ζηνός τε καὶ Εὐνομίης βαθυκόλπου
Ἀγλαΐη τε Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη τε πολύολβε.

Plutarchus item tres in lib. de disputatione philosophi cum principe. Sapiebat (inquit) qui Gratiis nomen indidit, Aglaiæ, Euphrosynę, ac Thaliæ. Siquidem hilarem esse & gaudere in conferendis beneficiis, id & maius est & purius. Has etiam tres inuocat Pindarus oda Olympiorum vltima

Plutarchus de Gratiis.

vltima πότνια ἀγλαΐα, φιλησίμολπε τ', Εὐφροσύνα, Θαλίατ' ἐρασίμολπε, θεῶν πρατίστε τέκνα. Id est, O venerabilis Aglaia, amabilitérque demulcens Euphrosyne, amicéque oblectans Thalia, optimi Deûm filiæ. Quidam verò, vt ait Phornutus, in lib. de nat. Deorum, duas tantùm Gratias posuerunt, innuêtes aliquos benefaciendi initium facere oportere, alios autem gratiâ referre. Homerus lib. 14. Iliados Pasitheam vocat vnam Gratiarum, quam Iuno Somno Deo in matrimonium collocat.

Nomina Gratiarũ.

Lætitiam Euphrosy. Scilicet parat. Εὐφροσύνη, bene affectam & hilarem sonat. Αγλα, vel ἄγλη splendorem significat. Θαλεία floriditatem & conuiuium lætum, ἀπὸ τ θάλλειν, id est, virescere.

Pithus.

Suadela est Pithus. Pithus generandi casus est, & est dea eloquentiæ & persuasionis. Vnde Isocrates apud Quintilianum πειθῦς δημιουργὸν, id est, persuadendi opificem, rhetoricè nominauit.

Cur nudæ. Duas affert causas cur nudæ pingantur Gratiæ. Prima: quia nihil oportet in beneficiis vltro citróque collocandis esse duplex aut tectum: sed clara omnia & simplicia.

Σιμωνίδε μέλη.

An quia. Secunda prouerbium tangit Σιμωνίδε μέλη. Id est, Simonidis cantilena. Habebat enim Simonides duas arcas, præmiorum alteram, alteram gratiarum: quas cùm aliquando aperuisset, gratiarum aculam semper offendebat inanem, præmiorum plenam. Quo significari volebat, se gratis donare nolle carmina. Sic quoque queritur Theocritus in Charitibus, qui

Arca Simonidis.

gra-

Gratias ſuas ideo nudas ait, quòd à principibus ad quos mittantur, indotatæ remittantur. Multa de Gratiis Pauſanias, & Seneca lib. 1. de beneficiis, & multi alij.

Addita cur nuper. Innuit autor nunquam depictas hactenus fuiſſe Charites pedibus alatis, ſed ſe primum hoc inueniſſe, vt talaribus illas decoratas diceret, vt locum haberet prouerbiũ, Bis dat, qui citò dat. In quam ſententiam circunfertur verſiculus Græcus,

Ἀχάρις ἀβραδύπους ἄχαρις ἐστὶ χάρις.

Vnde Auſonius,

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namq;
Cùm fieri properat gratia grata magis.

Gratus fænerat. Hoc eſt, qui primus gratiam miſit perinde fecit, ac ſi fęnori dediſſet: nam pro vna gratia duas accipiet. Cic. 1. offic. in referenda gr̃a debemus imitari agros fertiles, qui plus adferunt, quam acceperunt.

Edidit Eurynome. Quænam fuerit Charitum mater, varia eſt opinio. Nam hæc ferè nomina circunferuntur, Eurydomene, Eurynome, Eurymeduſe, Antonoe, Iuno, Euanthe, Aglaia. De quibus vide Phornutum, De natura Deorum, cap. de Gratiis.

In

In detrectatores.

EMBLEMA CLXIII.

Audent flagriferi matulæ, stupidiq; magistri
Bilem in me impuri pectoris euomere:
Quid faciam? reddámne uices? sed nonne cicadam
Ala una obstreperam corripuisse ferar?
Quid prodest muscas operosis pellere flabris?
Negligere est satius, perdere quod nequeas.

Orus Apollo de musca.

EX prouerbio, Cicadã ala corripuisti: & ex Oro Apolline lib. 1. de lite. hiero. vbi sic ait, Impudentiam si volebant significare, muscam pingebant: ea nãque abacta, continuò nihilominus reuertitur. Hæc ille. Sed hoc elegantius Homerus Iliad. 17. his verbis,

καὶ οἱ μυῖης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥ τε καὶ εἰργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο,

Ἰσιαν

Γρχανάα δακέειν, λαρὸν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπȣ.

Quæ sic verti,

Et muscæ audacis uim illi in præcordia misit:
Quæ quamuis de pelle hominis sit sæpe repulsa,
Aßilit exoptans humani sanguinis haustus.

Sancti versio.

Vide adagium, Muscas pellere. Duo sunt, inquit Plutarchus, animantium omnium, quæ nostro vtuntur hospitio, musca & hirundo, quæ nulla queunt arte cicurari. Musca ne molesti quicquã patiatur, prehensari horret: hirundo suapte natura hominem odit, &c. Sed cur muscæ tam impudenter sæpe abactæ reuolent, alia solet assignari causa, præterquam, quæ ab Homero tradita est: quòd videlicet sint obliuiosæ, nec satis meminerint quanto ex periculo se paulò antè subduxerint.

Muscas pellere.

Philon Iudæus in vita Mosis loquens de Cynomyia, Cui veram (inquit) appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, composita è duobus impudentissimus animantibus: musca & cane. Altera vincente omnes volucres temeritate: altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim intrepidè, & si quis arceat, non cedunt peruicacia, donec satientur carnibus & sanguine. At Cynomyia particeps amborum audaciæ, mordax & insidiosum est animal. Nam è longinquo cum stridore in teli morem magnóque impetu aduolat, infixáque cuti hæret pertinaciter.

Philon Iudæus de musca.

Cynomyia.

Inanis

Inanis impetus.

EMBLEMA CLXIIII.

Lunarem noctu (ut ſpeculum) canis inſpicit orbem:
Séq; uidens, alium credit ineſſe canem,
Et latrat: fruſtra agitur uox irrita uentis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

VNde ſit ſumptum nondum comperi, nihil tamen habet difficultatis. Vide adagium, Inanis conatus. Oryx genus quoddam canis apud Ægyptios. Hic, teſte Oro Apolline, Lunam exorientem adlatrat, clamoréque magno illam proſequitur: vnde pro impuritate apud ipſos Ægyptios ponitur. De Oryge agit Plinius & Ariſtoteles.

Oryx.

Aliquid

Aliquid mali, propter vicinum malum.

Προσωποποιία.

EMBLEMA CLXV.

Themistoclis 12. Apophth.

Raptabat torrens ollas, quarum una metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa: uelit sibi proxima ferri,
Iuncta ut præcipites utraq; sistat aquas.
Cui lutea, Haud nobis tua sunt commercia curæ,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam seu te nobis, seu nos tibi conferat unda:
Ipsa ego te fragilis sospite sola terar.

EX fabulis Æsopi festiuum epigramma & clarum. Titulum emblematis vide in Chiliadib. Erasmi, vbi multa præclara de malo vicino reperies ex Hesiodo, & aliis.

Cui lutea haud. Extat de hac re præstantissima Elegia Ouidij lib. 3. Tristium, Elegia 4. cuius aliquot accipe carmina,

Vstibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantúmq; potes prælustria uita:
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimùm obesse solent.

Reliqua ibi quære.

In eum qui truculentia suorum perierit.

PROSOPOPOEIA.

EMBLEMA CLXVI.

Delphinem inuitum me in litora compulit æstus,
Exemplum infido quanta pericla mari.

Nam

Nam si nec propriis Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus esse putet?

EX lib. 3. Florilegij εἰς ἰχθύας. sub incerti autoris nomine sic,

Κύματα, καὶ τρηχύς με κλύδων ἐπὶ χέρσον ἔσυραν
Δελφῖνα, ξείνης κοινὸν ὅραμα τύχης.
Ἀλλ' ἐπὶ μὲν γαίης, ἐλέῳ τόπος. (οἱ γὰρ ἰδόντες,
Εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔστεφον εὐσεβέες.)
Νῦν δὲ, τεκοῦσα θάλαττα διώλεσε. τίς παρὰ πόντῳ
Πίστις, ὃς οὐ δ' ἰδίης φείσατο συντροφίης;

Sic vertebam,

Delphinum me fluctus atrox in littora adegit:
Hospitibus sortis sic documenta dabo.
Terra tamen misero tribuit pietatis honorem:
Nam sertis decorant nostra sepulchra pij.
Nunc mare quod genuit, me perdidit: si neq; parcit
Ipse suis, ponto quæ sit habenda fides?

Sãctij versio.

Cælius Rhodig. lib. 8. antiq. lect. cap. 6. sic inquit, Extat adagium ex Plutarcho δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. Id est Delphini in terra vis, in eos, qui quod nesciunt iudicant & in quo minus valeant, toto conatu petunt. Delphinorum celeritas memorabilis est: adeò vt ocyor volucre, acrior telo credatur, teste Aristotele. Cæterùm tam stupendæ agilitatis est animal: terræ tamen contactum non patitur, quin inuectum in arenam emoritur confestim. Hæc & plura ille: qui erroris ansam è Plinij verbis (ni fallor) arripuit. Quæ verba & multos alios deceperunt. Locus Plinij talis est, cùm de Delphinis agit: Solent incerta de causa in terram erumpere, & statim tellure tacta moriuntur, multóque ocyus fistula

Delphinorũ celeritas.

Locus Plinij corruptus.

obturata. Qui locus proculdubio corruptè legitur: nam illud verbum, ſtatim, expungendum eſt è contextu: aut intelligendum, ſtato tempore. Nam emori delphinos ſtatim tacta terra falſum eſſe deprehendet, quicunque legerit attentè octauam à fine libri noni epiſtolam Plinij Cæcilij: vbi agit de puero & delphino, qui ſubinde in arenam erumpebat, tactúſque à Solis calore iterum ſe in mare recipiebat. Meminit huius rei Pincianus in Plinium & alij. Neque Plutarchus (vt ad Cælium reuertar) id vult ſignificare, Delphinum illico tacta terra emori, ſed perdere celeritatem & violentiam illam, poſtquam, in alienum elementum exceſſerit.

Pincianus in Plinium de delph.

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

In dona hoſtium.

EMBLEMA CLXVII.

Bellorum cœpisse ferunt monumenta uicißim
Scutiferum Aiacem Hectoráq; Iliacum.
Balthea Priamides, rigidum Telamonius ensem,
Instrumenta suæ cepit uterq; necis.
Ensis enim Aiacem confecit, at Hectora functum
Traxêre Aemoniis cingula nexa rotis.
Sic titulo obsequij, quæ mittunt hostibus hostes
Munera, uenturi præscia fata ferunt.

Titulus emblematis ex gręco epigrammate. Historia emblematis ex Homero Iliados 7. De quibus omnibus latè & præclarè agit Erasmus in prouerb. Hostium munera non munera. Epigrammata græca, quæ citat Erasmus inuenies lib. 3. Florilegij ~~lib. 3.~~ tit. εἰς ἥρωας. Sed quia Erasmus ex epigrammate, vnde totum sumptum est emblema, non attulit nisi postremum distichum, libuit integrum apponere. Est autem Leontiæ,

πικρὴν ἀλλήλοις Ἕκτωρ χάριν ἠδὲ φέρασσις
Αἴας ἐκ πολέμου μνῆμ' ἔπορον φιλίης.
Ἕκτωρ γὰρ ζωστῆρα λαβὼν, ξίφος ἔμπαλη δῶκεν·
Τὴν δὲ χάριν δώρων πείρασαν ἐν θανάτῳ.
Τὸ ξίφος εἶλ' Αἴαντα μεμῄνοτα, καὶ πάλι ζωστὴρ
Εἵλκυσε Πριαμίδην δίφρια συρόμενον.
Οὕτως ἐξ ἐχθρῶν αὐτοκτόνα πέμπετο δῶρα,
Ἐν χάριτος προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Pro versione sufficit emblema.

Scutiferum Aiacem. Transtulit verbum illud ex Epigrammate Græco φέρασσις, & ab Ouidio vocatur Aiax clypei dominus septemplicis. De Aiacis nomine iam alibi diximus. Est autem versiculus licentiosus & duriusculus.

Balthea Priamides. Id est, Hector, qui filius fuit Priami, vt apud Homerum sæpe legimus. Porphyrius tamen philosophus testimoniis Ibici, Alexãdri, Euphorionis, & Lycophronis probat Hectorem filium fuisse Apollinis. Hæc ex Homeri scholiaste. Iliad. 3.

Aemonia. *Traxere Aemoniis.* Æmonia, siue Hæmonia eadem est cum Thessalia: vnde Achilles duxit originem.

Sic titulo obsequij. Huic sententiæ consonat versiculus cuius autor nõ occurrit in præsentia,

Non sunt dona suis, quæ mittunt hostibus hostes.

A minimis quoque timendum.

EMBLEMA CLXVIII.

Bella

Bella gerit Scarabæus, & hostem prouocat ultrò.
Robore & inferior, consilio superat.
Nam plumis aquilæ clàm se neq; cognitus abdit,
Hostilem ut nidum summa per astra petat.
Ouaq; confodiens, prohibet spem crescere prolis:
Hócq; modo illatum dedecus ultus abit.

EX Oro Apolline lib. 1. de literis hieroglyphicis: aut ex fabella Æsopica de scarabæo & aquila. Vide adagium, Scarabæus aquilam quærit, vbi vires suas extendit Erasmus pulcherrimè. Docet, inimicum quamuis humilem, doctis & prudentibus esse metuendum.

Obnoxia infirmitas.

EMBLEMA CLXIX.

Piſciculos Orata rapit medio æquore ſardas,
Ni fugiant pauidæ, ſumma mariſq; petant.
Aſt ibi ſunt mergis fulicíſq; uoracibus eſca.
Eheu intuta manens undiq; debilitas.

Orata.

QVid ſibi vult emblema ſatis ſupérque indicat titulus. Orata, ſiue Aurata græcè χρύσοφρυς, piſcis eſt optimi ſaporis, à quo aliqui Romanorum cognomen acceperunt: vt Sergius Orata. Naturam huius piſcis vide apud Ariſtotelem lib. 8. de Hiſto. animal. cap. 15. & Plinium lib. 9. cap. 16. Macrob. Satur. 3. cap. 15.

Sergius Orata.

Sardæ.

Sardas Græci Trichias vocant. Hæ ſunt, quas Hiſpani vocant Sardinas, aut parum differunt. Vide Ariſtotelem lib. 8. de hiſto. animal. cap. 3. & 13. & Plinium lib. 9. cap. 15.

Fulica, ſeu Fulix auis marina, paulò columba maior. Plin. lib. 18. cap. 35.

Vel

Vel post mortem formidolosi.

EMBLEMA CLXX.

Ex Ælian lib. 5 cap. 1. de animal. citat Oppianum.

Vide quæ ipse Eborensis cap. de fiducia sui.

Cætera mutescent, coriumq; flebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hanc membrana ouium sic exhorrescit, ut hostem,
Exanimis quamuis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Cischas, in tympana uersus,
Bohemos potuit uincere pontifices.

IOannes Cischas, sine Zischas hæreticus quidam fuit, qui contra Christiani nominis duces sæpe feliciter pugnauit, & Bohemorum pontifices ita odio perpetuò prosecutus fuit, vt moriens iusserit ex proprio corio fieri * taratantaram, quam in bellum sui milites ferrent. Putabat enim in bello non leue momentum esse, si

Ioan. Cischas.

* vel. tympanum.

vel ipsius pellis in acie perstreperet: eúmque spes nó fefellit. Vide Æneam Syluium 3. Comment.de reb.gestis Alphonsi,& Cochlęum lib. 3.histo. Husitarum, & Bohemorum historiam, quam quia non habui ad manum cùm hæc scriberem,latius enarrare non potui.Credunt Physici, etiam post mortem durare odia illorũ,quæ natura sunt inimica.Ouis enim corium in tympanis non sonat,si tympanũ ex pelle lupi confectum pulsetur.Eodẽ pacto in fidibus citharæ, si aliqua lupina sit,cæteræ surdescunt. Sic aquilæ plumæ cómistę columbinis eas deuorant & cóminuunt. Nec desunt,qui causas explicent.

In animalibus inimicitia post mortem.

Iusta vindicta.

EMBLEMA CLXXI.

Dum

Dum reſidet Cyclops ſinuoſi in faucibus antri,
Hæc ſecum teneras concinit inter oues,
Paſcite uos herbas: ſociis ego paſcar Achiuis,
Poſtremumq; Vtin uiſcera noſtra ferent.
Audiit hæc Ithacus, Cyclopaq; lumine caſſum
Reddidit: En pœnas ut ſuus autor habet!

EX nono Homericæ Odyſſeæ: vbi Homerus latè tractat fabulam, quã nos in verba conferemus pauca, nihil quod ad fabulam pertineat omittentes. Vlyſſes dum huc illuc per mare diſcurrit vagus, in inſulas Cyclopum deuenit: relictíſque ſociis cum naui, in portu ipſe duodecim comitatus, antrum Polyphemi ſubit. Qui vbi venit è paſtu, ſaxum quod duo & viginti quadriiugi currus attollere nequirent, appoſuit oſtio. Aduenas deinde interrogat qui ſint: vnde & quò. Quibus cùm reſpondiſſet Vlyſſes, Cyclops duos è ſociis arripuit, ſolóque tãquam catulos illiſit, deuorauítque, abiítque dormitũ, quem Vlyſſes per inſidias interfeciſſet, ſi ianua poſſet aperiri aliis quàm Cyclopis viribus. De mane antequã paſtum iret Cyclops, duos ſimiliter conſumpſit, abiítque occluſa ianua. Tum Vlyſſes excęcandi Cyclopis cœpit conſiliũ. Reuerſus Polyphemus, noctu duos de more cænat. Cui Vlyſſes, quaſi ſublandiens poculũ vini porrexit (vtrem enim generoſi vini ſecum è naui attulerat) petiítque aliquod hoſpitale donũ à Cyclope. Ille exhauſto poculo, aliud poſcit, itémq; tertium, rogauítque Vlyſſem quî vocaretur. Ille dixit ſibi nomen eſſe Vtin, id eſt, nullum. Percũctanti deinde Vlyſi quodnam munus ſibi eſſet datur

Polyphemi hiſtoria.

daturus, respondit Cyclops, Οὖτιν ἐγὼ πύματόν ἔδομαι. Id est, Vtin ego postremum deuorabo. Post hæc graui somno est oppressus. Ibi tũ Vlysses & socij ingentem præustam sudem multa vi Cyclopis oculo inseruerunt. Ille præ dolore vociferãs multos Cyclopas excitauit, qui ad ostiũ foris astantes rogabant Polyphemum, quis eum percussisset: cũ ille subinde repeteret, Vtis, Vtis, id est, nullus, illi abierunt. Manè Cyclops ostio antri semiaperto pertentabat exeũtes oues. Sed Vlysses ita disposuerat negotium, vt tres arietes veherent vnum hominem subtus, ipse verò ingentem arietem subiit, extremúsque omnium exiit: & ita morti est subductus. Vide adagium Cyclopis donum.

Dum residet Cyclops. Cyclopes Hesiodus in Theogonia ideo vocatos ait, quòd vnum tãtùm oculum circularem in fronte haberent ὅτι τὸ κύκλον ἦν ὄψ. De quibus vide Virgil. Æneid. 3. & Philostratum in Iconibus, tit. Cyclops. & Alciatum lib. 9. cap. 12. Parerg.

ΟΥΤΙΣ. *Postremúmq; Vtin.* Οὖτις nullum significat, quo nomine se dixit appellari Vlysses, vt Cyclopum manus effugeret, vt patuit.

Audiit hæc Ithacus. Id est, Vlysses, qui rex erat Ithacæ insulæ.

En pœnas. Alludit ad prouerbium κακὴ βουλὴ τῷ ἑαυτοῦ κακίστη. Id est, Malum consiliũ consultori pessimum. Cicero fic. 2. Tuscul. ex Poëta Græco, Qui alteri exitium parat, eum scire oportet, sibi paratam pestem, vt participet parẽ.

Insta

Iusta vltio.

EMBLEMA CLXXII.

Raptabat uolucres captum pede coruus in auras
Scorpion audaci præmia parta gulæ.
Ast ille infuso sensim per membra ueneno,
Raptorem in Stygias compulit ultor aquas.
O risu res digna: aliis qui fata parabat,
Ipse perit, propriis succubuitq́; dolis.

EX epigrammate Græco Archiæ poëtæ in li. 1. Epigramma. Græco. tit. εἰς δίκην. Sed quia Erasmus in prouerb. Cornix scorpion, epigramma Græcum, & latinam versionẽ apposuit, hîc non scribam. Vide etiam prouerbium, Consiliũ improbi in extremum incidit malum. Addo illud epigramma Græcũ sumptum esse ex Æsopi fab

pi fabella, κόραξ καὶ ὄφις. Scorpius dicitur ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν τὸν ἰόν. Id est, ab spargendo venenum, vel ἀφ' ὃ τὸ σκαιῶς ἕρπειν. Id est, à serpendo sinistrè. De quo extant adagia, Scorpius sub omni lapide. & Scorpion pro perca.

Styx. Styx dicta ἀπὸ τοῦ στυγεῖν, id est, odio habere. Est palus inferni vt poëtæ fabulantur,

Dij cuius iurare timent, & fallere numen.

Parem delinquentis, & suasoris culpam esse.

EMBLEMA CLXXIII.

Præconem lituo perflantem classica, victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet,
Quels ille excusat: quòd nec sit strenuus armis,
Vllius aut sæuo læserit ense latus.
Huic illi: Quin ipse magis timidissime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

EX fabulis Æsopi, titulo, Tubicem. Nihil habet obscuritatis. In hanc sententiam dixit Plautus, Qui monet, quasi adiuuat. Et Lucanus,

Facinus quos inquinat, æquat.

Item Ouidius 5. de Tristib. Eleg. 15.

Qui monet ut facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Cicero in Lælio, Improbis pœna statuenda est: nec minor verò iis, qui secuti erunt alterũ, quàm iis, qui ipsi fuerint impietatis duces.

Alius peccat, alius plectitur.

EMBLEMA CLXXIIII.

Arripit ut lapidem catulus, morsuq; fatigat,
Nec percussori mutua damna facit.

Sic pleriq; ſinunt ueros elabier hoſteis:
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

ET hoc emblema ſumptũ eſt ex fabulis Æſopi. Vide adagium, Vrſus cùm adſit, veſtigia quæris. &, Cũ laruis luctari. Ariſtot. lib. 3. Rhetor. ad Theodec. cap. 4. citat Platonem in 5. de Repub. in hæc verba, Plato in libris de Repub. eos qui mortuos ſpoliarent, ſeu allatrarent (vt vertit Eraſmus) ſimiles canibus dicebat, qui iactos lapides mordent, eos verò qui lapides miſiſſent, non tangerent. Plinius lib. 29. cap. 5. Minus hoc (inquit) miretur, qui cogitet lapidem à cane morſum vſque in prouerbiũ diſcordiæ veniſſe. Sed hoc ad aliud ſpectat. Sed quamobrem miſſum lapidẽ canes ſoleant mordere, tres cauſas reddit Plutarchus in libel. De cauſis natur. Prima eſt, Canis cùm ratione nequeat vti (id enim ſoli homini datũ eſt) id quod ante oculos minaciter verſatur, inimicũ putat, déque eo ſumere vltionem parat. Secũda, cùm lapis per terram curſitat, feram putat eſſe canis, quam prius capere conatur: deinde ſpe fruſtratus hominem rurſus petit. Tertia, cùm id quod ab homine ſit miſſum, & ipſum hominem æqualiter odio habeat, id quod proximius eſt, prius inſectatur.

Canis cur mordeat lapidem miſſum.

Mutua damna facit. Facere damnum in hoc ſignificatu nõ eſt latinis vſitatum, ſed dare damnum. Nam facere damnum eſt iacturam facere. Ego ſic reponendum exiſtimo verſiculum,

Facere dãnum.

Nec percuſſori mutua damna parat.

Vide adagium, Canis in lapidem ſæuiens. Inſani

Insani gladius.

EMBLEMA CLXXV.



Setigeri medius stabat gregis ensifer Aiax,
Cæde suum, credens cædere Tantalidæ.
Hostia sic tanquam sus succedanea pœnas
Pro Laertiade, pro caueaq; dabat.
Nescit obesse suis furor hostibus, errat ab ictu,
Consiliiq; impos in sua damna ruit.

EX historia Aiacis. Aiax enim grauiter tulisse fertur Vlyssem sibi prælatum in successione armorũ Achillis, vt præ dolore in insaniã versus sit. Itaque gladio districto in gregem pecorum insiluit, existimans sese Græcorum copias cædere. Tum duos quosdam maximos sues a trabe suspensos flagris cæcidit, arbitrans hos

Aiacis historia Iliad. β. & Odyss. λ.

esse Agamemnonem atque Vlyssem. Quorum alteri, vt iudici, alteri vt victori potissimùm erat iratus. His igitur suibus plurimo cum risu exultauit, addens conuitia quæcunq; suggerebat splendida bilis. Deinde posteaquam resipuisset, partim pudore, partim metu sibi mortem consciuit. Hæc Erasmus in prouerb. Aiacis risus.

Setigeri gregis. Sophocles & alij, arietes, non sues dicunt verberasse Aiacem.

Tantalides.

Cædere Tantalidas. Agamemnonem & Menelaum, qui Atræi fuerunt filij: Atręus Pelopis: Pelops Tantali. Ad historiam allusit Plautus in Captiuis, cùm quendam insanum vellet vocare. Armenta (inquit) absunt. Aiacem, hunc cùm vides, ipsum vides.

Pax.

EMBLEMA CLXXVI.

Turrige

Turrigeris humeris, dentis quoq; barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella solet,
Supposuit nunc colla iugo, stimulisq; subactus,
Cæsareos currus ad pia templa uehit.
Vel fera cognoscit concordes undiq; gentes:
Proiectisq; armis munia pacis obit.

EX lib.1. Epigram. Græco. tit. εἰς πόλεμον. Est autem Epigramma Philippi.

Οὐκ ἔτι πυργωθεὶς ὁ φαλαγγομάχας ὀδὰξ ὅδριν
Ἄσχετος ὁρμαίνει * πυριόδμους ἐλέφας,
Ἀλλὰ φόβῳ σ' εἰλας βαθὺν ἀυλίνα πρὸς ζυγοδέσμους
Ἄντυγα δίφρηλατεῖ Καίσαρος ἡνίοχος.
Ἔγνω δ' εἰρήνης χὠ θὴρ χάριν, ὄργανα ῥίψας
Ἄρεος ἐυνομίης ἀνταναγὲς πατέρα

al. μυριόδμους.

Quando primùm iuncti fuerint Elephanti docet Plinius lib.8.cap.2.

Ex bello pax.

EMBLEMA CLXXVII.

En galea, intrepidus quam miles gesserat: & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit,
Parta pace, apibus tenuem concessit in usum
Alueoli: hincq; fauos grataq; mella gerit.
Arma procul iaceant: fas fit tunc sumere bellum,
Quando alta pacis non potes arte frui.

VNde sumptum sit emblema, nondum reperi, nec valde sui anxius in disquirendo: videtur enim commune argumentum, & fortè ipsius Alciati est inuentio. Postremum distichon ex Aristotele sumptum videtur: qui lib. Moral. ad Nicoma. 10. cap. 7. sic ait, Negotia enim suscipimus, vt in otio simus, & bella gerimus, ob eam

eam causam, vt in pace viuamus. Cicero Offi. 1. Quare suscipienda quidem bella sunt, ob eam causam, vt sine iniuria in pace viuatur.

Intrepidus quam miles. Vnde dicatur miles, visum fuit hûc afferre, eò quòd Laurentius Valla non satis intellexit Vlpiani verba l. 1. ff. de mil. testa. Miles, inquit, appellatur, vel à malitia, id est, duritia, quam pro nobis sustinet: aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites solent. Aut à Græco verbo χίλιοι, vnde χιλιαρχὸς tractũ est. Nam ita Græci τάγμα & mille hominum numerum appellant, quasi millesimum quenq; dicas: vnde quoque ducem χιλίαρχον appellant.

Miles vnde dicatur.

Ex pace vbertas.

EMBLEMA CLXXVIII.

Grandibus ex ſpicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmite uitis eat,
His comptæ Halciones tranquilli in marmoris unda
Nidificant, pullos inuolucréſq; fouent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoq; fertilis annus,
Aequorei ſi rex alitis inſtar erit.

Alcyon quo tẽpore parit.

ARiſto. lib. de natu. animal. 5. cap. 8. Genus (inquit) auium ex parte plurima vere ac ineunte æſtate coit & parit: excepta Alcyone, quæ circa brumam párere ſolita eſt. Quamobrẽ quoties bruma ſerena exiſtit, dies Alcyoneę appellantur: ſeptem ante brumam & ſeptem à bruma: vt Simonides quoque ſuo carmine tradidit: vt cùm per hybernum menſem prudenter conſtituit Iupiter dies quatuordecim, fugamq; ventorum tempus illud vocant mortales, Sacram nutricem variegatæ Alcyonis. Tranquillum verò tantiſper efficitur, ſi ita euenerit, vt bruma Auſtrina Vergiliis Aquiloniis fiat, ſeptẽ primis diebus nidum conficere fertur, reliquis ſeptem párere, atque educare. Dies Alcyonios fieri circa brumam non ſemper in noſtris locis contingit. At in Siculo mari, penè ſemper id euenit. Parit Alcyon circiter quinque oua. Vide etiam ſi placet, cap. ſequens. Alcyonem deſcribit idem Ariſtote. in eod. opere lib. 9. cap. 14. ſic: Alcyon non multò maior eſt paſſere, colore & cæruleo & viridi, tum etiã leuiter purpureo, & reliqua. Ibique de ſpecie nidulationis & partu eiuſdem leges. Vide Adagium, Halcedonia ſunt apud forum. Vbi citatur Plinij teſtimoniũ ex lib. 10. cap. 32. qui omnia ex Ariſto. ſumpſit in lo

Ut ſic:

Alcyon.

in locis citatis. Plutarchus de amore parentum in filios, mirè describit Alcyonis nidum: atque adeò ipsius verba ponam: Alcyonem fac, quęso, contemplere, quæ cùm se grauidam sentit, piscículi marini, (quem Græci Bellonam vocant) spinas in nidi structuram congerit: quas tanto artificio inter sese connectit, vt neque ferro, neq; saxis pertundi queat. Nidi forma vndique rotunda, instar piscatoriæ nassæ in longum exædificatur. At verò ipsum nidi os omnem admirationē superat. Ita ad corporis magnitudinem seruata proportione: vt nullum aliud animal, licet Alcyone minus sit, ingredi queat. Idem Plutarchus in lib. de Industria animalium, hoc prolixius exequitur. Meminit huius auiculæ D. Basilius in exaemero Homil. 8. Meminit & Æsopus in fabulis, & Lucianus. Fabulam Ceycis & Alcyonis multis verbis narrat Ouidius in libr. 11. Metamor.

Alcyonidus ex Plutarch.

D. Basilius de Alcyone

His comptæ Halcyones. Variè scriptum reperi hoc nomen: alij enim codices ἀλκυὼν cum tenui spiritu: alij cum crasso. Vnde alij scribunt Alcyon, alij Halcyon. Vide Seruium in 1. Georg. in illo versu, Dilectæ Thetidi Alcyones.

Lætus erit Cerevi. Per figuram Metonymiam dixit, vt Terentius, Sine Cerere & Baccho, friget Venus. Ceres autem dicta est, quasi Geres, à gerendo, quòd terra ferat omnia.

Ceres vnde dicta.

Doctos doctis obloqui nefas esse.

EMBLEMA CLXXIX.



Quid rapis heu Progne uocalem sæua cicadam,
Pignoribúsq; tuis fercula dira para?
Stridula stridentem, uernam uerna, hospita lædis
Hospitam, & aligeram penniger ales auem?
Ergo abice hìc prædã: nã mustica pectora summũ est
Alterum ab alterius dente perire nefas.

EX lib. 1. Epigramm. Græco εἰς ὄρνεις, incerto authore,

Ἀτθὶ κόρα, μελίθρεπτε, λάλος λάλον ἁρπάξασα
Τέτιγα, πλανοῖς δαῖτα φέρεις τέκεσιν.
Τὸν λάλον, ἃ λαλέουσα, τὸ εὔπλερον ἁ πλερόεσσα.
Τὸν ξένον, ἁ ξείνα. ἁρινὸν, ἠερινά.
Οὐχὶ τάχος ῥίψεις; ἁ γὰ θέμις, ἃ δίκαιον
Ὄλλυθ' ὑμνοπόλες ὑμνοπόλοις τόμασιν.

Alciatus

Alciatus rectè expresit Greca verba: quare versionem non apposui. Epigramma facile est, & pulcherrimis antithetis refertum. Sed vbi nunc legitur stridula stridentem, antè legebatur, stridula stridulam, idque pulchriore figura: sed quia non patiebatur carminis lex, à quibusdam fuit immutata lectio. Nam strideo primâ producit.

Hospita lædit. Hospes dicitur & qui recipit, & qui recipitur hospitio. Vnde duplex potest esse ordo in expositione. Tu hirundo, quæ aduena es, lædis illam, quæ te excepit. Nam cicada αὐτόχθων, id est, indigena est, vt alibi diximus, vel tu aduena lædis aduenam, quasi post ætatem commigrent cicadæ, alio tempore non comparentes. *Hospes.*

Ergo abiice hanc. Malè audit hirundo, quòd sit carniuora, & cicadas musicum animal venetur. Vide adagium, Hirundinem sub eodem tecto ne habeas. Adiiciam vice corollarij elegantissimum Martialis epigramma de hirundine ab aliis dilaniata, eò quòd apud nos manserit hyemis tempore: *Martialis carm. de hirund.*

Hybernos peterent solito cùm more recessum
Atthides, in nidis una remansit auis:
Deprendêre nefas ad tempora uerna reuersæ,
Et profugam uolucres diripuêre suæ.
Serò dedit pœnas: discerpi noxia mater
Debuerat: sed tunc cùm lacerauit Itim.

Eloquentia fortitudine præstantior.

EMBLEMA CLXXX.

Arcum læua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non conuenit illud
Quòd uetus & senio tempora cana gerit.
Quid quòd lingua illi leuibus traiecta cathenis:
Queis fissa facileis allicit aure uiros?
Anne quòd Alciden lingua non robore Galli
Præstantem, populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua uota trahit.

Lucianus de Hercule Ogmio.

EX Luciano sumptum in Hercule Gallico. Luciani verba sunt, Herculem Galli lingua gentis vernacula Ogmium vocant. Porrò Deum ipsum noua quadam atque inusitata figura depingunt. Decrepitus est apud illos, recaluaster, reliquis

reliquis capillis, si qui reliqui sunt, planè canis, cute rugosa, & in aterrimum exusta coloré: cuiusmodi sunt nautæ isti senes. Charótem potius aut Iapetum quempiam ex iis, qui apud inferos versantur, diceres. In summa quiduis potiùs, quàm Herculem esse coniiceres ex imagine. Atque tali specie cùm sit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus sit, tum clauam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet: tum arcum tensum læua prætendat. Denique modis omnibus Hercules est. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperā facere Gallos: quum eum eiusmodi fingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis vlciscerentur, quod olim in regionem ipsorum prædam agens id temporis, cùm Geryonis armenta vestigans, Occidentalium gentiū pleraſque regiones peruastaret. At nondum etiam dixi id quod erat in imagine maximè nouum atque mirandum. Siquidem Hercules ille senex ingētem admodum hominum multitudinem trahit omnibus ab aure reuinctis. Porrò vincula sunt catenulæ tenues auro electróve confectæ, pulcherrimis istis monilibus adsimiles. Atqui quū vinculis vsqueadeo fragilibus ducantur: tamen nihil de fugiendo cogitant: quum alioqui commodè possent, neque prorsus obnituntur, aut pedibus aduersus trahentem obtendunt, sese resupinantes: verùm alacres ac læti sequuntur, ducentem admirantes, vltrò festinantes omnes: & laxatis funiculis, etiam anteuertere studentes: perinde

perinde quasi grauiter laturi si soluerentur vinculis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omnium absurdissimum. Etenim cùm non inueniret pictor, vnde catenularum summas ansas necteret: videlicet dextera iã clauam, læua arcum tenente, summã Dei linguam perterebrauit: atque ex hac religatis catenulis eos trahi fecit. Ipse nimirum ad eos qui ducebantur vultum & oculos conuertebat arridens. Hæc ego cùm diutius assistens essem contemplatus, admirans, hæsitans, indignans, Gallus quispiam, qui propius astabat, nostratium literarum non indoctus (id quod declarauit quum Græcanicam linguam absolutè sonaret) philosophus, opinor, ex eo genere philosophorum, quod apud eos esse fertur. Ego tibi, hospes (inquit) picturæ istius ænigma explicabo: nam videre vehementer ad eam attonitus ac stupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci: verùm Herculi illam tribuimus, propterea quòd hic Mercurio longè robustior extiterit. Nam quòd senex fingitur, nihil est, quod mirêre, siquidem vna facundia consueuit in senecta demum absolutum vigorem ostendere: modò verum vestri dicant poëtæ,

Facũdia in senecta.

Obduci iuuenum densa caligine pectus:
Contrà senectam posse quiddam dicere
Rudi iuuenta melius ac præclarius.

Hinc videlicet apud vos, & Nestoris lingua mel le profluit, & Troianorum concionatores Lisioessam edunt: videlicet floridam quãdam vocem.

cem. Nam Liria, si satis commemini, flores appellantur: proinde quòd ab auribus vinctos ad linguam trahit senex hic Hercules, qui nõ aliud, quàm ipse est sermo, ne id quidem debes admirari: qui quidem non ignores, linguæ cum auribus esse cognationem. Neque verò ad contumeliam illius illud pertinet, quòd ea pertusa est. Nam memini, inquit, & Iambicos quosdam versiculos è comœdiis apud vos discere, Liria.

Siquidem uiris loquacibus
Extrema lingua perforata est omnibus.

Quin de eodem hanc in summa habemus opinionem: vt quicquid egit, id oratione facundiáque confeciſſe putemus: vtpote virum sapientẽ, ac persuadendo pleraque sibi subegisse. Iam tela illius, nimirum rationes sunt acutæ, missiles, citę, atque animam sauciantes. Vnde pennigera dicta vos quoque nominatis. Hactenus Gallus. Videto Budæum in Pandectas priores: qui hæc eadem ex Luciano fusius vertit. Huic concinit illud Salomonis, Vbi est sapientia, ibi est fortitudo. Budæum.

Cedunt arma togæ. Alludit ad illud Ciceronianum,

Cædant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Facun

Facundia difficilis.

EMBLEMA CLXXXI.

Antidotum Aeææ medicata in pocula Circes
Mercurium hoc Ithaco fama dediſſe fuit.
Moly uocant, id uix radice euellitur atra,
Purpureus ſed flos, lactis & inſtar habet.
Eloquij candor facundiaq; allicit omnes:
Sed multi res eſt tanta laboris opus.

Moly herba.

HOmerus lib. Odyſſ. 10. Vlyſſem à Mercurio accepiſſe herbam moly narrat, qua ſe aduerſus Circes veneficia defenderit: herbam porrò ſic deſcribit Homerus,

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δ' τ' ὀρύσσειν
Ανδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Sic

Sic vertit Eraſmus,

Atra quidem radix ſuberat, ſed lacteolus flos,
Moly uocant ſuperi, mortalibus ardua res eſt
Euulſiſſe uiris: cæleſtes omnia poſſunt.

Hoc Homericum moly multi ſapientiæ adumbrationem eſſe autumant: nec malè. Siquidem ſapientiæ radix amara eſt: fructus autem dulcis. Eraſmus in adagio, Qui è nuce nucleum, ad omnem diſciplinam accommodari poſſe moly, & ad virtutis quoque ſtudium cõfirmat. Quem etiam vide in prouerb. Neque mel neque apes. Hîc noſter Alciatus pulchrè herbam moly facundiæ referre ſymbolum declarauit. Nihil eſt enim inter omnes diſciplinas quod plus expetat ſibi laboris, quàm ſit orandi facultas. Sed nihil quod æquè homines ad ſe alliciat, & velut conſtrictos trahat, quàm facundia. Vnde illud Ouidij in laudem Eloquij,

Moly facundiæ ſymbolum.

Laus eloquij.

Non formoſus erat: ſed erat facundus Vlyſſes:
Et tamen æquoreas torſit amore deas.

Antidotum. De Circe, deque Epitheto Ἀαᾶς, iam alibi retulimus ex Plutarcho.

Mercurium hoc Ithaco. Plutarchus in libello de vita homeri, Prudens, inquit, vir: id eſt, Vlyſſes non poteſt huiuſmodi incantamentis irretiri: eò quòd à Mercurio, id eſt, à ratione, acceperit pharmacum.

pag. 248.

Moly uocant. Homeri Scholiaſtes locò citato μῶλυ βοτάνης εἶδος ὥρᾳ τὸ μωλύειν ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα. Id eſt, Moly herbæ genus eſt dictum ab eo quòd medicamenta valeat hebetare

betare. Plinius libro 25. capite 4. laudatissima herbarum est Homero, quam vocari à Diis putat Moly: & inuentionem eius Mercurio assignat, contráque summa veneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica radice, rotunda, nigráque, magnitudine cæpæ, folio scyllæ: effodi autem difficulter. Græci autores florem eius luteum pinxere, cùm Homerus candidum scripserit. Inueni è peritis herbarum medicis, qui & in Italia nasci illam diceret, f. mihi afferríque è Campania mihi aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas, radicis triginta pedes longæ, ac ne sic quidem solidæ, sed abruptæ. Hæc Plinius. Vide Dioscoridem lib. 3. & Ouidium libro 13. Metamorphos.

Multa & mira dicuntur de herba Baharis, quam putant esse Moly. [redacted]. vide Iosephum lib. 7. Belli Iud. Anti

Plinius lib. 30. cap. 2. vocat Cynocephaliam, & Osiritem.

Antiquiſsima quæque commentitia.

APOLOGESIS.

EMBLEMA CLXXXII.



Pallenæ ſenex, cui forma eſt hiſtrica, Proteu,
Qui modò membra uiri fers, modò membra feri,
Dic age, quæ ſpecies ratio te uertit in omnes,
Nulla ſit ut uario certa figura tibi?
Signa uetuſtatis, primæui & præfero ſæcli:
De quo quiſq; ſuo ſomniat arbitrio.

SVmptum videtur ex nominis etymologia. Nam παλαιον antiquum ſignificat. Proteus (vt inquit Iſacius Tzetzes in Lycophronem) Neptuni fuit filius, genere Ægyptius, qui ex Thracia Phlegram veniens, quæ Pallęne ciuitas eſt, Toronem Ægyptiam duxit vxorem, ex qua

liberos suscepit Tmylon & Telegonum. Hæc ille, & alia multa. Herodotus in Euterpe longam contexit de Proteo & Paride, & Helena historiam, quam omisi breuitatis gratia. Vide Diodorum Siculum in libr. 2. qui multo aliter, quàm Herodotus sentit. Philostratus in vita Apollonij in multis suffragatur Herodoto. Lucianus autem in libello de Saltatione, Saltatorem eximium fuisse ait. Ioannes Tzetzes alius ab eo qui iam citatus est, non saltatorem, sed diuinatorem per pelues fuisse dicit, aut rhetorem eximium, aut naturalem philosophum, qui posset de feris, arboribus, aquis, & igni disputare. Hæc diuersitas authorum de Proteo, maximè confirmat emblematis intentum. Nam de vetustissimis vnusquisque pro suo arbitrio, aut fabulatur, aut somniat.

Pellenæe senex. Legendum Pallenæe cum a in prima non per e. Nam Pallene in Thracia est, iuxta Macedoniam, soli tam patentis (inquit Mela) vt quinque vrbium sedes sit, atque ager. Vide Plinium lib. 4 cap. 9 Vnde Virgil.

Hic nunc Emathiæ portus, patriamq; reuisit
Pallenam.

Pellana verò seu Pellene vrbs est Arcadiæ. Vide Plinium lib. 4 cap 6. Et Ptolemæum tabula 10. Europę. Aliter interpres Apollonij li. 1. Pellene, inquit, per e, ciuitas Achaiæ: alia est Arcadiæ, & per a scribitur Pallane. Sed nos de Philigrea loquimur Pallene.

Hystrix. *Cui forma est.* Hystrica possessiuum est ab hystrio, non ab hystrix, vt imperiti putant, & interpreta

pretantur. Nam sensus est, O Proteu, qui histrionem soles agere, dum modò in ignem, modò in aquas, modò in suem vel leonē transformaris. Sic Plautus dixit, Iubet hoc Imperator histricus. Huc refer illud Luciani de Saltatione, & multa quæ Homerus cecinit de Proteo lib. 4. Odyssæ. Quæ omnia transtulit Vergil. in quartum Georgicō. Vide etiam Ouidium Fastorum 1. Visum fuit hic addere, quinam fuerint quibus se in varias figuras mutandi permissa fuerit potestas. Et hi quidem sunt, quos memini me legisse. Proteus, Thetis, de qua Ouid. lib. 11. Metamorph. Mastra, siue Triopeis, de qua idem 8. Meta. Vertumnus, de quo idem lib. 14. Meta. Periclymenus Nestoris frater, de quo idem lib. 12. Empusa, cuius meminit Lucianus in lib. citato de Saltatione. Et Aristophanes in Ranis. Vide adagium, Proteo inutabilior. Proteus autem reuera, vt Diodorus scribit, rex fuit Ægypti ideo dictus formas mutasse: quia Ægypti regibus fuerit mos, quoties in publicum prodirent, aut leonis aut tauri, aut draconis florem partem in capite ferre insignia principatus: quandoque verò arborem, quandoque ignem, quandoque redolentia supra caput vnguenta. Hæc tum ad decorem spectant, atq; ornatum, tum stuporem ac superstitionem quandam aspicientibus iniiciebat. Non inconcinnè alij scripserunt, nihil aliud poetas per Proteum voluisse significare, quàm Philosophorum illam materiam primam, quæ cùm cerni tangiue non possit, in innumeras tamen formas transit.

Proteus quis fuerit.

Insignia Poëtarum.

EMBLEMA CLXXXIII.

Gemmas clypeos sunt qui in Iouis alite gestant,
Sunt quibus aut Serpens, aut Leo signa ferunt.
Dirasti hæc Vatum fugiant animalia ceras,
Doctaq; sustineat stemmata pulcher Olor.
Hic Phœbus sequor, & nostræ regionis alumnus:
Rex olim, ueteres seruat adhuc titulos.

EMblema tum facile tum elegans est: addemus tamen aliquot poetarũ carmina (quoniam res tota est poetica) vt omnia sint explanatiora. Erasmus igitur in Tragœdiis Euripidis à se conuersis ita canit:

Erasmus.

Scitè poetas doctus appellat Maro
Cygnos, Guilielme præsulum eximium decus.
Res mira dictu: ut cuncta consensu nouo
Vati atq; olori congruant diuinitus.

Niueus utriq; candor: alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Musis uterq; gratus, ac Phœbo sacer,
Et limpidis uterq; gaudet amnibus.
Pariter canorus uterq;, tum potissimùm
Vicina seram mors senectam cùm premit.
Sed qui tenent arcana naturæ, negant
Audiri Olorem, ni sonent Fauonij.
Nil ergo mirum, barbaro hoc si seculo
Canorus olim obmutuit uatum chorus:
Cùm tot procaces undiq; obstrepant Noti,
Boreæq; tristes: inuidorum & pinguium:
Nulli fauentum prouocent Fauonij.
Quòd si bonis clementer ingeniis tua
Benignitatis blandus aspiret fauor
Ita ut fauit, tota statim Britannia
Vates uidebis exoriri candidos
Adeò canoros, atq; uocales, uti
In alta fundant astra Cygnæum melos,
Quod ipsa & ætas posterorum exaudiat.

Huc accinit Epistola elegantissima Politiani ex lib. 7. Cygno (inquit) poëta similis: vterque candidus, vterque canorus, vterque fluuios amans, vterq; Phœbo gratus. Sed negatur canere Cygnus, nisi cùm Zephirus spirat. Quid igitur mirum, si taceo tuus poëta, cùm tu tandiu non spires meus Zephirus? *Politianus de Cygno.*

Hic *Phœbo sacer.* Cygnum Apollini dicatum esse declarat Callimachus, in hymno Apollinis,

ἡ μὲν ἔφη, κύκνοισι θεὸς μέλποντες ἀοιδοὶ
Μηόνιον πάκτωλον ἑκηβόλῳ ἅρμα λιπόντες
Ἑβδομάκις περὶ δῆλον. Id est,

Sanctij versio.

Sic ait illa, Dei tunc Cygni dulcesonantes
Meonium Pactolum linquunt, terq; quaterq;
Circundant Delum.

Et paulò pòst,

Ἔνθεν ὁ παῖς τόσσας δὲ λύρῃ ἐνεδήσατο χορδὰς
Ὑστερον ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἀιεσαν.

Id est,

Tum puer in cythara tot digerit ordine chordas,
Quot fuerant matris partu modulamina olorum.

Inde est, quod Horatius in fine secundi Carminum vertitur in olorem, cùm sic ait,

Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates, neq; in terris morabor
Longiùs: inuidiáq; maior
Vrbes relinquam.

Et paulò pòst,

Iam iam residunt cruribus asperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Superné, nascuntúrq; leues
Per digitos humerósq; plumæ
Et nostræ regionis. Ouidius 2. Meta. Cygnum regem Ligurum iuxta Padum Italiæ flumen versum in olorem Phaethontis mortem dolentem ait sic,

Affuit huic monstro proles Steneleia Cygnus,
Qui tibi materno quamuis à sanguine iunctus,
Mente tamen Phaethon propior fuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio, ripas uirides, amnémq; querelis
Eridanum implerat, syluámq; sororibus auctam:
Cùm uox est tenuata uiro canæq; capillos
Dissimulant plumæ, collumq; à pectore longé

Porrigitur, digitósq; ligat iunctura rubentes.
Penna latus uelat: tenet os sine acumine rostrum.
Fit noua Cygnus auis: nec se cælóq;, Ioui q;
Credit: ut iniusse missi memor ignis ab illo.
Stagna petit, patulósq; lacus, ignémq; perosus,
Quæ colat, eligit contraria flumina flammis.

Sed audiamus etiam Maronem Æneid. 10. hæc ealem canentem:

Non ego te Ligurum ductor fortissime bello
Transferim Cygne & paucis comitate Cupauo.
Cuius olorinæ surgunt de uertice pennæ,
Crimen amor uestrum, formæq; insigne paternæ.
Nanq; ferunt luctu Cygnum Phaëthontis amati
Populeas inter frondes umbrámq; sororum,
Dum canit & mœstum Musa solatur amorem:
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, & sidera uoce sequentem.

Cicero 1. Tuscul. propter diuinationem, quam ab Apolline habere videantur (præsentiũt enim & mortem & mortis bonum) Cygnos ait Apollini dicatos. Multa de Cygno poterant hic afferri de cantu sub mortem: quod passim tangũt Poetæ, Plinius in dubium vertit. Sed omnia libens prætereo: quia non magnopere ad nostrum emblema spectant. Nodum tamen haud contemnendum proponam curiosis, quid sibi veli Verg. li. 1. & 12. Æne. & Homerus li. 15. Ili. circa finem, cùm fingunt aquilas solere cygnos insectari, atque vnguibus rapere: cùm Aristotel. li. 9. de ist. ani. ca. 12. dicat Cygnũ in certamina prouocatum aquilis solere negotium facessere, quas sæpius vincit.

Cur fingũtur Aquilæ Cygnos insequi.

Musicam diis curæ esse.

EMBLEMA CLXXXIIII.



Locrensis posuit tibi Delphice Phœbe cicadam
Eunomus hanc, palmæ signa decora suæ.
Certabat plectro Sparthin commissus in hostem,
Et percussa sonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit cùm stridere bombo,
Legitimum harmonias & uitiare melos,
Tum citharæ argutans suauis sese intulit ales:
Quæ fractam impleret uoce cicada fidem.
Quæq; allecta soni ad legem descendit, ab altis
Saltibus, ut nobis garrula ferret opem.
Ergo tuæ ut firmus stet honos (ô sancte) cicadæ
Pro citharа hic fidicen æneus ipsa sedet.

Paulus Silentiari epigr.

EX libro 6. Epigram. Græco. tit. ἀπὸ κθαρῳδοῦ, autore Paulo Silentiario. Epigamma tale est,

Τὸν

Τὸν χαλκοῦν τέττιγα Λυκώρεϊ Λοκρὸς ἀνάπτει
Εὔνομος ἀθλοσύνας μνᾶμα φιλοστεφάνου.
Ἡ γὰρ ἀγὼν φόρμιγγος, ὁ δ' ἀντίος ἵστατο Πάρθυς,
Ἀλλ' ὅκα δὴ πλήκτρῳ Λοκρὶς ἔκρεξε χέλυς,
Βραγχὸν τετρηγυῖα λύρας ἀπεκόμπασε χορδά.
πρὶν δὲ μέλος σκάζειν εὔποδος ἁρμονίης.
Ἁβρὸν ἐπετρύζων κιθάρας ὑπερέζετο τέττιξ,
Καὶ τὴν ἀποιχομένου φθόγγον ὑπῆλτε μίτου.
Τὰν δὲ πάρος λαλαγεῦσαν ἐν ἄλσεσιν ἀγρότιν ἠχὼ
Πρὸς νόμον ἁμετέρας τρέψε λυροκτιπίης.
Τῷ σε μάκαρ λητῷε τεῷ τέττιγι γεραίρει,
Χάλκεον ἱδρύσας ᾠδὸν ὑπὲρ κιθάρας.

Extat aliud epigramma lib. 4. εἰς κιθαρῴδους, incerti autoris, vbi loquitur ipse Eunomus Locrensis,

Εὔνομον ὦ πολλὸν σὺ μὲν οἶσθά με πῶς ποτ' ἐνίκων
Σπάρτιν ὁ Λοκρὸς ἐγώ. πευθομένοις δ' ἐρέω.
Αἰόλον ἐν κιθάρᾳ νόμον ἔκρεκον. ἐν δὲ μεσεύσᾳ
ᾠδᾷ μοι χορδὰν πλάκτρον ἀπεκρέμασεν.
Καί μοι φθόγγον ἑτοῖμον ὁ πανίκα καιρὸς ἀπῄτει
Εἰς ἀκοὰς ῥύθμον τὠτρεκὲς οὐκ ἔμενεν.
Καί τις ἀπ' αὐτομάτω κιθάρας ἐπὶ πῆχυν ἀναστὰς
Τέττιξ ἐπλήρου τὠτρεκὲς ἁρμονίης.
Νεῦρα γὰρ ἐξετίνασσον. ὁθ' ἑβδομάτας δὲ μελοίμαν
Χορδὰς, κἂν τούτῳ γῆρυν ἐκιχράμεθα.
Πρὸς γὰρ ἐμὰν μελέταν ὁ μεσσαμβρινὸς οὔρεσιν ᾠδὸς
Τῆνο τὸ ποιμενικὸν φθέγμα μεθηρμόσατο.
Καὶ μὲν ὅκα φθέγγοιτο σὺν ἀψύχοις τόκα νευραῖς
Τῷ μεταβαλλομένῳ συμμετέπιπτε θρόῳ.
Τοὔνεκα συμφώνων μὲν ἐγὼ χάριν. ὃς δὲ τυπωθεὶς
Χάλκεος ἁμετέρας ἔζεθ' ὑπὲρ κιθάρας.

Nos sic vertimus, tantùm vt intelligi posset, S. [illegible]ctius.

Eunomus ut Parthin Locrenſis carmine uici
Delphice ſcis: dicam iis qui mea facta rogant.
Aeolico cithara reſonabam pectine cantum,
Concentu in medio deſilit una fides.
Inde per attentas non ibat dulciter aures,
Legitimúſq; mihi non erat ille ſonus.
Tum citharæ cubito ſedit ſic forte cicada,
Vt dulcem cantum conderet harmonia.
Fracta namq; fide rÿthmum meditabar eundem
Supplere, & netes æquiparare uicem.
Ecce mihi uenit cantor de montibus altis,
Aeſtiuus, dulces concinuitq; modos.
Extinctis qui uoce leui ſua carmina neruis
Aptabat, reparans, qui periêre ſonos.
Propterea grates ſoluo tibi Delphice, noſtráq;
Aeneus hic cantor deſidet in cithara.

Strabo libro Geographiæ 6. refert Rheginum agrum à Locrenſi dirimi fluuio, cui nomẽ Alex. Cicadas autem, quæ in Locrenſi verſantur ripa ſonantius ſtridere: cùm in Rhegino ſint mutæ. Huius rei hanc eſſe cauſam cóiectat, quòd Rheginorum regio cùm ſit vmbroſa atque opaca, cicadarum pelliculas humore torpefaciat. Eaſdem in agro Locrenſi quòd ſit aprica, ſolis arefactas æſtu, ſtridorem aptius emittere. Auget autem miraculum, Rheginẽſium cicadarum etiam fabulosè celebrata vocalitas vicinarum. Nam idem Strabo Timæum citat autorẽ quondam in Pythiorum certamine. Eunomum Locrenſem, & Rheginenſem Ariſtonem, Apollinem inuocaſſe Delphicum, vt ſibi canenti foret auxilio, quòd à Delphis olim Rheginenſes eſſent.

ſent profecti. Eunomus reſpondit Rheginenſibus, ne certandum quidem omnino de muſica, apud quos cicada vocaliſsimum animal voce careret. Vtriſque certantibus cùm in Eunomi cithara vna inter canendum corda frangeretur, cicada ſuperuolans aſtitit, & vocem alioqui defuturam ſuo cantu ſuppleuit. Atque ita victor declaratus, ſtatuam citharœdi poſuit cum cicada citharæ inſidente. Huiuſmodi fermè tradit Strabo. Vide prouerbium Acanthia cicada. Et Chordæ vice. Et Cicada vocalior. Solinus cap. 8. de Italia ſic ait: Cicadæ apud Rheginos mutæ nec vſquam alibi Quod ſilentium miraculo eſt: nec immeritò: cùm vicinæ, quæ ſunt Locrenſium vltra cæteras ſonitent. Cauſas Granius tradit: cùm obmurmurarent illic Hercule quieſcente, Deum iuſsiſſe, ne ſtreperent. Itaque ex eo cęptum ſilentium permanere. Hæc Solinus. Vide Plin. lib. 11. cap. 27.

Solinus, de Italia.

Certabat plectro. Ex Græcis emendaui Parthin, licet Strabo Ariſtonem nominet, fortaſsis erat binominis.

Suauis ſeſe. Tribuunt antiqui poëtæ cicadis canendi ſuauitatem: neſcio quam ob cauſam. Nam noſtris locis & temporibus ſtreperum atque inamabilem ſonum edunt. Comparat Homerus Troianos Oratores cicadis 3. Iliad. Vide Theocritum in primo Eidilio. Tradunt nonnulli aues omnes canoras muſarum volucres appellari. At cicadas Apollini ſacras ob cantum docet Ariſtophanes in Nebulis. vbi Scholiaſt. οἱ τεττίγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ Ἀπόλλωνι. Id eſt cicadæ

Cicadis cur tributa canendi suauitas.

Vide [illegible]

cicadæ propter musicam Apollini consecrãtur.

Ergo ut tua. Ordo est, Ergo, ô Sancte Apollo, vt honos tuæ cicadæ stet firmus, id est, sit perpetuus: ipsa scil. cicada, sedet hic æneus fidicen, id est, ex ære fusus fidicen, id est, tanquam fidicen. Pro cithara, id est, super citharam, non voluit exprimere græca ὑπὲρ κιθάρας, id est, super citharam. Vel expone pro id est, ante, quod vsitatius est apud Latinos.

Litera occidit, spiritus viuificat.

EMBLEMA CLXXXV.

Vipereos Cadmus dentes ut credidit aruis,
Seuit & Aonio semina dira solo:
Terrigenum clypeata cohors exorta uirorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.

Euasere

Euasere quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraq; iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notasq; magistris
Tradidit, iis suauem iunxit & harmoniam,
Quorum discipulos contraria plurima uexant,
Non nisi Palladia quæ dirimuntur ope.

TItulus est ex D. Paulo in 2. epistola ad Corinthios cap. 3. τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Id est, Litera occidit: spiritus autē viuificat. Cuius sententiæ variæ sunt expositiones. Sunt enim qui literam interpretentur veterem legem: spiritum verò, nouam. D. Augustinus librū scripsit de Spiritu & litera. Nos verò submissiùs nos geremus: & exposita hac sententia, pingui (vt aiunt) Minerua, intelligemus totum epigramma. Literam pro ipsa scriptura accipio: spiritum pro sensu in scriptura comprehenso. Pinguius adhuc dicam. Literam voco illos, qui nullam scientiam degustarunt, nullis seriis disciplinis tradiderunt excolendos, sed grammaticis næniis armati, de constructione verbi vel aduerbij horrendas mouēt tragœdias, & circa literam ipsam digladiantur. Spiritum verò intelligo illos, qui non tantùm quid verba ipsa sonent: quantum quid habeat mysterij, mētis acie considerant, qui verè docti sunt & sapientes. Nunc Cadmi Draconísque allegoriam interpretemur ex elegantissimo doctissimóque libello Erasmi, de recta Latini, Græcíque sermonis pronuntiatione. Sic igitur ~~inquit~~ Erasmus: Narrāt Cadmum literas à Phœnicibus primùm inuexisse, eam rem fabula notatam, quæ fingit illum

Spiritus & Litera discrimen.

Erasmi interpreta. de Cadmo.

illum, serpentis extincti dentes in terram seminasse: ex hac semente subitò duas galeis & hastis armatas acies, quæ se mutuis vulneribus cõfecerint. Atqui demiror, quid hæc fabula faciat ad literas. Vr. Dicam nisi molestum est. L. Imò percupio, si graue non est. Vr. Inspexisti ne vnquã os serpentis? L. Ne cupio quidem. Vr. Mortui inquam. L. Ne mortui quidem. Vr. Si inspicias numeréque supernos & infernos dentes, tot reperies, quot literas primùm attulit Cadmus. L. Quot? Vr. Sedecim, ni fallor. Otiosæ sunt autem sicut natę sunt ordine positæ, dissipantur seminantur, atque ita demum plures numero, variéque digestæ viuunt, agunt, pugnant. Id si non credis, considera quã strage se vicissim conficiunt hodie qui literas profitentur. Et sermonem à serendo dictum aiunt Grammaticorum filij. Habes Cadmęæ serpentis allegoriam. Nunc excutiam scrupulum, qui, vti coniecto, vrit te. Tonorum ac spirituum nostras imaginarias esse lanceas & galeas exercitus. L. Rectè diuinas. Vr. Imò partes elementorum sursum eminentes, talium rerum speciem præbent. Et si diligentius contemplere, videbis illic non solùm lancearios, ac leuis armaturæ milites: verùm etiam cataphractos, clypeis, ensibus, ac ballistis instructos. Verùm harum rerum imagines melius exhibent Hæbræorum elementa, à quibus profectas fuisse literas nostras cum ipsis figuris, non absurdè quibusdam videtur. Hactenus Erasmus. Cadmi fabulã latè narrat Erasm. in Adag Bœotia auris. Vide Ouid. in princip. 3. Metamorph.

Fabula serpentis Cadmæi.

Primus

Primus Agenorides. Agenorides, id est, Cadmi genoris filius in Græciam è Phœnice sedecim ras attulit, vt refert Plinius lib. 7. cap. 56. Non tacebo incundissimos versiculos Ausonij gantissimi poëtæ. ij sunt huiusmodi,

Aut adsit interpres tuus
Aenigmatum qui cognitor
Fuit meorum: cùm tibi
Cadmi nigellas filias
Melonis albam paginam,
Notasq; furuæ sepiæ,
Gnidiosq; nodos prodidit.

Cadmi filias literas vocat: Melonis paginam, papyrum Niloticam (nam Nilo dictus fuit Melo) notas sepiæ atramentum, Gnidios nodos calamum. Hæc vide latiùs in Miscellaneis Politiani. cap. 39.

His suauem. Harmonia Cadmi vxor, fuit filia Veneris ex Marte. Hesiodus in Theogonia,

Ἁρμονίην θ' ἣν κάδμος ὑπέρβιμος ἔθετ' ἀκοίτην.

Id est,

Harmoniam Cadmus iunxit sibi fœdere lecti.

Dicta

Dicta septem Sapientum.

EMBLEMA CLXXXVI.

Hæc habeas, septem Sapientum effingere dicta,
Atq; ea picturis quî celebrare uelis.
Optimus in rebus modus est (Cleobulus ut inquit)
Hoc trutinæ examen, siue libella docet.
Noscere se Chilon Spartanus quemq; iubebat.
Vitraq; Hoc specula in manibus, ~~utraq;~~ sumpta dabunt.
Quod Periander ait, fræna adde Corinthius iræ.
Pulegium admotum naribus efficiet.
Pittacus at ne quid (dixit) nimis: hæc eadem aiunt,
Contracto qui gith ore liquefaciunt.
Respexisse Solon finem iubet. ultimus agris
Terminus, haud magno cesserit ipse Ioui.
Heu quàm uera Bias, est copia magna malorum:

Musmo

Musmoni insideat effice Sardus eques.
Ne præs esto (Thales dixit) sic illita uisco
In laqueos sociam parra, merópsq; trahit.

EX lib. 1. Epigramma. Græcorum tit. εἰς φιλοσόφους. incerti autoris,

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν οὔνομα, φωνὴν.
Μέτρον μὲν κλεόβουλος ὁ λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι γνῶθι σεαυτὸν.
Ὃς δὲ κόρινθον ἔναιε, χόλον κρατέειν περίανδρος
Ῥιττακὸς οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾷν βιότοιο, Σόλων ἱεραῖς ἐν ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ, Βίας ἀπέφηνε Πριηνεὺς.
Εγγύην φεύγειν δὲ, Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.

Id est,

Verba canam septem sapientum, nomina, & urbem.
Optima mensura est, Cleobulos Lindius inquit,
Te cognosce ipsum, Lacedæmonis incola Chilon.
Hinc Periander ait, fræna adde Corinthius iræ.
Nihil nimis est genitus qui Pittacus ex Mitylene.
Atticus hinc Solon, uitæ, inquit, respice finem.
Plena malorum cuncta, Bias canit, urbe Priene.
Non ~~Nos~~ *spondere Thales Milesius utile censet.*

Optimus in rebus. Vide Adagium, Ne quid nimis. Pindarus etiam in Pythiis hanc sententiam retulit, χρὴ δὲ καθ' αὑτὸν αἰεὶ πάντος ὁρᾷν μέτρον. *Pindarus.*

Noscere se Chilon. Vide adagium, Nosce teipsum.

Pulegium. Diximus iam nonnihil de pulegio.

Pittacus. Vide adagium, Ne quid nimis.

Contracto. Gith & nigella & papauer nigrum idem sunt Latinis. Græcis μελάνθιον, Hispanis axenus. Melanthion autē & nigella à nigro se- *Melanthion.*

minis calore dicitur. Vide Plinium lib. 20. cap. 17. & Dioscoridem lib 3 Sed pulchrè disputat in suis quinquagenis doctissimus Anton. Nebrissensis non esse idem Nigellam (quam Hispani Neguillàm dicunt) & Gith Nam nigella est in zizaniorum genere: gith verò inter fruges numeratur. Vnde Ausonius in monosyllabis,

Gith quid.

Est inter fruges morsu piper æquiparans gith.

Cùm igitur gith piperis saporem reddat, non potest ita facilè in ore contineri: præcipuè liquefactum, & corrugare facit os & nares: quo gestu significari potest, Ne quid nimis.

Respexisse Solon. Multa iam diximus de Solone. Vide adagium, Finem vitæ specta. Diximus & de termino, quo pacto solus in Capitolio Ioui noluerit concedere locum.

Heu quàm uera. Vide prouerb. Sardi venales: quanquam mihi non placet in hoc prouerbio doctissimus alioqui vir. Nam Sardos non ego illos intelligo qui habitant Sardis vrbem Asiæ, sed qui in insula Sardinia (quã Σαρδὼ appellat Stephanus) quæ pestilens est, propterea quòd editissimos habeat à Septentrione montes, qui Boreæ flatus prohibeant. Inde est, quòd Cicero monet Q. Fratrem, vt meminerit se etiam cùm rectè valeat, in Sardinia esse. Idem Cicero in 7. Epistol. volumine ad Gallum scribens de Tigellio Sardo, Id ego (inquit) in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua. Et in eadem epistola, Habes Sardos venales alium alio nequiorem. Comparat etiam Martialis Sardiniam

Sardinia.

Tigellius Sardus.

diniam Tyburi pestilente saluberrimo loco, sic: *Martialis de Sardinia.*

Nullo fata loco possis excludere: cùm mors
Venerit: in medio Tybure Sardinia est.

Non aliter rectè interpretabere Horatium in 3. Satyra, cùm inquit, Sardus habebat ille Tigellius hoc, nisi intelligas in nomine, sardus, risum subesse: nec frustra nomen addidisse patriæ poëtam. Non longè à Sardina est Corsica insula, vbi nascitur Musmon animal non absimile pecori, caprino villo, infirmissimo capite. Quamobrem auersum à Sole pasci cogendum. Ex Plinio hæc lib. 8 cap. 49. Si igitur Sardus eques, idest malus vir insideat Musmoni pessimo iumento, erit depicta copia magna malorum, *Musmon.*

Ne præsto. Vide Adag. Sponde, noxa præsto est. Parra, siue parrha, auicula est inauspicata. *Parra.* De qua Horatius in Odis, Impios parræ recinentis omen, Ducat. De Merope vide Plinium lib. 10 cap. 33. Hæ auiculæ solent religari visco, & clãgore solent attrahere cæteras sui generis, quæ cùm fauere cupiant, illigantur & illæ, capiuntúrque ab aucupe. Tales sunt debitores, qui vt sæpe explicent irretitos, alios quos possunt, fideiussores aucupãtur. Parra auis est inauspicata, quæ, *vt puto, est anas: de qua* ~~Galerita vel Alauda dicitur. Plin. lib. 11. capite 37.~~ *Alciatus sup. Aldrus allectator anas. pag. 190.*

Submouendam ignorantiam.

Διαλογισμός.

EMBLEMA CLXXXVII.

Quod monſtrũ id? Sphinx eſt. Cur candida uirginis ora
Et uolucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia: tanti
Scilicet eſt triplex cauſa & origo mali.
Sunt quos ingenium leue, ſunt quos blanda uoluptas,
Sunt & quos faciunt corda ſuperba rudes.
At quibus eſt notum, quid Delphica littera poſſit:
Præcipitis monſtri guttura dira ſecant.
Namq; uir ipſe, bipésq;, tripésq; & quadrupes idem eſt.
Primáq; prudentis laurea noſſe uirum.

EX oraculo illo celeberrimo γνῶθι σεαυτὸν: ſed aliter intellecto, quàm vulgò ſolet intelligi, vt ſtatim indicabimus. Nunc hiſtoriam referamus, vt ex probatis autoribus accepimus, non

non vt passim solet narrari. Rex Thebarum Laius Labdaci filius, Iocastam Creontis Thebani filiam sumpsit in vxorem: quam cùm ingraui-
Laius.
dasset, consuluit de prole oraculum. Cui sic
Oraculum Apollinis.
responsum fuit,

Inclyte Labdacida fœlicia pignora poscis.
Accipies natum: sed nati occumbere dextra
Te tua fata uolunt, lucemq; relinquere uitæ.
Sic Pelopis Diris assensit Iuppiter ultro.
Quels te deuouit, natum quòd ademeris illi.

Accepto Laius oraculo, volensque obstare periculo, iussit puerum exponi. Pastor cui traditus fuerat exponendus infans, misericordia motus, non abiecit illum, sed perforatis ei pedibus vimine ex arbore suspendit: vnde à tumore pedum dictus fuit Oedipus, penultima correpta. Dum ibi penderet Oedipus, pastor quidam Polybi regis Corinthiorum procul vagitus audiuit, accepit puerum, Polybóque donauit. Qui cùm filiis careret, filij loco illum educauit. Cùm tamen adoleuisset Oedipus: intellexissétque se
Oedipus
non Polybi filium esse, patrem verum inquirere statuit, eóque Delphos petit. Cui Deus in hanc sententiam respondit: Fuge templa hęc inuisa proles, qui patris tui tua occisi manu thalamos ascendes. Vtero rursus matris molestus, fratres tibi ex ea generabis. Oedipus oraculo territus, ne Polybum cogeretur aliquo casu interficere, nũquam Corinthum redire decreuit. Sed cum in Phocide obuiam illi factus esset Laius, & prior iuuenem senex curru superbus pelleret: arrepto stipite Oedipus & Laium &

dedit.

aurigã morti ~~tradidit.~~ Post aliquot deinde annos cùm Thebas pergeret, inuenit Thebanum monstrum Sphingem, quæ homines è rupibus altissimis præcipitabat, si nescissent ænigma soluere. Erat Sphinx monstrum triforme, quale depingitur ab Ausonio his versibus,

Terruit Aoniam uolucris, leo, uirgo, triformis
Sphinx, uolucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Proponebat autem omnibus tale ænigma de homine,

Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τετράπον, ἓν μία φωνὴ,
Καὶ τρίπον, ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖα'
Ἑρπετὰ κινεῖται ἀνάτ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον,
Ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον πόσι βαίνῃ
Ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτῷ.

Erasmus vertit:

Est bipes in terris & quadrupes, ~~haud eadem~~ unica cui uox,
Et tripes, immutat speciem hoc ex omnibus unum
Quæcunq; in terris reptant, aut æthera circum
Pérq; mare: ast ubi iam pedibus compluribus auctum
Accelerat gressum, uietis tum maxima membris
Segnities ac torpor adest, minimúmq; uigoris.

Oepidus, soluto problemate, præcipitatáque Sphinge Thebas intrauit, vbi filius Polybi creditus Iocastam matrem duxit, liberósque ex ea sustulit. Sed orta Thebis letali peste, responsum acceperunt Thebani, nõ cessaturã pestẽ donec Lai occisor puniretur, incæstuosumq; Iocastæ coniugiũ purgaretur. Dum quęritur Lai interfector, ecce pastor, qui Oedipodem seruauerat, nuntiat Polybum obiisse diẽ. Veniat Oedipus & regnũ patris accipiat. Sed dum sermones vltro

tro citróq; cedũt, intellexit Oedipus se patrem interfecisse, matriq; se cõiunxisse. Tum sibi oculos eruens perpetuis se damnauit tenebris. Iocasta se gladio peremit. Ipse ducente filia Antigone Athenas abiit, vbi Theseum exorauit, ne cineres suos aut sepulchrũ Thebanis indicaret.

Sphinx.

Quod monstrum. Sphinx dicitur, vt ait Moscopulus à verbo σφίγγειν, quod est constringere, vel vincire, eo quòd omnes problemate proposito ligaret. De iis ita Diodorus Siculus lib. 4. Sphinges & apud Troglodytas Æthiopésq; nascuntur, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, sed paulò pinguiores. Naturam habẽt mansuetam, & pluribus exercitiis, disciplinísq; deditam. Solinus c. 40. Inter Simias habentur & Sphinges, villosæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis obliuionẽ. Vide Plin. lib. 8. c. 21. & li. 10. c. 72. Hesiodus in Theogonia Sphingem narrat ex chimæra genitã. Vide Cælium Rhodiginum lib. 14. cap. 8. Meminit & huius Statius lib. 2 Thebaidos his verbis,

— *Contrà importuna crepido*
Oedipodioniæ domus alitis. Hic fera quondam
Pallentes erecta genas suffusáq; tabo
Lumina, concretis infando sanguine plumis
Reliquias amplexa uirũm semesáq; nudis
Pectoribus stetit, ossa premens, uisúq; trementi
Collustrat campos. Si quis concurrere dictis
Hospes inexplicitis, aut cominus ire uiator
Audeat, & diræ commercia iungere linguæ,
Nec mora: quin acuens exertos protinus ungues,
Liuentésq; manus, fractóq; in uulnere dentes

Terribili applausu circum hospita surgeret ora.
Et latuêre doli, donec de rupe cruenta
Heu stimili deprensa viro: cessantibus alis
Tristis inexpletam scopulis affligeret aluum.

Pausanias in Bœoticis ad historiam hæc refert, inquiens, Inde si proceſseris, montem videbis, à quo Sphingem aiunt desiliisse, quæ ad perdendos captiuos quæstiones proponebat obscuras. Dicunt nonnulli, nauali eam potentia instructam latrocinij exercendi causâ oberrasse, & ad mare circa Anthedonem appuliſſe. Hoc autem monte occupato, rapinis fuisse intentam, donec Oedipus eam confecerit obrutâ exercitus multitudine, quem Corintho eduxerat. Dicitur ité Laij notha fuisse filia, & edocta à Laio per bene uolentiam, quod Cadmo datum erat oraculum Delphicum. Priusquàm autem reges fierent, scire aliud nihil oportebat, quàm oraculum. Quoties itaque de regno quis litem Sphingi intenderat (nam & Laio & pellicibus liberos fuisse procreatos aiunt, & oraculum Delphicum ad Epicastem solummodo, & Epicastæ filios spectabat) hac Sphingem aiunt aduersus fratres vsam esse fraude: vt Laij stirpe si essent procreati, quod datum fuerat Cadmo oraculũ proferrent. Qui respondere non poterant, eos morte mulctabat, vt qui immeritò & de genere disceptarent & de imperio. Oedipus verò in somnis oraculum edoctus Sphingem accesit.

At quibus. Delphicam literam vocat illud nunquam satis dignè laudatum oraculum, γνῶθι σεαυτὸν, id est, nosce teipsum. Sed relicta, vt dixi, cõmuni interpretatione adeamus Ciceronem,

qui nos hoc doceat. Is igitur primo de Legibus circa finem, Philosophia (inquit) nos cùm cæteras res omnes, tum quod est difficillimum, docuit, vt nosmetipsos nosceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primùm aliquid sentiet, se habere diuinum, ingeniúmque in se suum, sicut simulachrum aliquod dedicatum putabit, tantóque munere Deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet. Et cùm se ipse perspexerit, totúmque tentarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitã venerit, quantáque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendámque sapientiam: & quæ sequuntur. Idem Cicero 1. Tuscul. Est illud, inquit, vel maximum, animo ipso animum videre. Et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt se quisque noscat. Nõ enim credo id præcipit, vt membra nostra, aut staturam figurámve noscamus: neque nos corpora sumus, neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cùm igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. Hunc igitur ~~nosce~~ nosse nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptum, sic vt tributum Deo sit, hoc est se ipsum posse cognoscere. Hæc Cicero. Nunc pingui Minerua dicamus, quid sibi velit emblema. Nam magnum inest documentum in illo. Sphinx ignorãtia est, vt iam patuit, *Sphinx ignorantia est.*

hæc præcipitat cunctos præter sapientes qui sese norunt. Clariùs adhuc dicam. Sphinx interrogat mortales, quid sit homo propriè & verè. Cúmque huic tam difficili quæstioni, pauci respondere possint, id est, cùm paucissimis sit datum nosse sese, nihil mirum est, si tam multos præcipitet ignorantia. Huic interpretationi palmam do, hîc me magnificè effero.

Mentem, non formam plus pollere.

EMBLEMA CLXXXVIII.

Ingressa uulpes in Choragi pergulam,
Fabrè expolitum inuenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum, ut spiritus
Solùm deesset, cæteris uiuiscerat.

Id

Id illa cùm sumpsisset in manus, ait:
Hoc quale caput est! sed cerebrum non habet.

SVmptum est ex fabulis Æsopicis, sed præcipuè ex fabulis Gabriæ. Vide prouerb. Caput vacuum cerebro, est enim velut plumbeus gladius in aurea vagina.

Diues indoctus.

EMBLEMA CLXXXIX.

Tranat aquas residens precioso in uellere Phrixus,
Et flauam impauidus per mare scandit ouem.
Ecquid, id est? uir sensu hebeti, sed diuite gaza,
Coniugis aut serui quem regit arbitrium.

EX Galeno in suasoria ad artes, oratione, quã posuit in principio suorum operum. Eius verba

verba scripsimus emblemate 73. Vide adagium, Ouium mores. Fabula autem Phrixi & Helles passim narratur. Vide Ouid. 3. Fastor. in fine & Pontanum in Vrania, cùm loquitur de ariete. Et Hyginum de Ariete. Et interpretem Lycophronis ferè in principio. Narrat hoc etiã pulcherrimis carminibus Hispanis meus Pylades Ioannes Mallara Hispalensis in suo Hercule, cantu 4.

In fidem vxoriam.

EMBLEMA CXC.

Ecce puella, uiro quæ dextra iungitur. Ecce
Vt sedet: ut catulus lusitat ante pedes.
Hæc fidei est species: Veneris quam si educat ardor,
Malor

Malorum in læua non malè ramus erit.
Poma etenim Veneris sunt, sic Scheneida uicit
Hippomenes, petiit sic Galathea uirum.

EX multis partibus egregium hoc concinnauit emblema vt dicemus. Pulchrè autem fidem vxoriam describit, & nullũ ferè est ociosum verbum: sed sensu tincta sunt omnia. Iungitur enim dextra, quia in dextris fides est, vt iam diximus alibi. Sedet autem ne leuitatis appareat indicium. Sedẽt enim quieti & graues. Catulus quoque fidei symbolum præfert. Sũt enim fidelissimi canes erga dominos. De quorum fidelitate multa extant exempla. Et aliqua citat Plutarchus in libello de Industria animalium. Hinc illud Horatij lib. 1. carminum,

Catulus fidei symbolum.

Ceu uisa est catulis cerua fidelibus.

Mala denique amoris sunt signa, vt ait Philostratus in Iconibus tit. Amores. Vide adagium, Malis ferire. Extat epigramma Philodemi, seu, vt Laërtius vult, Platonis ad Xanthippen sic,

Μῆλον ἐγὼ. βάλλειμε φιλῶν σέ τις, ἀλλ' ἐπίνευσον
Ξανθίππη, κ' ἀγὼ, ϗ σὺ μαραινόμεθα.

Quod sic vertit Bentinus,

Bentini versio.

Malum ego, me iaculatur, amat qui te, annue quæso
Xanthippe, tibi mox & mihi forma perit.

Sic Scheneida. Fabulam habes apud Ouid. 10. Metamorph. de Atalanta & Hippomene.

Petiit sic Galathea. Alludit ad Theocriti Eidyllia de Polyphemo & Galathea. Eidyll. 3. & 6. & 11. Virg. etiam 3. ecloga dixit,

Malo me Galathea petit lasciua puella.

Vide prouerbium, Malis ferire.

Reue

Reuerentiam in matrimonio requiri.

EMBLEMA CXCI.

Cùm furit in uenerem, pelagi se in littore sistit
Vipera, & ab stomacho dira uenena uomit.
Murænamq; iens, ingentia sibila tollit,
At subitò amplexus appetit illa uiri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniunx
Alternum debet coniugi & obsequium.

D. Basilius de vipera et murena cõiugio.

EX D. Basilio in Exaëmero homilia 7. Cuius verba latinè sic se habẽt, Vos ô viri, coniuges vestras diligite: etsi locis longinquis semoti in coniugii societatem conueniſtis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obstrictũ, vnio ac iugum distantium esto. Vipera genus serpentum

tum omnium exitiosissimum: murænæ marinæ nuptias expetit, & sibilo suo significat præsentiam eámque è gurgite vasto inuitat ad nuptiales complexus. Illa autem obtemperat & coit cũ venenato. Quid hæc mea ratio vult? Quid portendit? Siue aiper est cuiuspiam coniux, siue ferus moribus, perferat illum vxor necesse est: nec vllam prorsus ob causam societatem vinculúmque dissoluere patiatur. Ferítne, verberat, éstque percussor? At vir tamen tuus. Temulentus? At tibi est natura coniunctus. Durúsne? morosus? & implacidus? At membrum iam tuum est, & membrorum præstãtissimum. Audiat & ipse vir accommodatam, séque decentẽ admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit. Tu duritiem animi, tu ferocitatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis? Hæc ille.

Orus Apollo sic ait, Hominem cum alienigenis coëuntem significare volentes, Myrænam piscẽ pingunt. Hæc enim è mari egressa viperis admiscetur, ac statim ad mare recurrit. Confirmant hanc opinionem grauissimi autores. Oppianus lib. 1. Athenæus 7. Ælianus 12. & Nicander in Theriacis & Pli. lib. 9. cap. 23.

Murænámq; ciens. Dicitur Smyræna & Myræna & Muræna. Porrò vt illud quoq; addam: nostri cùm in hoc nomen incidunt, hispanè Lãprea interpretantur. Nam Lamprea Latinè Lampreta dicitur à lambendis petris, & Mustella etiam nominatur, vt probat autor Cornucopiæ. Muræna Hispanè, Morena. Hæc sibilo à pueris & pi

Lampreta & muræna differunt.

& piſcatoribus elicitur è mari, ſicque capitur nullo aut paruo negotio. Quod non contingit in Lampretis. Hoc de ſibillo confirmat Plinius lib. 32. cap. 2.

Coniux alternum. Hoc nomen variè ſcribitur. Scribit enim Priſcianus coniunx: Phocas, coniux à verbo coniugo. Coniuges, inquit Feſtus, quaſi eiuſdem iugi ὁμόζυγοι.

In fœcunditatem ſibiipſi damnoſam.

EMBLEMA CXCII.

Ludibrium pueris lapides iacientibus, hoc me
In triuio poſuit ruſtica cura nucem.
Quæ laceris ramis perſtrictoq; ardua libro,

Certa

Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpius? eheu,
Infelix, fructus in mea damna fero.

EX lib. 1. Epigram. Græcorum εἰς δένδρα. Est autem Epigramma Platonis, siue, vt alij sentiunt, Stratonis,

Εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν
Παισὶ λιτοβλήτῳ παίγνιον εὐσοχίης.
Πάντας δ' ἀκρεμονάς τε, καὶ εὐθαλέας ὀροδάμνους
Κέκλασμαι, πυκιναῖς χέρμασι βαλλομένη.
Δένδρεσιν εὐκάρποις οὐδὲν πλέον. ἦ γὰρ ἔγωγε
Δυσδάιμον ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν.

Actum agerem, si Latinè vertissem, cùm tam pulchrè sit redditum à nostro Alciato. Hoc solùm monendum duxi, non rectè legi in penultimo versu græco εὐκάρποις, id est bene fructificantibus, sed legendum ἀκάρποις, vel simile aliquid vt sonet (sterilibus). Latinum etiam epigramma reperi alibi citatum diuersis aliquantulum verbis. Nam in primo versu legi Lapides iacientibus in me. In tertio versu, pro perstricto erat perfricto. Ab hoc Græco epigrammate creditur Ouidius suam elegantissimam nucem sumpsisse. Pro Colchi tangit Medæam, cuius hist. nota. Progne Ithym filium ex Tereo trucidauit, patríque comedendum appo-suit.

Epigramma hoc emendatur.

Amor filiorum.

EMBLEMA XCIII.

Ante diem uernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoca & oua fouet:
Mollius & pulli ut iaceant, sibi uellicat alas,
Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet, uel te Procne improba? mortē
Cùm uoli cris propriæ prolis amore subit?

EX lib. 1. Epigramma. Græco. εἰς φιλοστοργίαν autore Alpheo.

Χειμερίαις νιφάδεσσι παλυνομένα τιθὰς ὄρνις,
Τέκνοις εὐνάιας ἀμφέχεε πτέρυγας,
Μεσφαμὶν οὐράνιον κρύος ὤλεσεν. ἦ γὰρ ἔμεινεν
Αἰθέρος οὐρανίων ἀντίπαλος νεφέων.
Πρόκνη, καὶ Μήδεια, κατ' ἄϊδος αἰδέσθητε

μητέρ

Μητέρες, ὀρνίθων ἔργα διδασκόμεναι.

Sic vertit Alphonsus Nunius Metylenensis, egregia indole iuuenis, mihíque amicus,

Gallina hybernis niuibus cooperta, cubili
Compacto ex plumis pignora chara fouet.
Donec eam sæuum frigus malè perdidit, atq;
Aethereis mansit nuda parens niuibus.
Sit pudor, ô Medæa ferox, atque improba Procne.
Et matres, uolucrum discite nunc opera.

Vertit etiam eadem carmina Fernandus Sanctius frater meus: sed velut paraphrasticè sic,

Canus December brumáq; sæuiens
Montes & agros texuerat niue,
Gallina pullos, mitis ales,
Frigore non poterat tueri,
Nec fata charis filiolis ualet
Auferre: uerùm nidificat suis
Plumis, & alas ponit, & quam
Perdiderant reparant salutem.
Ast ipsa uitam perdidit & tulit
Mortem libenter. Procne aliter tamen
Colchísq; fædare utraq; audax
Passa manus proprio cruore.

Eiusdem aliter:

Bruma fremebat atrox, pennas gallina reliquit,
Frigus ut à natis pelleret atq; obiit.
Hinc Medæa ferox, hinc Procne discite: namq; hæc
Bis uitam pullis præbuit ac moritur.

Pietas filiorum in parentes.

EMBLEMA CXCIIII.

Per medios hosteis patriæ, cum ferret ab igne
Aeneas humeris dulce parentis onus,
Parcite (dicebat) uobis sene adorea rapto
Nulla erit: erepto sed patre summa mihi.

EX lib. 1. Epigram. Græco. εἰς φιλοστοργίαν incerti autoris,

Ἐκ πυρὸς Ἰλιακῆς, δοράτων μέσον ἥρπασεν ἥρως
Αἰνείας ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
Ἐκλαγε δ' Ἀργείοις μὴ ψαύτε μικρὸν ἄρη
Κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ ὃ φέροντι, μέγα.

Marullus.

Cùm ferret medios proles Cytherea per hostes
Impositi collo languida membra patris,

Parc

Parcite, ait, Danai, leuis sene gloria rapto,
At non erepto gloria patre leuis.

Adorea id est, gloria vel decus. Plinius lib. 18. cap. 3. Gloriam (inquit) ipsam à farris honore adoream appellabant. Similia exempla filiorum qui pij fuerint in parentes, habes apud Aristotelem in lib de Mundo ad Alexandrum in ipso fine. Et apud Herodotum in prima historia, de Bithone. Nemo enim Deum rectè colere potest, si impius in parentes fuerit. Adorea. ^ Vt retulimus sup. pag. 445.

Mulieris famam, non formam vulgatam esse oportere.

DIALOGISMVS.

EMBLEMA CXCV.

Alma Venus quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexúmq; referri
Fœmineum, nostra iussit ab effigie.
Quódq; manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Suppositi pedibus talia signa meis.

PAusanias in Eliacis posterioribus, Area, inquit, templo sacrata sub diuo, non longè abest. Quæ ibi colitur, Cælestem Venerem vocant. Eius ex ebore & auro signum est, Phidiæ opus: altero pede testudinem premit. Area ipsa maceria est circumsepta: intra maceriã crepido, super qua Veneris (quam Popularem nominãt) signum ex ære capro insidet ex eadem fabricato materia, Scopæ opus. Quæ vel testudinis vel capri ratio sit, quibus hæc perscrutari curæ est, quærendum relinquo. Hæc Pausanias, qui nobis indicare noluit quare testudinem calcaret Venus. Quare Plutarchum adeamus, à quo sumptum emblema est. Is igitur in præceptis connubialibus refert, Phidiam Elienſibus Venerem ita finxisse, vt testudinem calcaret, tacitè significans, vxoribus domi manendum esse, silendúmque. Vide prouerbia, Domus amica. Domus optima. Et, Spartam nactus es, hanc orna. Et, Mulierẽ ornat silentium. Titulus emblematis verba sunt Euripidis, vt testatur Alciatus in lib. de verbo. signif.

Venus cur calcat testudinem.

In

In pudoris ſtatuam.

EMBLEMA CXCVI.



Penelope deſponſa ſequi cupiebat Vlyſſem,
Ni ſecum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Sparten. manet anxia uirgo,
Hinc pater, inde uiri mutuus urget amor,
Ergo ſedens uelat ultus, obnubit ocellos.
Iſta uerecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyſſem,
Hócq; pudoris aram ſchemate conſtituit.

SVmptũ ex Pauſania in Laconicis, cuius hęc ſunt verba: Abeſt à Sparta ſtadia circiter triginta, Pudoris ſimulachrum. Icarij domum eſſe ferunt, & hanc celebrant dedicationis cauſam. Cùm Icarius Vlyſsi Penelopen filiam nuptum

dediſſet, Vlyſsis animum tentauit, nunquid Lacedæmone domicilium habere vellet. Quæ ſpes vbi hominem fefellit, filiam orare cœpit, ne ſe deſereret atque vt ſecum permaneret. Quin & Ithacã iam proficiſcentem in curru proſequutus, multis eam ſollicitabat precibus. Vlyſſes tandem victus hominis importunitate; puellæ optionem dedit: vel ſe vt ſequeretur, ſi id mallet: vel cum patre Lacedæmonem rediret. Ibi illam, aiunt, nihil ſanè reſpondiſſe, ſed faciem tantùm velaſſe: Icarium, cùm ſibi propè noſſe videretur quid illa animi haberet, vt cum Vlyſſe abiret, permiſiſſe. Signum verò pudoris ea in vię parte dedicaſſe, quo Penelope cùm faciem velauit, peruenerat. Hæc ille. Vide adagium Pudor in oculis. Icarius pater Penelopes, princeps Spartæ fuit. Vlyſſes verò, Ithacæ rex.

Signum pudoris.

De nomine Penelopes Zazes in Lycoph. pag. 111.

Nupta

Nupta contagioso.

EMBLEMA CXCVII.



Dij meliora piis (Mezenti) cur age sic me
Compellas? emptus quòd tibi dote gener,
Gallica quem scabies dira & mentagra perurit:
Hoc est quidnam aliud (dic mihi sæue pater)
Corpora corporibus, quàm iungere mortua uiuis,
Efferáq; Hetrusci facta nouare ducis?

QVi filiam suam homini contagioso in matrimonium collocat, aptè vocabitur Mezentius, qui vt est apud summum poëtam, viuos homines mortuis alligabat, & in misero complexu, fœtore & intolerabili tædio emori sinebat. Virgilij verba sunt octauo lib. Æneid. *Mezentij crudelitas.*

Quid memorem infandas cædes, quid facta tyranni

Effera: Dij capiti ipsius generiq; reseruent.
Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora.
Tormenti genus: & sanie taboq; fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Dij meliora. Hemistichium est Vergilianum ex 3. Georgicon,

Dij meliora piis, erroremq; hostibus illum.

Verba sunt puellę desponsatæ ad patrem, quem figuratè vocat Mezentium (olim Tyrrhenorum regem, deorum omnium, hominúmque contemptorem) cui respondet pater, Cur me compellas hoc insolito nomine?

Gallica quem scabies. Gallicam scabiem Hispani vocant Buuas: alij vocant Neapolitanam scabiem: alij Italam: quia incertum erat, vnde tantum malum habuisset originem. At verò iam liquet ab Indis Occidentalibus primùm hãc pestem adductam ab Hispanis, & Neapoli (vbi tũc agebat Rex Fernandus) esse primùm disseminatam.

Gallica scabies vnde primùm ceperit.

Mentagra. Ex mento & ἀγρεύειν, id est, expiscari, seu venari, quòd mentum venetur. Plinius lib. 26. cap. 1. Sic chiragra, & podagra.

ARBORES.

Cupressus.

EMBLEMA CXCVIII.

Indicat effigies metæ, nomenq; Cupressi
Tractandos pari li conditione suos.

ALIVD.

Funesta est arbor, procerum monumenta Cupressus,
Quale Apium plebis, comere fronde solet.

ALIVD.

Pulchra coma est, pulchro digestæq; ordine frondes,
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

TRia proponuntur epigrammata: quia tria poteſt Cupreſſus ſignificare. Primum ex ipſius

Cupreſſus tria poteſt ſignificare.

ipsius figura & nomine intelligamus esse emblema illorum, qui suam familiam, & omnes suos pari quadam conditione regunt. Nam meta(cuius effigiem reddit cupressus) terminus est cuiuscunque rei. Et metaphoricè terminum accipimus pro certo aliquo regimine & fine. Nomen præterea Cupressi græcè sic deducitur κυπαρίσσος, ἀπὸ τοῦ κύειν τὰς ἀκρεμόνας, id est, Cyparissus, inde nomen accepit, quòd producat ramos æquales.

παρίσσος

ALIVD.

Cupressus symbolum mortis.

Funesta est arbor. Cupressus etiam symbolum præfert mortis: quia, vt inquit Festus Pompeius lib. 3. Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia huius generis arbor excisa nõ renascitur: sicut ex mortuo nihil iam est sperandum. Quam & ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur. Hæc Festus. De hac Ouidius,

Luzebisq; alios aderisq; dolentibus, inquit.

Et Claudianus lib. 2. de raptu,

— *Tumulos tectura cupressus.*

Cupressus diutiũ monumẽta exornat.

Epigrammatis sensus est: Cupressus diuitum & magnatum monumenta & sepulchra exornat, quemadmodum & apium plebis monumenta fronde sua comit & exornat. Vnde Lucanus in 3. dixit,

Et *non plebeios luctus testata cupressus.*

Error Alexandri ab Alexand.

Vide adagium, Apio opus est. & Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 7. qui etsi vera dicit de apio, locum tamen Ciceronis nimis putidè interpretatur, cùm Cicero de Appio Pulchro intelligat.

Aliud

ALIVD.

Pulchra coma est. Tertiò cupressus significat res dictu quidem magnificas ac præclaras, sed inutiles. Ita Phocio apud Plutarchum Leosthenis verba cupressis similia esse dicebat Nã cupressi cùm pulchræ sint & sublimes, fructum non habent. Vide adagium, Cypariſsi fructus. Cypariſsi fabulam habes apud Ouid. lib. 10. Metam. & apud Cassium Dionysium lib. 11. de Agricultura cap. 5. Detorqueri etiam potest in viros bene formatos, aut mulieres pulchrè comatas, cæterùm nullius frugis.

Quercus.

EMBLEMA CXCIX.

Grata

Grata Ioui est quercus, qui nos seruatq; fouetq;,
Seruanti ciuem querna corona datur.

ALIVD.

Glande aluit ueteres, sola nunc proficit umbra.
Sic quoq; sic arbos officiosa Iouis.

Quercus salutis emblema.

QVercus primò salutis est emblema: quia qui Romanum ciuem in bello seruabat, coronam quernam accipiebat, quæ Ciuica vocabatur. Causas reddit Plutarchus in problematis: quòd vbique in expeditionibus facile sit quercum inuenire. Vel quòd Ioui & Iunoni, quos vrbi præsidere putabant, corona consecrata est. Vel mos ab Arcadibus est acceptus, quibus est quædam cum hac arbore cognatio. Vt enim primi homines ex terra Arcades: sic quercus prima ex omnibus plantis nata. Hæc Plutarchus. Vide Plinium lib. 16. cap. 3. & 4. Vide adagium, Annosam arborem transplantare. Et Multorum festorum Iouis glandes comedit. Quercus Ioui sacra, in ea enim oracula in Dodona sylua reddebat. Virgil. 2. Georgic.

ALIVD.

Glande aluit. Secundò quercus symbolũ erit illius, qui multa gessit præclara facinora. Sed iã nomine tantùm & fama durat, qualis describitur à Lucano Gn. Pompeius in 1. Pharsal. Stat (inquit) magni nominis vmbra, &c.

Salix

Salix.

EMBLEMA CC.

Quòd frugiſperdam ſalicem uocitarit Homerus, Clitoriis homines moribus adſimilat.

SAlix quia fructum perdit, refert homines puerorum amoribus deditos, qui filios procreare contemnunt. Nam κλειτοριάζειν vulgato conuitio dicebantur ij, qui puerorum amoribus oblectarentur. Vide adagium κλειτοριάζειν. *Salix quid refert.*

Locus Homeri eſt Odyſſ. 10. in fine ſic,

Κλήθροις αἰγείροι τε καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Populus & ſalices plantæ fructum perimentes.

Aſſerit Caſsius Dionyſius lib. 11. cap. 13. tritum & in potu acceptum ſalicis fructum homines ſteriles *Salicis fructus.*

steriles efficere. Et citat Homeri versiculum.

Theophrastus de salice.

Theophrastus li. 3. cap. 2. de historia plantarum, Salicem, inquit, celeriter fructum (antequam in plenum crassetur, percoquatúrque) dimittere asseuerant. Quamobrem Homerum haud improbè Frugiperdam hanc appellasse inquiunt. Vide Plinium lib. 16. cap. 26. Et Ælianũ lib. 4. cap. 22. histor. animal.

Abies.

EMBLEMA CCI.

Apta fretis abies in montibus editur altis:
Est & in aduersis maxima commoditas.

Abies

ABies imperitè dicitur Hiſpanè *la haya*. Nam propriè quædam ſpecies pini eſt, quæ Hiſpanè *abeto* dicitur: ex hac olim fabricabantur naues. Vnde etiam pinus pro naui vſurpatur. Symbolum igitur præfert abies commoditatis in rebus aduerſis, ducta ſimilitudine à maris tempeſtate, & ab ipſa naui in qua ſeruamur.

Apta fretis. Verba Claudiani 2. de Rapt.

Apta fretis abies bellis accommoda cornus.

Vergil. 1. Georg.

— *Et caſus abies uiſura marinos.*

Idem,

Populus in fluuiis abies in montibus altis.

Vide Plinium lib. 16. cap. 10.

Picea.

EMBLEMA CCII.



At picea emittat nullos quòd ſtirpe ſtolones:
Illius eſt index, qui ſine prole perit.

VIde adagiũ, Pinus in morẽ. Scholiaſtes Homeri li. 1. Iliad. ἡ δὲ πεύκη κοπεῖσα ἐν ἀνέμοις βλαστάνει· καὶ τὸ δάκρυον αὐτῆς ἐστι πικρὸν, ἡ πίσσα. Hoc eſt, picea ſucciſa non remittit ſtolonem: & lachryma eius eſt amara, quæ eſt pix. Vide Plinium lib. 16. cap. 10. Pinus ex altis montibus in ima flumina, melioris vſus gratia, deturbatur. Leuis enim viſcoſáque eſt, materiáque nauigiis fabricandis aptiſsima. Locum igitur pleriſque mutare expedit, & ab eminentiori ſtatu ad humiliorem deuolui vtilitatis cauſa.

Coron

Cotonea.

EMBLEMA CCIII.

Poma nouis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus constituisse Solon.
Grata ori & stomacho cùm sint, ut & halitus illis,
Sic suauis, blandus manet & ore lepos.

EX Plutarcho in principio præceptorum connubialium. Cuius hæc sunt verba: Solon iubebat sponsam non prius cum sponso concubere, quàm malum cotoneum delibasset, innuens, vt videtur, primam gratiam, quæ ab ore vocéque sponsæ dimanat, bene compositam & aptã & suauem esse oportere. Hęc Plutarchus, qui etiam huius rei meminit proble. 65. Nota.

Cotonea mala & Cydonia mala idem, Hiſpanè *membrillo*. Hæc cor reficiunt & ſuauem halitum ori inſpirant. De Cotoneis Plin. lib. 11. cap. 17.

Cotonea mala.

Hedera.

EMBLEMA CCIIII.

Haudquaquam arceſcens hederæ eſt arbuſcula, Ciſſo
Quæ puero Bacchum dona dediſſe ferunt:
Errabunda, procax auratis ſulua corymbis,
Exterius uiridis, cætera pallor habet.
Hinc aptis uates cingunt ſua tempora ſertis:
Palleſcunt ſtudiis, laus diuturna uiret.

Hede

HEdera emblema & symbolum poetarum est propter causas quas hic Alciatus enumerat: quarum prima est, quia semper viret: secunda, quia munus Bacchi, deinde, quia sit errabunda & procax, & fulua, id est, pulchra & viridis vt fama poetarum: & pallida vt poëtæ præ nimio studio pallere solent. Hedera græcè κισσὸς, adolescens antea fuit, & Bacchi Saltator: qui cùm coram Deo tripudiaret, ad terram pro lapsus est, & interiit. Terra autem in honorem Bacchi florem produxit adolescenti cognominem, & iuuenis germina in plantæ germine conseruauit. Quod vbi ex terra progressum est, vitem amplectitur, eo modo quo adolescens Bacchum in tripudiis amplecti, & circumplicare consueuerat. Hæc ex Casio Dionysio, de agricultura. lib. 11. cap. 130.

Hedera cur symbolū poëtarum.

Ludit adhuc, casusq; memor uagus arbore Cissus,
Mille manus quærit nectere mille pedes.

Vide adagium, Hedera lasciuior. Et Hedera post Antisteria. & Plinium lib. 16. cap. 34. Ouidius 3. Fasto.

causas reddit, quare sit
hedera Baccho
gratissima.

Ilex.

EMBLEMA CCV.

Duritie nimia quòd sese rumperet Ilex,
Symbola ciuilis seditionis habet.

Ilex seipsam rupit.

SVmptum est ex Aristote. li. 3 Rhet. ad Theodecten. Cuius verba sunt, Pericles Bœotios πρίνους, id est ilicibus dicebat esse similes: nam ilices seipsas rumpunt, & Bœotij inter se bella gerunt. Ilex Græcè πρῖνος, Hispanè *mesto, o coscoja*. Vide Plinium lib. 16. cap. 8.

Mala

Malus medica.

EMBLEMA CCVI.

Aurea sunt Veneris poma hæc: iucundus amaror
Indicat, est Græcis sic γλυκύπικρος amor.

MEminimus huius emblematis in amoris scuto, in illis verbis, Iucundus labor est lasciua per otia &c. Confer vtrunque.

Amor solet à poëtis vocari γλυκύπικρος, quasi dulce amarus. Id quod indicat Gale. lib. 3. de simpl. medic. facul. cap. 16. Si parem (inquit) absinthij potionem melli exquisitè commistam linguæ imponas, γλυκύπικρον (quemadmodum poëtæ cognominant amorem) quod ex ambobus mistum fuerit videbitur. Hæc ille. Musæus,

Ἡδὺ γὰρ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων.

Malus medica.

Malus medica vel Assyria. Hispanè *cidra.* Ex Theophrasto lib. 4. cap. 4. ex Plinio lib. 12. cap. 3. Sed Plinius & Theophrastus possunt emendari ex Athenæo lib. 3. Nam diminuti sunt in hac parte. De malo hac medica loqui Virgilium (quidquid ganniant Commentatores) clarè docet Athenæus. Carmina Vergil. 2. Georg. sic se habent,

Plinij locus emendatur ex Athenæo.

Media fert tristes succos tardumq; saporem
Fælicis mali, quo non præsentius ullum
(Pocula si quando sæuæ infecêre nouercæ,
Miscueruntq; herbas & non innoxia uerba)
Auxilium uenit, & membris agit atra uenena &c.

Buxus

Buxus.

EMBLEMA CCVII.

Perpetuò uiridis, criſpoq; cacumine buxus,
Vnde eſt diſparibus fiſtula facta modis:
Delitiis apta eſt teneris, & amantibus arbor.
Pallor ineſt illi, pallet & omnis amans.

BVxus arbor eſt pallidi coloris: vnde fiunt fiſtulæ & multa ludicra pueris apta, & puellis amatis gratiſsima: quare amantium erit ſymbolum: quia etiam amantes pallent & muſicis & ludicris delectantur. *Buxus.*

Criſpoq; cacumine. Claudianus 2. de Rapt.

—Hinc denſo criſpata cacumine buxus.

Pallet & omnis. Quid. 1. de Arte,

Palleat omnis amans: color est hic aptus amanti.
Vide Plinium lib. 16. cap. 16.

Amygdalus.

EMBLEMA CCVIII.

Cur properans foliis præmittis amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

EX prouerbio, Odi puerulos præcoci sapientia. Vide etiam prouerbium Ante barbam doces senes. Et Ergini cani. Illud ingeniorum velut præcox genus (inquit Fabius) non temere vnquam peruenit ad maturitatem. Vide adagium, Festina lentè, in fine. Amygdala (inquit Plinius) floret prima omnium mense Ianuario.

Lib. 1. ca. 3.

nuario. Vide lib. 16. cap. 25. & 26. Sunt qui amygdala neutro genere proferunt. A Virgilio dicitur nux plurima, ab aliis nux græca. Hoc emblema præposui moro, nec sequutus sum ordinem pristinum. Amygdala (teste Alexandreo) dicta sunt παρὰ τὸ ἐν τῷ μετὰ τὸ χιτῶνα ὡς περὶ ἀμυχὰς ἔχειν πολλὰς. quod multas contineat in osse scissuras.

Morus.

EMBLEMA CCIX.

Serior at Morus nunquam nisi frigore lapso
Germinat: & sapiens nomina falsa gerit.

PLinius lib. 16. cap. 25. Sicuti morus, quæ nouissima vrbanarũ germinat: nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum. Hæc Plinij verba multos deceperunt, putantes Et per Antiphrasin dici morum, quia μῶρος Græcè stultũ significet. Nos autem alibi disputauimus ridiculam esse

Et *sapiens*. Μῶρος apud Græcos stultum significat. Et licet hæc arbor stulta nomine dicatur, per antiphrasin tamen sapiens dicitur. Flores enim fructúsque ab hiemis injuria præseruat. Vide adagium Maturior moro. Vide Ouid. lib. 4. Metam. in fabula Pirami.

Laurus.

EMBLEMA CCX.

Præscia uenturi laurus, fert signa salutis,
Subdita pulsillo somnia uera facit.

ALIVD.

Debetur Carolo superatis laurea Pœnis.
Victrices ornant talia serta comas.

Laurus

LAurus emblema salutis est: quoniam domum (vt aiunt) à fulmine securam præstat. Vnde legimus solitum Tiberium Cæsarem lauream coronam gestasse, præcipuè cùm tonabat. Creditur laurus & aduersus venena remedium habere. Vnde prouerb. Laureum baculũ gesto: de iis qui aliquot insidias effugerunt. Vide Plinium lib. 15. cap. vlt.

Subdita pulvillo. Hoc sumpsit ex Fulgentio in Mythologicis. Ait enim laurũ esse sacram Apollini, propter vim insitam diuinandi. nam si illam sub ceruicali ponas, somnia erunt rata. Fides sit penes autorem. Item Macrob. Saturnal. 6. ca. 4. Laurus græcè δάφνη ἀπὸ τοῦ δαίνειν intensiua particula, & φαίνειν loqui vel canere. Vnde δαφνηφάγοι dicuntur vaticinantes & poëtæ. Iuuenalis,

Vnde dicatur Laurus

— *Laurúmq; momordit*
Præscia uenturi. Claudianus,
— *Venturi præscia laurus.* Laurũ Græci vocant μαντικὸν δένδρον

ALIVD. Vnde Thocai in vita Virgilij: Facta est interpretatio lauro Carta parens: Virgil. in Cir. Candida cæsaries florens interpretatio lauro. sic enim legit Scaliger.

Debetur Carolo superatis laurea Pœnis.
Victrices ornent talia ferta comas.

Laurum victoriæ insigne semper fuisse, notius est, quàm vt indicari debeat. Vide Ouid. 1. Metamorph. in transformatione Daphnes.

Popu

Populus alba.

EMBLEMA CCXI.

Herculeos crines bicolor quòd populus ornet,
Temporis alternat, noxq; diesq; uices.

Populus tẽporis symbolum.

POpulus arbor, temporis symbolum. Nam tempus ex diebus & noctibus constat, quæ per populi folia significantur: nigricantia enim sunt, & altera parte albicantia. Et Hercules ipse tempus est: ideo coronam populeam gestat. Hinc Vergil.

— *Populus Alcidæ gratissima.*

Vide Plinium lib. 12. cap. 1. Virg. 8. Æneid.

Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra

FINIS.

Velauitq; comas, foliisq; innexa pependit.

FINIS

INDEX PRAECIPVORVM, QVÆ HIS COMMENTARIIS habentur.

A

ABdomen quid, & unde dicatur. 287
Abietis emblema. 544
Achilles cur Peleus etiã dicatur, & Aeacides. 4
Achilles cur à Chirone erudiri fingatur. 424
Achiles cur per simplex l. scribi deberet. ibid.
Achillis educatio. ibidem
Achillis sepulchrum. 187.
Actæonis fabula. 194
Adolescentis est multa audire, loqui autem pauca.
Adonidis fabula. 251.252
Adorea quid. 335
Adulatoris & amici discrimen. 153.154
Aemulatio impar. 411
Aesculapij historia. 429
Aesculapius quid, & eius draco. 428.429
Aesculapij autoritas. 429
Aesculapio anguis dicatus. 431
Aether quid, & unde dicatur. 71
Aethiopem lauare. 209. et unde dicatur. 210
Aëtius dux Romanus. 375
Agamemnon unde dictus. 203
Aiax unde dicatur. 125
Aiacis insania unde. 481. & seq.
Aiacis mors. 482
Alauda pro legione. 114
Alauda & Galerita idem. 319
Alces figura ex Plinio. 20. eius in pascendo modus. 21
Alciatæ gentis insignia. 19
Alciati patriæ insigne. 17

Aiax. 122. J. 186

Eiusdem

Eiusdem patriæ origo. 17
Alciatus Mediolanensis. 5
Alciati encomia. 5
Alciati lapsus. 129
Alcyon uel Halcyon scribitur. 487
Alcyon quo tempore pariat. 486
Alcyonis nidus, & eius mira structura. 487
Alexandri uetus numisma. 10
Alexander Pelæus quare ita dictus. 11
Aliquid mali propter uicinum malum. 465
Alius peccat, alius plectitur. 479
Alphonsi Sanctij Balleſtæ laudes. 162
Alter Ianus. prouerbiũ. 86
Ambigatus rex. 17
Amaltheæ cornua quid. 352. & seq.
Amaranthi flos cur supra monumenta olim ponebatur. 397. & seq.
Amaranthi natura & uirtus. 398
Amicitia etiam post mortem durans. 453
Amici quales quærẽdi. ibid.
Amygdali arboris emblema. 554
Aminimis quoq; timẽdum. 470
Ammos quid. 11
Ἀμνησία quid. 395
Amor uirtutis Cupidinem superat. 330
Amor an deus sit. 335. 336
Amor carnalis ex Seneca. 338
Amor labor iucundus. 339
Amor melle & felle est fœcundißimus. 340
Amor filiorum. 530
Amoris potentißimus affectus. 320
Amoris pictura. 337. 338
Amoris & Mortis error. 439. 440
Amoris illecebræ. 343
Amoris antiquitas. 339
Amuletum quid. 257
Anchora quid in insignibus. 416
Anchoræ orthographia. 417
Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. 153
Angerona dea. 57
Anguillam folio ficulneo tenere. 95
Anguillarum natura. 275

Anguillas captare, prouerb. ibid.
Anguifer Dux quis. 192
Animalium inimicitia post mortem. 474
animi sedes ex Cicerone. 298
Animum animo uidere. 521
Antequã incipias cõsultò: & ubi consulueris lentè, maturè facto opus est, prouerb. 93
Anteuorta & postuorta apud Romanos religiosè cultæ. 86
Antigoni Maced. regis responsum de mouendis castris. 59
Antiochi bellum in Galatas 365.366 & seq.
Antiquissima quæq; commentitia. 498
Antonius primus currui leones subegit. 128
Antonius pestis Rom. dictus. 129
Anulorum usus unde. 313
Apes solæ ex brutis regem habere dicuntur. 426
Apum rex an aculeum habeat. 427
Apellis pergula. 362
Apicij guloſitas, & eius mors. 282. Idem de guloſtate libros scripsit. 283
Apis & Cupidinis collocatio. 334
Apis in adulteros sæuitia. 334
Apollinis oraculũ de Oedipo. 517
Apollinis responsum. 296
Aquilæ cur cygnos insequãtur. 503
Aquilæ & scarabæi fabula. 470. & 471
Arcades antiquissimi. 401
Archilochi maledicentia. 192
Ardelionis descriptio. 265
Ardeolarum tria genera. 264
Arduis ex rebus nomẽ petuum. 385
Aries uir gregis. 242
Arionis historia. 277. 278
Aristij tumulus. 442
Aristomenis laudes ex Plinio. 150. & 151. eius cor hirsutum. ibidem
Aristomenis historia. 140. 141. 142 & sequ. eius mors. 150

Aristotelis locus explanatus. 249
Idem memoria lapsus. ibid.
ars naturam adiuuat. 300
artes ex cerebro Iouis prouenire quid sit. 13
aruum genitale. 251
arx Athenarum Ascropolis 66
asinus portãs mysteria. 40
asto auis. 221
Ate Iouis nuncia. 382
Ate, calamitas & nocumentum. 384
Ates fabula. 382. & seq. un de dicatur. 384
Athenæ ex Mineruæ nomine sic dictæ. 31
Athenienses uolatum noctuæ pro uictoriæ symbolo habebant. 89
Atheniẽses αὐτόχθονες cur dicerentur. 399
Attilæ seu Atylæ historia. 375. & seq. eius exercitus. ibid.
Attila uictus Italiam inuadit. 376. Eius mors. 377
auaritiæ exemplum. 269. 270
aulicorum speculum & doctrina. 271
aurata siue Orata piscis. 472.
aures in linguam defluere quid sit. 55
aurum & argentum pestes Mela uocat. 158 ~~102~~
Author horum Commentariorum est abstemius. 100
Αὐτόχθονες qui dicantur. 399. 400
auxilium nunquã deficiens. 456

B

Babylon unde dicta. 38
Baptista Pius, Lucretij commentator. 246
D. Basilij exhortatio ad mutuam coniugum tolerantiam. 526. & seq.
Bacchus unde dictus. 100
illius natiuitas & ortus ibid.
Bacchus ui ignis partu expulsus fingitur, & qua ratione. 110
Bacchus cur cornutus. 109 & cur Liber dicatur. 110
Bacchus templum Ioui constituit. 11
Bacchus cur Mineruæ iungatur

gatur. 99
Bacchus cur dictus Bromius 104
Bacchus Iouis femori cur insutus fingatur. 101
Bacchi & Palladis familiaritas. 103
Bacchi statua & de ea elegans dialogismus. 105
Battus Rex. 274
Beatus nemo ante obitum. 444. & seq.
Bellerophontis etymum 67
Eius historia. 68. 69.
Bellouesus & Sigouesus 17
Bellum cur & quando suscipiendum. 484. 485
Bianori epigramma in auaros. 276
Biantis apophthegma. 102
Bis dat, qui citò dat. 401
Biturigum insigne ueruex. 17
Brontes Gigas 105
Bruti mors. 356. & seq.
Bruti numisma. 432
Burgundiorum rex captus ab Attila. 375
Buxi emblema. 553
C
Cadmi fabula. 508. & seq.
allegoria. ibidem & seq.
Cadmus quot literas attulit. 510
Calceus lunatus, insigne erat Romanorum nobilium. 400
Caducei Mercurij descriptio. 354. & seq.
Calchas augurum præstantissimus. 387
Calix aureus Babylonis quid sit. 37
Campana mentem ad Deũ excitat. 73
Campanæ unde dictæ. 75
Candia quæ nunc dicitur, qualiter olim dicta. 60
Cancri, Hippi dicti, & ueloces. 286
Cancrorum & parasitorũ comparatio. 286
Canis cur iactum lapidem mordeat. 480
Capra libidinosa 246
Capra Scyria, adagiũ. 410
Capularis senex quid. 440
Caput sphæricũ ait Plato. 15
Carneadis pulchrũ dictum. 154
Carpasij lini ellychniũ. 66
Casus errorem in natura

facit. 60
Castor & Pollux Iouis & Lædæ filij. 174. Dioscuri dicti. ibid.
Catulus fidei symbolū. 525
Cecrops cur biformis uocabatur. 30.31
Cecrops ferinā cōmistionē in Attica abstulit, & uiris legitimas uxores iunxit. 31
Cecrops primus bouem immolauit. 32. qui floruit tempore Mosis. ibid.
Centauri unde nati. 425. & unde dicti. ibidem
Cerberi allegoria ex Rodolpho Agricola. 404
Ceres unde dicta. 487
Ceuere quid. 265
Chærephon Socratis discipulus, & Vespertilio dictus. 213
Cham ueneficus & magicus. 87
Chamæleontis natura. 198
Chamæleōta non edere falso creditum est. 198
Charitum numerus, atq; descriptio. 458. & seq.
Charitum, seu Gratiarum mater. 461
Charōtis cimba quid. 440
Chimæræ montis descriptio. 71
Chimarrus à Bellerophōte occisus fuit. 70
Chimæra quid significet. 69.70
Chiron Iasonē instituit. 257
Chironis descriptio. 424
Chiron redibis, Laërtij iocus. 425. &, non Chiron sed Eurycion. ibid.
Chœnix quid. 260. 262
Chœnici insidere. 261
Christus, uerus Pan. 298
Cibos in scaphio non ponendos esse. 260
Cibum in matellam ne immittas. 262
Cicadæ mutæ ubi. 506. & quare. 507
Cicadæ apollini sacræ. 507
Cicadæ αὐτόχθονες cur dicantur. 401
Cicadā ala corripere. 462
Cicadarum ortus & mors unde. 400
Cicadis pleni, quid. 400
Ciconiæ pictura quid apud Aegyptios. 132
Ciceronis historia. 128. & eius mors. 129

Cicero Romani eloquij maximus author. 129
Ciceronis carmina super Calchantis auguria. 386
Ciconiarum pietas. 131. 132
Ciconiæ fabula. 132
Circe Solis filia. 248. uenefica. ibid.
Circe dicta Illustris. 249
Cithara quid proprie. 51
Clementiæ Principum exemplar. 426
Cleobi & Bitoni effigies. 446
Clyster unde dicatur. 273
compedes aureæ quid. 271
concipere preces quid. 43
concordia unde dicta. 164
coniux siue coniunx unde dicatur. 527
Chõradus quid apud Germanos. 9
cordum quid. 378
cornicum fidissima societas cur dicatur. 160
cornicis dictum ex Suetonio. 179
corona querna ciuica dicta & quare. 542
corona, corolla, & corollarium quid. 329
corona graminea. 112. & quando dabatur, & cui, & à quo. 113
Coronis fabula. 88. 89
cor edere quid sit. 313
cor magnum habent timida animantia. 195
considerare per i, non per y, scribendum. 175
cotone. arboris emble. 547
cotonea & cydonia mala idem. 548
Crœsus captus à Cyro 447
Cubus quid. 7
Cubitus quid. 120
cucuphæ auis pictura & pietas in parentes. 132
culina parua duobus ganeonibus non sufficit. 287
culpa delinquẽtis & suasoris par est. 478. & seq.
cum laruis nõ luctandum. 437
Cumæi fratres. 27
cuculus desides significat agricolas. 211. 212
cuculus & coruca. 211
cuculus in nidis minorũ auium oua sua edit. 212
cuculi natura ex Leoniceno 212
cuculus pro adultero. 212
cuculus ætatis prænuntius

dicitur. 304
Cupido cur Ἔρως dicatur. 337
Cupreßi emblema quid denotet. 539
cupreſſus ſymbolũ eſt mortis. 540. Diuitũ monumenta exornat. ibidem.
cyathus quid. 110
cyclopes unde dicti. 476
cygnus cur inſigne poetarum. 500. & ſeq.
cygni fabula. 502
cynomyiæ deſcriptio. 463
Cyri pœnitentia. 448
Cyrus Crœsũ amicũ ex inimico facit & cur. 449

D

Dædalus quo tempore claruerit. 60
Dæmonum mores 297
Danubius & Iſter idẽ. 170
Dares Phrygius ſcriptor belli Troiani. 326
Daulias uel Daulis regio. 235
Delphica litera quid. 520
Delphines hominum amici. 416
Delphini natura. 416
Delphini erga filios charitas. 416
Delphin quid cum anchora deſignet. ibid.
Delphini in terra uis. 467. celeritas. ibidem. & an tacta terra ſtatim moriatur. 468
Delphini humanitas & pietas in Arionem. 277. 278
Delphinus ſignum muſicũ 279
Democriti riſus. 434
Democritus cur ſe obcæcauit. 434
Deſiderare per i, non per y. ſcribendum. 175
Detractatorum typus. 462
Dextras dandi mos. 163
Dextra quid ſignificet. ibi.
Dextra fidei dicata eſt. 49
Dextræ parti potior uis cordis incumbit. 164
Diogenis apophthegma in muſicos. 51
Diogenis de libidinoſis dictum. 240
Dione pro ipſa Venere apud poetas ſæpe ponitur 49
Dionyſij Heracliæ regis pinguedo & delitiæ. 282
Dioſcoridis de fibris opinio.

nio. 436
Diuites publico malo. 274
Dines indoctus. 323
Doctos doctis obloqui nefas est. 488
Dodonæum æs quid. 75
Dogma quid sit. 83
Dona hostium, non dona. 468. & 469
Draco cur Mineruæ simulachro apponebatur. 96 97
Ducis consilium occultum esse debet. 59
Dulcia quandoque amara fiunt. 332

E

Effigies sancti Senatus. 418
Elephantorum impetus in Galatas, & victoria. 366. 367
Eleusina in sacris asino imposita deportabatur. 40
Eloquentia fortitudine præstantior. 490
Emanuelis à Costa epigramma de Morte & Amore. 440.
Emblematis etymon. 7. & eius distinctio. ibid.
Ephyre urbs. 243
Epicharmus discipulus Pythagoræ fuit. 79
Epimethei pixis. 179
Equorum aures, animi indices. 217
Equus libertatis insigne, 154
Erithacus auis. 288
Eros & Antheros quid. 328
Eruca uermis & herba. 239
Erucæ salacis natura. 252
Eubuli poëtæ epigramma de Baccho. 106
Eurus undè dictus. 375
Eusebius de raptu Ganymedis. 25

F

Fabula Aesopi de leone, urso & uulpe. 371
Facere damnum, & dare damnum. 480
Q. Fabius Max. corona graminea datus, & quare. 113. Idem Cunctator dictus, & cur. 114
Fabula Phinei. 136
Facundia an in senecta uigorem habeat. 492
Facundia difficilis. 494
Facundiæ uires. 495
Falco degener. 265

Faunus capripes. 239
Ferdinandus Sanctius frater autoris. 107
Festina lentè, prouerbium, quid. 416
Fiber, siue Castor an sibi testiculos amputet. 435 & seq.
Ficedula unde dicta. 305
Fidei simulachrum. 47. 48
Fides tormenti genus. 66
Fides uxoria. 524
Fides in dextris est. 525
Fides nulla est sociis regni. 288
Fiscus est regis crumena. 421
Fiscus rapit quod non capit Christus. 420
Fiscus cur lien dictus. 423
Flamines quo pacto sacra faciebant. 163
Fœcunditas sibiipsi damnosa. 528
Fœmina iners animal. 284
Formidolosorum, etiã post mortem, typus. 473
Fortuna errorem in homine parit. 60
Fortunæ figura. 300
Fringilla unde dicta. 304
Fumus & unda quid. 230

G

Gabriæ fabula. 39. 379
Galatæ qui sint. 367
Galatarum historia. 365
Galeacij bellum in Florentinos. 391
Galeacij Mediolanensis Ducis mors. 392
Galerus quid à petaso differat. 8
Gallicæ scabiei origo. 538
Galli fabula ex Luciano. 74. item Aristophanis fabula de Gallo. 75
Galli cur turribus præfigantur. 75
Gallus in templis quid designet. 73
Ganimedes unde dicatur. 23 eius raptus. 24. 25. locus ubi raptus. 26
Gemmarum origo. 312
Genea quid. 108
Generandi ac pariendi perfectius spatium. 108. & genea dicitur. ibid.
Genium defraudare quid. 270
Germanici epigrãma. 391
Geryonis regnum & armenta. 164. 165.
Gigantes qui. 32. unde dicti.

cti. ibidem.
Gigantum audacia. 33
Gigantum fabula. 31.32.33. 34
Gigantum more pugnare. 35
Gigantes quid apud Macrobium. ibid.
Gigantum uastitas & prauа consuetudo ex Beroso Babylonico. 34
Gith saporem piperis habet. 514
Gith quid significet. 513
Glauci fabula. 116
Gorgones tres. 443 ~~433~~
Gorgus Aristomenis filius. 147
Græca fides, & pergræcari 188
Græcorũ denominatio. 452
Gramen cum Marte quid commune habeat. 116
Gramen Saturno sacrum. 114. & cur uiuax dicitur. ibid.
Graminis usus. 118
Gratiarum emblema. 458. nomina. 460
Gratiæ cur nudæ. 461
Gruum prudentia. 83 84
Guloſorum exemplar. 279

H

Halieutica quid. 52
Harmodij coniuratio. 64. 65. mors. 66.
Harmonia unde nata. 52
Harmonia Cadmi uxor. 511
Harpocratis simulachrum quid designabat. 57
Harpyiarũ descriptio. 137. & unde dictæ. ibid.
Hector à nonnullis Apollinе fatus dicitur. 470
Hector Achillem occidit. 398
Hederæ emblema, & cur poëtarum symbolum sit. 549
Heduorum insigne porcula. 17
Heduorum uaria nomina. 18
Helena cur ex ouo nata dicat. 17
Heliodora quid sit. 325
Hemina quid. 111
Henricus Glareanus antiquitatis scrutator diligens. 51
Heraclidi apophthegma. 80
Heraclidi fletus, & mors. 434
Herbã porrigere quid apud antiquos. 113
Herculanus nodus. 354

Hercules unde dictus sit Alcides. 208
Hercules Ogmius. 490
Hercules spurius 406
Herculi oratio à Gallis tributa, non Mercurio. 492
Herculis certamina. 402 & sequent.
Hermes unde dictus. 301
Hesiodi patria. 339
Hieroglyphicarum lit. mysterium. 8
Hipparchi occasio. 65
Hyperbole in Turcam. 170
Hippocentaurus ex Claudiano. 30
Hippocomos quid & unde dicatur. 155
Hirci libido & zelotypia. 239
Hirundinem sub eodem tecto ne habeas. 489
Historia de Achillis armis. 123
Histricus quid, & unde. 498
Homerus Mæonius dictus. 27
Homerus an Hesiodo antiquior fuerit. 69
Horatij Coclitis magnanimitas. 457
Hospes qui recipit, & qui recipitur. 489
Humanæ uitæ lapsus in tribus consistit. 82
Hungaria unde dicta. 375
Hunni qui. 158 ~~102~~

I

Iam apud Hæbreos sonat uinum, à quo Ianus, id est, uinifer. 87
Ianus Patulcius & Clusius. 86
Ianus cur ita dictus. ibid.
Ianus Geminus à Numa rege dicatus. 85
Ianus bifrons quid indicabat. 86.87
Ianus Rex Italiæ, qui cultum edocuit. 85
Iason unde dictus sit. 257
Ibidis historia. 272. forma. 273
Ibides bifariæ. 273. cum serpentibus pugnantes. ibi.
Icarus mari Icaro nomen dedit. 317
Icari lapsus quid significet. 315.316
Ignorantia submouēda. 56
Ilicis emblema. 550
Imparilitas. 408

Inanis impetus emblema. 464
Indigenæ qui. 401
Insani gladius. 481
Insignia libertatis. 432
Intolerantia & incontinentia omnium uitiorũ grauissima. 152
Inuestes pulli. 133
Inuidia unde dicta. 237
Ioannes Ciſchas hæreticus, moriens ex proprio corio iussit fieri tympanũ bellicum. 473
Ioan. Mallara Hiſpalenſis, Pylades autoris. 403
Iocaſta cur ſe peremit. 519
Ioui ſummo adeſſe quid ſit. 28
Iouis glans nux. 6
Iudex à muneribus manus abſtinere debet. 134
Iudex cur ſine manibus pingatur. 418.419
Iudicibus munera excæcant oculos, & ſapientibus. 419
Iuuenalis uerſus emendatur. 224
Iſis cur cornua habeat. 41
Iſis pro Cerere. ibid.
Iſis legifera ibid. & 42
Iſter & Danubius idẽ. 170
Iuglans unde dicta. 6
Iupiter deceptus à Prometheo. 309.310
Iupiter unde dicatur. 26. 27
Iupiter cur ſit Ammon dictus. 11
Iuſtæ uindictæ emblema. 474
Iyngis auis deſcriptio. 254
Iynge trahor, adaginm. 255

L

Laborum Herculis allegoriæ. 403
Labra & labiæ apud antiquos indifferenter. 56
Labyrinthi periphraſis. 59
Lacerta an ore pariat. 12
Lacteus circulus unde. 407
Lacones puniceis tunicis in bello utebantur. 350
Lætitia propriè quæ ſit. 27.28
Lactucis ueſcentes hebetiores fiunt in Venerem. 250.251
Lactucæ ſtomachi faſtidium auferunt, & cibi appetentiam excitant. 251
Lactuca cur Eunuchion dicatur. 251
Laidis facetum dictum de ſpeculo.

speculo. 244
Laidis monumentum. 242
Laius Oedipum filium exponit. 517
Lampada tradere quid, & unde originem habuit. 310
Laureum baculum gestare. 557
Lauri emblema. 556
Lauri etymon, & uires. 557
Laurus victoriæ insigne, & Apollini sacra. 557
Laruæ quid ex Plinio. 438
Larus auis. 280. Mercurio dicata. ibid.
Latrones unde dicti. 196
Leænæ elinguis effigies quid designabat apud Athenienses. 63
Leænæ meretricis fortitudo & historia. 62. & 63
Leocra pictor nobilissimus. 26
Leonidæ pugna in Xerxē. 378
Leo in templis custodiæ signum dicitur. 73. oculis apertis dormire fertur. ibid. & 76
Leo perspicacissimi uisus est. 76
Leonis caput terrorem significat. 203
Leonis cauda cur Alcæa dicta. 218
Leoni mortuo barbam uellere. 438
Leonum cauda index animi. 217
Libertatis emblema. 431
Liene tabescente, artus reliqui tabescunt. 423
Lignipedes qui sint. 351
Lipo oculo uti, quid. 412
Lirioessam edere quid. 492
Liria quid. 493
Litaniæ unde dictæ. 384
Letaniæ barbarum est. ibid.
Litæ quid. 384
Litera occidit, spiritus uiuificat. 508
Literæ Cadmi filiæ. 511
Locustæ inter animalia mūda computantur in Leuitico. 375
Locustæ quibus D. Ioannes uescebatur in deserto. 374
Locus D. Marci cap. 1. de locustis. 374 & seq.
Locustarum incommoda. 374.

374. earundem descriptio. ibid.
Lotophagorum fabula. 341
Lotos Nympha & eius trāsformatio. 342
Lucam olim grandem dicebant. 367. & Lucas Boues. 368
Luciani uerba de Hercule. 490.491.& seq.
Lucus quid & unde dictus. 96.& 97
Luna quinta erat inauspicata apud antiquos. 34
Lunulæ in calceis quid significabant. 400
Lupi ceruarij obliuio. 222
Lupini corij, & ouis, mira. 474. Item in fidibus citharæ, si aliqua insit lupina, reliquæ surdescunt. ibid.
Luscinia unde dicta. 234
Lycia regio minoris Asiæ. 71
Lydia regio minoris Asiæ. 333

M

Mænades sacerdotes Bacchi. 256. unde dicti. ibid.
Magnanimi uiri descriptio. 419
Mala nomina quid. 216
Malè parta, malè dilabi. 379
Malus medica. 551. eius uires. 552
Mancipare quid. 221
Malluuium quid. 135
Manus artificum quid. 9
Manus dextra est cordis potissima ministra. 164
Mari cur pedes argentei. 398
Martis ortus ex Ouidio. 114.115
Maturare quid sit. 93
Mature fruges. ibid.
Maturare fugam quid. 93
Medeæ crudelitas. 200
Mediolanense numisma. 10
Mediolanum unde dicatur, & illius insigne. 17
Mediolanum siue Mediolanium in Gallia Xaintes. 18
Melonis pagina quid. 511
Memoria cur magni uiri laborare dicantur. 24
Mentem non formam plus pollere. 522
Meropum pietas. 131.132
Mercurij uirga. 352.& seq.
Mercurij plures fuerūt. 46

Mercurius unde dictus. ibi. & quare Hermis Græcè. ibid.
Mercurius quali forma pingebatur. 301
Mercurij descriptio. 301
Mercurius cur triceps olim pingebatur. 44
Mercurij fabula ex Didymo. 45
Mittere lapidem in aceruũ Mercurij quid. 45 46
Meros mons Libero patri sacer. 101
Metelli senis præclarũ responsum. 59
Methodus unde dicatur. 231
Mezentij crudelitas. 537
Mulieris famam, non formam uulgatam esse oportere. 534
Murænæ & lampretæ discrimen. 527
Militis etymon. 485
Miluus rapacem locupletem designat in hieroglyph. 380
Minerua quid, & unde dicta. 13
Mineruæ clamor in natiuitate quid. 13
Mineruæ simulachrum è cælo delapsum. 66
Minotauri effigies cur olim inter insignia militaria. 58
Myrtilus clypeo enatauit. 457
Mysterium quid. 42
Mysteria duplicia. ibidem
Ante mysteria discedere. ibid.
Moly à Mercurio inuenta. 496
Moly herbæ uires. 494. & seq.
Moly facundiæ symbolum. 495
Momentanea felicitas ex cucurbita. 369
Monstrum naturæ error dicitur. 60
Mopsus augur. 387
Mori arboris emblema. 555
Mortẽ sibi conscisce, animi est timidi. 357
Mosis laudes ex Philone Iudæo. 201
Motacilla auis. 254. unde dicta. 255
Mullei calcei unde. 400
Mulieres fucis comparatæ. 284

Mundus quid. 284
Mundus duos Soles non capit. 288
Musarum & Sirenum certamen. 345
Musæ cur palma coronentur. 157
Musicã diis curæ esse. 504
Musca impudentiæ figura. 462
Muscas pellere quid. 463
Mus albus quid. 259
Musmon animal quid signi ficet. 515
Mustella ore parit. 12
Mustella inauspicatũ animal. 373
Mutui auxilij exẽplar. 454 & seq.
Mutuo an uerbum sit latinum. 456

N

Narcissi fabula. 231.232
Narcissus unde dictus. 231
Narcissus flos. ibid.
Naxo insula Baccho sacrata. 107
Neda fluuius. 147
Nemesis unde. 120.121
Nemesis quid. 180.& 331
Neptunus unde dictus. 125
Nestorea senecta. 108
Nestor cur dicitur tres ætates uixisse. 109
Nestoris scyphus. 305
Nestoris lingua. 492
Nigellæ & guth discrimen. 514
Nilotica papyrus. 511
Niobe cur lapidea fingitur. 224
Niobes filiorum uarietas. 225
Niobes fabula ex Pausania & Palephato. 226
Niobes cur lapidea. 223
Noctua uolat, quid Atheniensibus significabat. 89
Noctuas Athenas quid. 89
Noctua quas bestias uenetur. 90
Noctuæ & Cornicis simultas & quare. 90
Noctuæ cur in nũmis Athenis insculpebantur. 89
Noctuæ & Vlulæ discrimen. 90
Noë dictus Ianus & unde. 87
Nosce teipsum quid Ciceroni. 521
Nox sopôra. 146
Numa Pompilius templum Iani

Iani primus instituit. 85
Numus à nomo, simpliciũ, debet scribi. 137
Numisma Vespasiani. 416
Nupta contagioso. 537
Nutrire lupos quid. 219

O

Obscœnus quid. 246
Obsonium quid sit. 270
Obstruere luminibus. 137
Occasio quid. 362
Occasionis statua in bibliotheca Salmăticensi. 361
Occasionis descriptio. 359
Oceanus unde dictus. 169. & cur pater dicatur. 170
Ocni funiculus. 284
Ocnos auis. 266
Oculata manus quid. 77. 78. 79
Oculis magis habẽda fides, quàm auribus. 79
Oedipi histor. 517. & seq.
Oedipus Laiũ patrem occidit. 517
Oedipus sibi oculos eruit. 519
Oleum cur Mineruæ donum. 104
Oliuæ & uitis dissidium. 103
Olympias mater Alexãdri. 11
Olympius aperit Alexandro generationis arcana. 12
Onocrotali ingluuies. 281
Onocrotalos fert Gallia. 282. opes fatuoz. 240
Ophionis superbia. 34
Opulenti hæreditas. 451
Oris durities quid. 226
Orphei hymnus. 295
Oryx canis. 464
Orus Apollo libros Hieroglyphic. literarũ scripsit. 9
Os unicum cur homini, aures autem duæ. 55
Osci populi qui. 246
Otus quis, & unde dictus. 220
Otis quid sit. 221
Othonis historia. 10
Ouidius rogatus tres uersus ex suis operibus tollere. 61

P

Pæana canere. 367
Pacis emblema. 482

Pacis fructus. 485
Pacuuij carmen de fortuna. 301
Pallas & Minerua idem sunt. 13
Pallas belli præses cur dicatur. 13. & è Iouis cerebro nata fingatur. 14
Palladiæ sertum quid. 395
Palladis etymon. 15
Palladis natalis. 12. cur armata nascatur. 14
Palephatus de Actæone. 195
Paleutria quid. 191
Palma aduersus ponderare surgit. 156
Pan magnus interiit, quid significet. 297
Pan: & antiquorum de Pane fabula. 293. 294. & seq.
Panathenæa festa magna. 65
Pandora quid. 310
Panici terrores quid. 362
Pandare quid. 42
Parcarum certus ordo. 450
Parra auis. 515
Parasitorum pernices pedes. 286
Parasiti imago. 286
Parmæ descriptio. 8
Patellam sequi quid sit. 286
Paupertas summis ingeniis obesse dicitur. 358
Pegasus genus nauigij celerrimi. 70. unde dictus sit. 71
Pellex unde dicta. 326
Peliades pro Pleiadibus sæpe apud Poetas. 306
Peplus seu Perplum quid. 37
Pergula quid. 362
Persicæ arboris translatio. 414.
Persis minimè noxiam ait Plinius. ibid.
Petasus quid, & unde dicatur. 8
Phaëthontis fabula. 204. 205
Phalanx quid. 60
Pharsalia quid. 357
Pharos & Pharium. 56
Phasis & Phasiani. 257
Phasiaci doli. 258
Phasiaca Medea dicta. ibid.
Philautia quid. 231
Philomela lingua caret. 235
Philoxeni uoluptas. 280
Piceæ emblema. 546
Picus Saturni filius. 248

Zatrus Messias Hispal. 390

Pietas filiorum in parentes 532
Pileus quibus dabatur, & quid significabat. 432
Pylos oppidum ubi. 108
Pygmæorum minæ in Herculem, ex Philostrato, 206.207
Pindari laudes, & educatio 408.409
Pinna quid. 362
Pini & cucurbitæ apologus in momentaneam felicitatem. 369.370
Pythagoras cur carnibus uesci prohibuit. 83
Pythagoras Samius. 262
Plato ex fabulis aliquid boni elicit. 12. & 13
Poculum Nestoreum. 306
Poetarum insignia. 500
Polyphemi & Vlyssis fabula. 475. & seq.
Pollucis & Castoris numen & causa melioris spei. 173
Pompeij occisio. 129
Populus alba. 558
Populus temporis est symbolum. ibid.
Porphyrionis natura. 184. 185
Posidippi epigramma de Occasione. 359
Potentes obsunt potius quã prosint. 466
Præsidibus quæ capere licet. 419
Praxiteles statuarius nobilis. 107
Principum doctores quales esse debeant. 423
Proboscis quid & unde dicatur. 368
Progne cur garrula uocata 233
Promethei supplicium. 310
Prometheus Rhetoricem communicauit mortalibus. 310
Promethei fabula & figura quid designet. 308. 309
Prometheus unde dicatur. 313
Protei origo. 497. 498
Proteo mutabilior quare dicatur. 499
Proteus rex Aegypti. 499
Proseleni qui. 400
Pudoris statua. 535
Pulegij uires. 79

Q

Quadrans quid. 110

Quercus salutis emblema. 542
Quercus prima ex plantis est nata. 542. Ioui cur sacra. ibid. & 171
R
Rhamnusia unde dicta. 181
Regum Aegypti mos. 499
Remora unde dicatur. 94
Remora alio nomine Echeneis. 263
Reptare dētibus qui dicantur. 286
Reuerentia in matrimonio requiritur. 526
Roberti Imperat. bellum contra Galeacium Mediol. Ducem. 392
Romani à Marte orti. 162
S
Sacerdotes Romani cur capra & cane abstinerēt. 246
Salicis emblema. 543. & fructus. ibid.
Salix frugiſperda cur dicatur. 543
Salus ære redimenda. 435
Salutis draco quid. 428. 429
Sannare & sanna quid. 87
Sapientia humana, stultitia est apud Deum. 29
Sapientum dicta. 512
Sardi uenales. 514
Sardi qui dicantur. ibidem
Sardinia cur pestilens est. 514. & 515
Sardus eques. 515
Sargus piscis caprarum amator, & quo modo à piscatore decipiatur. 245. 246
Satyriæ insulæ. 238
Satyrorum libido. 239
Scarabæi & aquilæ bellū. 471
Scomma quid. 287
Scorpij etymon. 478
Scyllæ fabula. 248. 249
Scyphos duplici declinatione flectitur. 307
Sedens columba, quid. 191.
Senatus optimi principis exemplar. 418
Senescentes in principum aulis. 271
Sepiæ atramentum. 511
Sermo, intelligentiæ cibus. 260
Serpentes ore parientes in Asia. 10. & 12
Sexagenarius homo duas uitæ uidetur implesse

Hieroglyphicis. 152
Techna quid. 61
Telamon unde dictus. 126
Tellus cur beatus à Solone dictus sit. 445
Tempestas maris ab Anneo Seneca. 173
Termini pertinacia. 449
Terminus uitæ humanæ. ibid.
Terminus cur quadratus pingatur. 449
Terminus quid. 444
Tessera quid sit. 7
Testiculi fibrorum adimi sine animalis morte non possunt. 436
Testudo cur sub pedibus Veneris. 8.534
Theocriti de spe ratio. 178
Theõ Arati interpres. 362
Thetis & Tethys in quo differant. 397
Thetis cur pedes albos dicitur habere. 398
Tydeus magnus bellator. 168
Tympanum quid. 109
Tyranni opulentia, paupertas est subditorum. 422
Torus quid sit. 7
Thrasybuli historia. 393. & seq.
Thrasybulus unde dictus. 396
Tritones quid olim. 388
Tritonis descriptio. 389
Tritonũ historia. 389.390
Tritonis palus, unde Palladi cognomen. 15
Trois pater Ganymedis. 24
Troia non capta ex Dionis historia. 398
Trophæum quid, & eius usus, & unde dicatur. 368
Truculentiæ exemplar ex delphino à suis in littus ejecto. 466.467
Tutissimum in expeditionibus est, facienda nesciri. 59

V

Veneres duæ ex Platone. 328
Veneris amuletum. 250
Verborum quàm rerum custodia melior. 55
Veritas cur nuda. 49
Vespæ immundæ & carnivoræ, regémque non ha-

geneas. 108
Scilla mythologicè quid sit. 228
Sibyllini libri. 429
Sidus per i, non per y, scribendum. 175
Sigalion dictus Harpocrates. 57
Signum pudoris. 536
Silentij autoritas & ornamentum. 54. 55. 56
Simonidis cantilena quid. 460
Sirenũ fabula. 343. & seq. Vnde dictæ. 343. Earum nomina. 345
Sistrum quid & unde dictum, 110
Sobrius sis, & nemini confidas. 78
Solonis laudes à Crœso. 448
Solonis de Crœso historia. 444. & sequent.
Solonis leges Athenienstibus uenerandæ. 444
Sophoclis & puellæ historia. 347. 348
Speculum dicare quid. 243
Spei encomia. 176. 177
Spei cur cornix coniungebatur. 179
Σπεῦδε βραδέως, Augusti Cæsaris dictum. 416
sphinx monstrum triforme 518. Ab Oepido confectum. 520
sphinx pro ignorantia. 521
sphingis historia. 516
sphingis etymon. 519
Vbi nascantur sphinges. ibidem
sphongia pro rapace. 420
spongia sensum habet. 421
spurij qui & unde dicãtur. 406
spurius inter prima nomina. 406. 407
stellionis nomen in maledictum translatum. 189 & crimen stellionatus. ibid.
styx quid, & unde dicta. 478
stultorum est, compedes (licet aureas) amare. 271

T

T, litera communis in carmine. 321
Tacitis notis scribere. 8
Tantali fabula. 267. 268
Tantalides qui. 482
Taurus quid significet in Hiero

Sardes. 135.

bent. 427
Vespertilionis uaria acceptio. 215
Vlysses rex Ithacæ Insulæ. 476
Vlysses, Vtis. 475. Cyclopen obcæcauit. 476
Vlyssis sociorum transmutatio quid significet. 248
Vlyssis historia contra Sirenum cantus. 346
Vlyssis laus. 346
Vlula picas uenatur. 90
Vini etymologia. 411
Vini nimius usus furorem generat. 111
Vinum uirginibus non dandum. 103
Vinum, lac Veneris. ibid.
Vinum opinionum uanitate mentem opplet. ibid. corpusq; ualidum facit, animum uerò imbecillum. ibid.
Viperæ & muræna coniugium ex D. Basilio. 526. & seq.
Vis amoris. 323
Vitis & ulmi amicitia. 453 & seq.
Vnus uir nullus uir. 167
Voluptas uniuscuiusque sensus propria est. 2223
Vrbs æterna quæ sit. 341. 342
Vrna quid. 243
Vxor formosa, compedes aureæ. 271

X

Xenia quæ dicantur. 419
Xeniorum mos antiquitus. 182
Xerxes & eius exercitus mirabilis. 377

FINIS.

Errata aliquot in uocabulis & citationibus Græcorum uersuum admissa.

Pagina 20. versu βαλ. ἄπιν. 23. ver. secut. ὑπηρετᾶ. ibid. ver. μόν. Δῖι. 26. ver. verbis. χαίρετι, & in seq. similiter. 55. ver. Quam. περὶ τ' ὑγιεινῶν. 56. ver. ἀῤῥή. γλώσσῃ, & seq. κῆιάνων. ver. λάμι. σεσωπαμένον. 71. ver. ἐπι. τραχῆλ. 77. ver. ἀπιστ. φρονοῦντα. 79. ver. hanc λειπωτικὴν. ver. lib. φελωλεύς. 81. ver. πῶ. τί δ' ἔριξας; ibid. ὰπ ἐπιλίσθης; 95. ver. Ex. ἐγχέλων. 123. ver. ἀυτόμ σ' ἐκκαλέσσα. 169. ver. οὕτω ἐμπιλλα. 186. ver. Θυμ. οὔνεκ' 187. ver. Απολ. διὰ πρίσιν. ver. ταχ. ἀκμᾶς. ver. ὰ. σκολιῶν. 193. ver. Μᾶσ. πρῶτος ἐβαψε. ver. ἠρεμ. παράμεψον. 199. ver. Αἶαν. Αἰπαμένη. 203. ver. tendat. κατὰ τὸν ἐπ. 209 ver. ὰ δ. σοφιρὸν. 248. ver. ἢ ἐπ. σύκα. ver. τῦτο ἀνιστῆται. 250 ver. σια χρώμενοι. 251. ver. Μυ. γύναι. 254. ver. Ποντ. πόντια δ' ὠκυτάτων. ver. Ποικίτιτρακυάμου'. 256. ver. τιτρακ. τέτρακυάμενα. 251. ver. ὀκτοκ. ὅπως. 276. ver. ἀνά. λέγει σ' ὁ 'π' Αρίονι. 288. ver. μία λίχμη. 290. ver. λεφθ. pro τύμβον lege πόλεμον. 295. ver. ηχὰ. τάλε γὰρ μέλη ἐσὶ τὰ Παν ἐς. 306. ver. Πὰρ ἦν'. 328. ver. Στέμ. φόρεις. ver. Οἷα πανδήμ. ver. ὠμ. ἐσαναγω. ver. ἐπ' ἐκ ἀρ. ver. τέτρ' ἀ. φέρων. 330. ver. Πταν. ἐπλασ'. ver. Ος. ὧς κι. 331. ver. Δαμᾳ. πίπρᾶμ. ver. ἐς. ἐς ἢ βαθ. 332. ver. Ηγνυ. μελίσσας. 334. ver. Δακ. ὑπένυξεν. ver. Δεξ. ἔτ' ἰγε τυτθίν. 421. ver. Μὴ ἰσ' ἄτ. 433. ver. τὸν ἔμε. 457. ver. Βάλλ. Βάλλεται. ver. ὡς. ὑπόσασις. 453 ver. Ητιρὶν ἢ πρὶν ἐμοῖς βαλέθεσιν ἐν. 457. ver. Σοβᾶς. Σωβεὶς κεκριμένων. 461. ver. ἀχαρ. ἃ χάρις ἃ βραλύσ. 483. ver. ἄσχετ. μυριόδλυς 501. ver. esse. pro Apollinis lege Deli. 502. ver. ὕσιν. ἄεισαν. 505. ver. ἦ γὰρ. ὧν γὰρ. ver. Αβρομ. ἐπιτρύζων. ver. ἀπ. ῥυθμῶν. 513. v ἐς. χέλα.